BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
2 1
9

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13.19.D.14

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSILIORVM, ET
Epiſtolarum Medicinalium,


JOH. CRATONIS A KRAFTHEIM, ARCHIATRI CÆSAREI, ET

ALIORVM EXCELLENTISSImorum Medicorum, ac Philoſophorum,

LIBER TERTIVS;

Nunc primum labore & induſtria

LAVRENTII SCHOLZII MEDICI VRATISL. IN lucem editus.



MDC IX.

HANOVIÆ

Typis Wechelianis, apud Claudium Marnium, & heredes Ioan. Aubrii.

Cum S. Cæſareæ Maieſt. priuilegio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LAVRENTII SCHOLZII MEDICI VRATISL.

Ad omnes arti Medicæ addictos.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IES.

PROOEMIVM.

ADMIRABVNTVR *forſan aliqui, cur tot conſilia à Germanis Medicis conſcripta, in apertum proferre auſus ſim. Hoc inſtitutum meum, ne à quibuſdam aliter, atque volo, accipiatur, cauſas quibus motus, hoc quicquid eſt laboris aggreſſus ſum, paucis nunc, multa breuitatis cauſa omittens, recenſebo. Exterorum ſolùmmodo Medicorum conſilia in arte noſtra hactenus in lucem edita eſſe, omnibus notum eſt. His Germani noſtri contenti, ac ea ſuprà modum admirantes, ſua, quæ tamen noſtris hominibus, cum longe alia apud nos praxin exercendi ratio ſit, plus prodeſſe potuiſſent, neglexerunt, ac ſtudioſe occultarunt. In aliis enim regionibus, vt ii ſciunt, qui in illis locis aliquandiu verſati*

ſunt, hic mos obſeruatur, vt morbo aliquo, etiam leuiuſculo, correpti, ſtatim ac is inuaſerit; ad Medicos confugiant, eorumque auxilium implorent. Medici igitur illi, nobis longe feliciores, methodice curam aggredi, hanc continuare, & ad finem vſque perducere poſſunt. Apud nos autem raro quis in initio ſtatim morbi Medicos conſulit, quin potius omnia prius vulgi remedia experitur, ac cum nulla fere, vel exigua admodum ſpes vitæ amplius reliqua eſt, tum demum Medicorum opem implorat, ſibique amiſſam valetudinem reſtitui cupit. Hic cum ſecundum canones curam inſtituere impoſsibile ſit, methodum prudentiæ ſequi, ac quid pro præſentis morbi ſtatu agendum ſit, artificioſa coniectura inueſtigare neceſſe eſt. Hoc autem quam difficile ſit, ac quam exercitatos expertoſque Medicos requirat, quilibet me etiam tacente, per ſe facile iudicare poteſt. Hinc mirum non eſt, quod multi apud nos integre ac perfectè ſanitati reſtitui nequeant, ac plurimi quoque ſua potius, quam Medicorum culpa vitam cum morte commutent. His ita ſtantibus, quis non videt, quanta horum conſiliorum, quæ nobis non tantum vſum artis monſtrant: verum etiam quomodo nos, quouis

uis morbi tempore ab ægrotis accerſiti, gerere debeamus, docent, ſit vtilitas atque præſtantia? Ad hæc cum teſte Galeno, lib. 9 Meth. med. cap. 6. fieri nequaquam poſſit, etiamſi methodum quandam habeamus, per vniuerſalia vocata theoremata, vt ſine multiplici in ægris ſingulatim exercitatione, quod ex vſu ſit faciamus, ac Cicero ipſe, 1 Offic. libro, Medicum, etiamſi artis præcepta nouerit, nihil tamen laude dignum ſine vſu & exercitatione conſequi poſſe ſtatuat, hanc etiam ob cauſam exercitatiſſimorum Medicorum obſeruationes, quæ præterquam, quod modum vniuerſalia particularibus recte applicandi monſtrant, plurima etiam ad grauiores morbos remedia, eaque, quod frequenti longoque medendi vſu comprobata ſint, tutiſſima, nobis patefaciunt, nequaquam ſupprimendæ; ſed potius in communem ægrotorum vſum Medicinæ cultoribus, vt eas ſibi imitandas proponant, publicandæ erunt. Quoniam autem ſæpenumero euenit, vt viri excellentes, adducti partim verecundia, quæ maxime liberales animos comitatur, partim metu, vt qui præuideant, quanto cum periculo quis multorum hominum iudicia in ſe prouocet, ingenii ſui monumenta, in publicum non

diuulgent; cuilibet noſtrum obnixe opera danda eſt, vt ſi quid illorum, quo iuuari publica ſtudia poßint, quæ ſepulta quodammodo, niſi aliorum induſtria publicarentur, forent, in manus noſtras peruenerint, ea doctis hominibus legenda edamus, ne exiſtimationi horum Autorum, quæ per ſe apud ſincere iudicantes ſatis tuta eſt, nimis addicti, commodis generis humani inuidiſſe videamur. Ac licet nonnulli reperiantur, qui nihil, niſi tanquam τετράγωνον, ἄνευ ψόγου, publicandum eſſe exiſtimant, ideoque talia monumenta, quod ſumma nonnunquam perfectio in his deſideretur, ac quod leuiori opera, non in hoc vt ederentur, ſcripta ſunt, repudianda putant: ego tamen talibus minime aſſentiri poſſum, quin potius firmiter ſtatuo, nihil omnino, etiamſi rude id, & impolitum ſit, modo ex eo non parum frugis ad veros & candidos harum rerum ſtudioſos redire poßit, reiiciendum eſſe. Rem enim quærimus, & artis experimenta, id eſt, quæ illi propria ſibi & peculiaria ad grauiores morbos habuerint remedia, multo longoque medendi vſu, & frequenti meditatione probata ſcire auemus. Sunt etiam hodie non pauci, imo vero, quam par foret, plures, quibus nihil antiquius

eſt,

Digitized by Google

eſt, quam vt talia ſcripta, vel ambitione quadam, vt habeant, quo præ cæteris excellant, vel auaritia, vt lucrum faciant, quoad poſſunt, non ſine magno multorum ægrotantium detrimento, occultent. Sed mittamus tales, ac potius quantum in nobis eſt, pro facultate noſtra humanæ vitæ atque incolumitati aliqua ex parte prodeſſe ſtudeamus. Hæc mecum reputans, atque etiam intelligens, nihil homine bene liberaliterque inſtituto magis dignum eſſe, quam quibus modis poßit, de aliis bene mereri, nihilque tam proprium humanitatis atque amoris ſit, quam communicatio, ac, vt Ciceroni videtur, ſemper aliquid ad communem vtilitatem afferendum ſit, nolui diutius conſilia iſta Medica, quæ, vt ſpero, quamplurimis in Medicina exercenda non parum proderunt, id quod illi, qui iſta diligenter perlegerint, fateri cogebuntur, occultare atque ſupprimere; ſed multis communia facere volui. Quod ſi hunc laborem noſtrum Medicinæ ſtudioſis gratum acceptumque eſſe intellexero, obnixe in poſterum operam dabo, vt quæ multis retro annis iudicio delectuque ſingulari adhibito οὐκ ἀκονιτί in eum inprimis finem, vt vſibus meis inſeruirent, congeßi, ea vniuerſa plena

manu καὶ ἀφθόνως ſanioris Medicinæ cultoribus communicem, hacq; ratione plurimorum inopiæ ſubueniam. Sed antequam finem huic præfationi imponam, gratiam & debeo & habeo immortalem, clariſsimis atque excellentiſsimis viris, amicis meis chariſsimis, Domino Doctori IOHANNI HERMANNO, *Illuſtriſsimorum Principum Bregenſium Medico digniſsimo, nec non Domino Doctori* DANIELI SCHEPSIO, *ac* TOBIÆ FISCHERO, *Phyſicis Medicis inclytæ Reipublicæ Schwidnicenſis, qui me in hoc propoſito meo pro virili adiuuare conati ſunt. Vt autem deinceps quoque idem factitare ſtudeant, ipſos publicæ vtilitatis cauſa peramanter rogatos volo. Et hæc nunc habebam, quæ candidis lectoribus inſinuanda eſſe exiſtimaui, quæ vt ab optimo profecta ſunt animo, ita vt in optimam quoque partem interpretentur, maiorem in modum oro. His bene feliciterque valete, Lectores amantiſsimi, meque commodis veſtris addictiſsimum amare pergite, ac conatus iſtos noſtros ad Medicinam artium omnium, Hippocratis teſtimonio, præclariſsimam exornandam, atq; amplificandam directos, æqui bonique conſulite. Vratislauiæ die 6 Februarij, an. redemptionis humanæ 1592.*

CHRI-

CHRISTOPH. RVMBAVM, MEDICI VRATISLAVIENSIS,

ELEGIA

AD LAVRENTIVM SCHOLZIVM Sileſium Medicum.

AEqua diu verſat Doctum dubitatio mentem
Et caret, indicta, Iudice, cauſa die.
Pars celanda putat ſolerti inuenta labore,
Ne ſua cœnoſis obiiciant ſuibus:
Pars ait inuidia celantem labe notari,
Inuideat dignis quod ſimul atq; malis.
Quod dicenda mihi ſi ſit ſententia, SVMMI
Exemplo, dicam ſoluier iſta, BONI.
Annon æqua datur ſolem ſpectare poteſtas
Digno atq; indigno? quin datur aura eadem?
Annon indignus terra verſatur eadem
Cum digno? eiuſdem quin bibit amnis aquam?
Nonne ſuum, calos æqua qui lance gubernat,
Eſſe creatorem dicet vterq; DEVM?
Si DEVS *ergo* BONVS, *rerum, non inuidus, vſum*
Indignos propter, denegat ipſe BONIS:
Nec maculam metuit prauos aſpergere iiſdem
Poſſe: tuis cur te parcere poſſe putes?
Siue ea ſint per te iamdudum inuenta labore,
Siue ſit alterius ſemine meſſa ſeges:

Promito : communi tecum ſint omnia nobis
Vſui, & augmento creſcat vtrumq; pari.
Dum matura ſeges vicinis prodit ab agris,
Forte tui ingenii ſemina lacte crepant.
Fallor ? an incepti conare volumina libri
Edere, præclaro nomine digna tuo,
SCHOLCI *: namque tuum vt ſcripta hæc aliena requirunt*
Iudicium : tua ſic plena laboris erunt.
Namque recenſendi, quos experientia longa
Te docuit, caſus, pars erit innumera.
Magna futura tibi pars exantlanda laborum,
Vt referas, tua quos Ars facit eſſe ſuper.
LAVRE *tuos igitur, circa hæc plantate fluenta,*
Sperato fructus tempore credo dabis.

MARTINI WEINDRICHII, M. C.

AD LAVRENTIVM SCHOLZIVM, PHIL. ET MEDICINÆ DOCTOREM, Elegia.

Dum deſiderio, & votis poſcentibus offers
Conſilia, ex illo, quo latuere, ſinu:
Ecquid ab hoc famam laudemque merebere facto,
Gratus & autori munere lector erit?
Dum quid amat, ſed abeſt, cupienter quærit, & optat,
Si datur, vt fas ſit, pro ratione frui.
Abiicit inſanus faſtu, votiq; peracti
Pœnitet, & damnat, quod prius expetiit.
Fallor? An hic etiam Momus conuicia ludet,
Nec ſatis argutos garriet eſſe libros:
Aut emendatos nondum ſatis eſſe libellos,
Vt liber hic rarus liber ab inuidia eſt.
Ne moueare tamen; nam commoda publica quiſquis
Auges, ingratos experiere foris.
Perditur officii ſemper pars maxima, raros
Commendatores, qui benefecit, habet.
At non naſutos metuit, fatuoſque cauillos,
Quem virtus, pluſquam noxia lingua mouet.
Vt ſint cenſores, erit his quoque dos ſua ſcriptis,
Florebuntq; tua publica facta manu.
Perge igitur tali dare maſcula ſcripta fauore,
Qui bonus eſt, animum diliget ille tuum.

INDEX CONSILIORVM.

Morbi virorum & iuuenum.

1. In catarrho, pro quodam Theologo.
2. In præſeruatione ab Apoplexia, pro quodam nobili viro.
3. De præcautione ab apoplexia, pro alio quodam nobili viro.
4. In epilepſia nocturna, pro quodam nobili iuuene.
5. In paralyſi pro quodam honeſto viro.
6. Pro præſeruatione à phthiſi, pro quodam magnifico viro.
7. In catarrho ſalſo delabēte ad pulmones, eoſque exulcerante, pro eodem.
8. Pro phthiſicis.
9. In palpitatione cordis, pro quodam Theologo.
10. In cordis palpitatione, pro quodam Comite.
11. De renum affectionibus atque calculo, pro quodam nobili viro.
12. In colica, pro quodam Theologo.
13. In colica, & paralyſi ex colica pro quodam nobili viro.
14. In paralyſi ex colica, pro quodam Theologo.
15. In fluxu hæmorrhoidum, pro quodam generoſo Domino.
16. In febri peſtilenti, ſeu morbo, quem vocant, Vngaricum.
17. De præſeruatione à peſte, quibuſdam Morauiæ proceribus præſcriptum.
18. In alopecia, pro quodam Nobili.
19. In rubore faciei, pro quodam nobili viro.
20. De furfuribus, ſcabritie frontis, rubedine faciei, & excoriatione digiti, pro quodam Nobili.
21. De pruritu in capite, pro quodam Nobili.
22. In affectu manuum, humerorum dolore, ac tumore pedum, pro quodam magnifico Domino.
23. De tumoribus articulorum.

Morbi

Morbi puerorum.

24. De catarrhis puerorum ſtrangulationem minitantibus, cum epilepſia.
25. De vermibus, variolis & morbillis puerorum.

Morbi mulierum.

26. In periodico dolore capitis, pro quadam nobili Matrona.
27. In paralyſi dextri lateris, pro quadam honeſta Matrona.
28. In cõuulſione flatulenta, pro honeſta quadam fœmina grauida.
29. In dolore ſtomachi, febri colliquante, virium imbecillitate, & animi deliquio, pro quadam nobili fœmina.
30. In cachexia, pro quadam magnifica Domina.
31. De hydrope monſtroſo.
32. De fluxu ventris & vomitu grauidæ, pro quadam honeſta Matrona.
33. In nimia alui lubricitate, & menſtruis, tum rubris, tum albis, immodice fluentibus, pro quadam honeſta Domina.
34. In nimio menſtruorum fluxu, cum inflatione matricis, & pallore corporis, pro quadam magnifica fœmina.
35. In dolore & ſuffocatione matricis, pro quadam nobili fœmina.
36. In ardore vrinæ, cum exulceratione colli veſicæ, & pudendi ac mictu cruento, pro quadam honeſta Matrona.

Morbi virginum.

37. In menſium retentione, & catalepſi, ex epatis, venarũque oppilatione, pro quadam puella.

Morbi puellarum.

38. In febri quartana, & epilepſia, pro quadam puellula nobili quatuor annorum.

IO. FERNEL:

Methodi medendi 1 lib. 2 cap.

VT fabrica in auro, quæ naturalis eſt materia, opera magnifica & eximia inſculpit ſuperiora naturæ viribus ; & architectura ex lignis & lapidib. ædes templaque exſtruit, quæ architectari natura numquam poſſit : ſic & MEDICINA nonnulla maiora, interdum & præſtantiora gerit, quam natura poſſit efficere: nimirum quod natura inſtinctu ſolo, MEDICINA vero rerum ducatur cognitione ac intelligentia.

CON-

Digitized by Google

CONSILIVM PRIMVM,

IN CATARRHO, PRO quodam Theologo.

QVod Horatius ludens de quodam ait: Præcipue ſanus niſi cū pituita moleſta eſt: id de te vere dici poteſt. Quicquid enim hactenus querelarum de valetudine afflicta audiui (quales fuerunt de catarrhis, de languore ventriculi, de appetentia deiecta, de inflatione ventris, de colicis doloribus, de tumore ſupra inguina, &c.) omnia illa ex pituita originem trahunt. Generatur autem pituita his potiſſimum de cauſis: calor ventriculi iuſto languidior eſt, nec exuſcitatur quotidiano exercitio, atque etiam auocatur à ventriculo ad caput, ſtudiis, cogitationibus profundis, vehemen-

Symptomata pituitoſa.

Quibus ex cauſis pituita generetur.

Digitized by Google

Ignis plus fumi quam flammæ præbens. tia actionis in concionibus. Vbi olla per ſe non eſt firma, & circumponitur ignis, qui plus fumi, quam flammæ ex ſe reddit, nec flamma exuſcitatur flabello, & prunæ inſuper auferuntur ab olla, atque ad alia coquenda adhibentur, quæ poteſt inde ſequi coctio? *Calor non analogos quid faciat.* Cum igitur ad coquendum non adferatur calor ſufficiens, nec flammæ eius excitentur flabello exercitiorum, non poteſt in officina primæ concoctionis exquiſita fieri ciborum elaboratio. Sed quemadmodum quæ in foco coquuntur, ſi igne iuſto deſtituantur, lenta & tenacia euadunt, ac magna ex parte cruda remanent: ita cibi ſi non eo, quo oportebat calore conficiantur, in viſcidam quandam humiditatem degenerant, & cruditates pariunt. Inde nimirum tantus eſt excrementiciarum humiditatum prouentus. *Ortus excrementorum.* Præterea in corporibus noſtris nunquam concoctiones & excretiones tam exacte fiunt, quin ſemper relinquatur aliquid ſuperflui, cuius acceſſione augetur pituitæ copia. Hæ ſunt potiſſimæ in te pituitæ redundantis cauſæ. Nam in aliis valido ventriculo præditis, pituita pro-

procreatur à cibi & potus vſu largiore, qui hic calcaribus magis, quam freno indiget. Præcipua autẽ pituitæ loca in quibus continetur, & membra quæ ab ea affliguntur, ſunt ventriculus, inteſtina & caput. Caput nimio ſtudio & intentione animi in res graues debilitatum eſſe negari nõ poteſt, & ſpiritus animales per multam cerebri defatigationem ad paupertatem redigi neceſſe eſt. Ita affectum caput, non poteſt penſum ſuum abſoluere, hoc eſt, non poteſt alimentum alendo cerebro deſtinatum conficere & cõcoquere: nec rurſus ſuperflua inde nata, vi natiui caloris & ſpirituum conſumi, aut diſſipari poſſunt, præſertim cum ſæpe ab inferiore parte corporis noua & copioſior, quam expediat, materia ſubminiſtretur. Nam plerunque ex ventriculo crudo exhalant, & per ſtudia & negotia ſtatim à cibo ſuſcepta attrahuntur ad caput vapores & fumi craſſi, quos cerebrum, quia nec arcere aduentãtes, nec diſſipare receptos poteſt, iure hoſpitii retinet. Hoc modo repletur caput vaporibus, qui facile in humores condenſantur, veluti in foco appa-

Pituitæ locus.

Vapores cum copioſi ſurſum exhalent.

ret, vbi vapores ex olla elati ad operculum in aquam conuertuntur. Idem quoque in nubium procreatione in aere fieri cernitur, ſed quemadmodum nubes in aere aliquandiu detinentur, & niſi à calore ſolis, aut vi aſtrorum conſumantur aut diſiiciantur, in pluuias aut imbres diſſolnuntur, fitque copioſior aut parcior aquæ delapſus pro magnitudine cauſæ: ita cum caput debile, deſtitutum caloris innati & ſpirituum robore, humiditates ſuperfluas cerebri abſumere, abigere aut diſcutere non poteſt, retinentur ſane aliquandiu, & in priores ſinus cerebri reconduntur, ſed poſtea impetum nactæ per foramina cerebri deſtillant, plus minusve pro materię ratione. Primum autem cum humiditates immoderatius exuperant, fit fluctuatio quædam in capite, quæ eſt quaſi quoddam catarrhi præſagiũ. Poſtea cum materia vel copia grauat, vel qualitas aliqua iritatrix accedit (quales ſunt, frigus exprimens, æſtus colliquans, aut impetuoſa aliqua animi perturbatio) tum initio è capite deſtillat pituita tenuis & aquoſa lentorẽ obtinens, deinde maturitatem

Catarrhi præſagium.

Lapſus catarrhi.

tem ſuam nacto catarrho mucus prodit craſſior, flauo aliquãtulum colore imbutus. Ac primum quidem pituita in cerebro exiſtens inſipida vel dulcis eſt: verum ſi diu in ventriculis cerebri hæreat, ſalſa & acris euadit. Hæc eſt catarrhi è capite decidentis ratio. Sunt porro ſua defluxionibus loca, per quę iter ſuum tenent, cum à cerebro protruduntur. Innocentiſſime catarrhus per oſſa ἠθμοειδῆ in nares delabitur & emungitur, & quanquam præter emungendi moleſtias, caput inde ingraueſcit, & reſpiratio difficilior euadit, nec vox vt ante ſonora eſt: tamẽ quia per meatum cerebro expurgando deſtinatum, pituita prodit & abiicitur, minus inde metuendum periculi, quam cum per alias vias exitum quærit. Maius autem diſcrimen imminet, ſi in partes ſubiectas interiores catarrhi irruant. Protruduntur etiam interdum excrementa capitis ad partes exteriores, vt tubercula & puſtulæ in cute excitentur, ac tum humore expulſo caput quodammodo ab onere moleſto leuari videtur. Hactenus de pituita caput occupante. Nunc ad ea quæ in ven-

Catarrhus per nares innocens.

Catarrhi mot[illegible] ad exteriora.

Promito: communi tecum ſint omnia nobis
Vſui, & augmento creſcat vtrumq; pari.
Dum matura ſeges vicinis prodit ab agris,
Forte tui ingenii ſemina lacte crepant.
Fallor? an incepti conare volumina libri
Edere, præclaro nomine digna tuo,
SCHOLCI: *namque tuum vt ſcripta hæc aliena requirunt*
Iudicium: tua ſic plena laboris erunt.
Namque recenſendi, quos experientia longa
Te docuit, caſus, pars erit innumera.
Magna futura tibi pars exantlanda laborum,
Vt referas, tua quos Ars facit eſſe ſuper.
LAVRE *tuos igitur, circa hæc plantate fluenta,*
Sperato fructus tempore credo dabis.

MAR-

MARTINI WEINDRICHII, M. C.

AD LAVRENTIVM SCHOLZIVM, PHIL. ET MEDICINÆ DOCTOREM, Elegia.

Dum deſiderio, & votis poſcentibus offers
Conſilia, ex illo, quo latuere, ſinu:
Ecquid ab hoc famam laudemque merebere facto,
Gratus & autori munere lector erit?
Dum quid amat, ſed abeſt, cupienter quærit, & optat,
Si datur, vt fas ſit, pro ratione frui.
Abiicit inſanus faſtu, votiq; peracti
Pœnitet, & damnat, quod prius expetiit.
Fallor? An hic etiam Momus conuicia ludet,
Nec ſatis argutos garriet eſſe libros:
Aut emendatos nondum ſatis eſſe libellos,
Vt liber hic rarus liber ab inuidia eſt.
Ne moneare tamen; nam commoda publica quiſquis
Auges, ingratos experiere foris.
Perditur officii ſemper pars maxima, raros
Commendatores, qui benefecit, habet.
At non naſutos metuit, fatuoſque cauillos,
Quem virtus, pluſquam noxia lingua mouet.
Vt ſint cenſores, erit his quoque dos ſua ſcriptis,
Florebuntq; tua publica facta manu.
Perge igitur tali dare maſcula ſcripta fauore,
Qui bonus eſt, animum diliget ille tuum.

Morbi virorum & iuuenum.

1. In catarrho, pro quodam Theologo.
2. In præſeruatione ab Apoplexia, pro quodam nobili viro.
3. De præcautione ab apoplexia, pro alio quodam nobili viro.
4. In epilepſia nocturna, pro quodam nobili iuuene.
5. In paralyſi pro quodam honeſto viro.
6. Pro præſeruatione à phthiſi, pro quodam magnifico viro.
7. In catarrho ſalſo delabēte ad pulmones, eoſque exulcerante, pro eodem.
8. Pro phthiſicis.
9. In palpitatione cordis, pro quodam Theologo.
10. In cordis palpitatione, pro quodam Comite.
11. De renum affectionibus atque calculo, pro quodam nobili viro.
12. In colica, pro quodam Theologo.
13. In colica, & paralyſi ex colica pro quodam nobili viro.
14. In paralyſi ex colica, pro quodam Theologo.
15. In fluxu hæmorrhoidum, pro quodam generoſo Domino.
16. In febri peſtilenti, ſeu morbo, quem vocant, Vngaricum.
17. De præſeruatione à peſte, quibuſdam Morauiæ proceribus præſcriptum.
18. In alopecia, pro quodam Nobili.
19. In rubore faciei, pro quodam nobili viro.
20. De furfuribus, ſcabritie frontis, rubedine faciei, & excoriatione digiti, pro quodam Nobili.
21. De pruritu in capite, pro quodam Nobili.
22. In affectu manuum, humerorum dolore, ac tumore pedum, pro quodam magnifico Domino.
23. De tumoribus articulorum.

Morbi

Morbi puerorum.

24. De catarrhis puerorum ſtrangulationem minitantibus, cum epilepſia.
25. De vermibus, variolis & morbillis puerorum.

Morbi mulierum.

26. In periodico dolore capitis, pro quadam nobili Matrona.
27. In paralyſi dextri lateris, pro quadam honeſta Matrona.
28. In cõuulſione flatulenta, pro honeſta quadam fœmina grauida.
29. In dolore ſtomachi, febri colliquante, virium imbecillitate, & animi deliquio, pro quadam nobili fœmina.
30. In cachexia, pro quadam magnifica Domina.
31. De hydrope monſtroſo.
32. De fluxu ventris & vomitu grauidæ, pro quadam honeſta Matrona.
33. In nimia alui lubricitate, & menſtruis, tum rubris, tum albis, immodice fluentibus, pro quadam honeſta Domina.
34. In nimio menſtruorum fluxu, cum inflatione matricis, & pallore corporis, pro quadam magnifica fœmina.
35. In dolore & ſuffocatione matricis, pro quadam nobili fœmina.
36. In ardore vrinæ, cum exulceratione colli veſicæ, & pudendi ac mictu cruento, pro quadam honeſta Matrona.

Morbi virginum.

37. In menſium retentione, & catalepſi, ex epatis, venarũque oppilatione, pro quadam puella.

Morbi puellarum.

38. In febri quartana, & epilepſia, pro quadam puellula nobili quatuor annorum.

IO. FERNEL:

Methodi medendi 1 lib. 2 cap.

VT fabrica in auro, quæ naturalis eſt materia, opera magnifica & eximia inſculpit ſuperiora naturæ viribus; & architectura ex lignis & lapidib. ædes templaque exſtruit, quæ architectari natura numquam poſſit: ſic & MEDICINA nonnulla maiora, interdum & præſtantiora gerit, quam natura poſſit efficere: nimirum quod natura inſtinctu ſolo, MEDICINA vero rerum ducatur cognitione ac intelligentia.

CONSILIVM PRIMVM,

IN CATARRHO, PRO quodam Theologo.

QVOD Horatius ludens de quodam ait : Præcipue ſanus niſi cũ pituita moleſta eſt : id de te vere dici poteſt. Quicquid enim hactenus querelarum de valetudine afflicta audiui (quales fuerunt de catarrhis, de languore ventriculi, de appetentia deiecta, de inflatione ventris , de colicis doloribus , de tumore ſupra inguina, &c.) omnia illa ex pituita originem trahunt. Generatur autem pituita his potiſſimum de cauſis : calor ventriculi iuſto languidior eſt , nec exuſcitatur quotidiano exercitio , atque etiam auocatur à ventriculo ad caput, ſtudiis, cogitationibus profundis, vehemen-

Symptoma ta pituitoſa

Quibus ex cauſis pitui ta generetu

Ignis plus fumi quam flammæ præbens. tia actionis in concionibus. Vbi olla per ſe non eſt firma, & circumponitur ignis, qui plus fumi, quam flammæ ex ſe reddit, nec flamma exuſcitatur flabello, & prunæ inſuper auferuntur ab olla, atque ad alia coquenda adhibentur, quæ poteſt inde ſequi coctio? Cum igitur ad coquendum non adferatur calor ſufficiens, nec flammæ eius excitentur flabello exercitiorum, non poteſt in officina primæ concoctionis exquiſita fieri ciborum elaboratio. Sed quemadmodum quæ in foco coquuntur, ſi igne iuſto deſtituantur, lenta & tenacia euadunt, ac magna ex parte cruda remanent: ita cibi ſi non eo, quo oportebat calore conficiantur, in viſcidam quandam humiditatem degenerant, & cruditates pariunt. Inde nimirum tantus eſt excrementiciarum humiditatum prouentus. Præterea in corporibus noſtris nunquam concoctiones & excretiones tam exacte fiunt, quin ſemper relinquatur aliquid ſuperflui, cuius acceſſione augetur pituitæ copia. Hæ ſunt potiſſimæ in te pituitæ redundantis cauſæ. Nam in aliis valido ventriculo præditis, pituita

Calor non analogos quid faciat.

Ortus excrementorum.

pro-

procreatur à cibi & potus vſu largiore, qui hic calcaribus magis, quam freno indiget. Præcipua autẽ pituitæ loca in quibus continetur, & membra quæ ab ea affliguntur, ſunt ventriculus, inteſtina & caput. Caput nimio ſtudio & intentione animi in res graues debilitatum eſſe negari nõ poteſt, & ſpiritus animales per multam cerebri defatigationem ad paupertatem redigi neceſſe eſt. Ita affectum caput, non poteſt penſum ſuum abſoluere, hoc eſt, non poteſt alimentum alendo cerebro deſtinatum conficere & cõcoquere: nec rurſus ſuperflua inde nata, vi natiui caloris & ſpirituum conſumi, aut diſſipari poſſunt, preſertim cum ſæpe ab inferiore parte corporis noua & copioſior, quam expediat, materia ſubminiſtretur. Nam plerunque ex ventriculo crudo exhalant, & per ſtudia & negotia ſtatim à cibo ſuſcepta attrahuntur ad caput vapores & fumi craſſi; quos cerebrum, quia nec arcere aduentãtes, nec diſſipare receptos poteſt, iure hoſpitii retinet. Hoc modo repletur caput vaporibus, qui facile in humores condenſantur, veluti in foco appa-

Pituitæ locus.

Vapores cum copioſi ſurſum exhalent.

ret, vbi vapores ex olla elati ad operculum in aquam conuertuntur. Idem quoque in nubium procreatione in aere fieri cernitur, ſed quemadmodum nubes in aere aliquandiu detinentur, & niſi à calore ſolis, aut vi aſtrorum conſumantur aut diſiiciantur, in pluuias aut imbres diſſoluuntur, fitque copioſior aut parcior aquæ delapſus pro magnitudine cauſæ: ita cum caput debile, deſtitutum caloris innati & ſpirituum robore, humiditates ſuperfluas cerebri abſumere, abigere aut diſcutere non poteſt, retinentur ſane aliquandiu, & in priores ſinus cerebri reconduntur, ſed poſtea impetum nactæ per foramina cerebri deſtillant, plus minusve pro materię ratione. Primum autem cum humiditates immoderatius exuperant, fit fluctuatio quædam in capite, quæ eſt quaſi quoddam catarrhi præſagiũ. Poſtea cum materia vel copia grauat, vel qualitas aliqua iritatrix accedit (quales ſunt, frigus exprimens, æſtus colliquans, aut impetuoſa aliqua animi perturbatio) tum initio è capite deſtillat pituita tenuis & aquoſa lentorẽ obtinens, deinde maturitatem

Catarrhi præſagium.

Lapſus catarrhi.

tem ſuam nacto catarrho mucus prodit craſſior, flauo aliquãtulum colore imbutus. Ac primum quidem pituita in cerebro exiſtens inſipida vel dulcis eſt: verum ſi diu in ventriculis cerebri hæreat, ſalſa & acris euadit. Hæc eſt catarrhi è capite decidentis ratio. Sunt porro ſua defluxionibus loca, per quę iter ſuum tenent, cum à cerebro protruduntur. Innocentiſſime catarrhus per oſſa ἠθμοειδῆ in nares delabitur & emungitur, & quanquam præter emungendi moleſtias, caput inde ingraueſcit, & reſpiratio difficilior euadit, nec vox vt ante ſonora eſt: tamẽ quia per meatum cerebro expurgando deſtinatum, pituita prodit & abiicitur, minus inde metuendum periculi, quam cum per alias vias exitum quærit. Maius autem diſcrimen imminet, ſi in partes ſubiectas interiores catarrhi irruant. Protruduntur etiam interdum excrementa capitis ad partes exteriores, vt tubercula & puſtulæ in cute excitentur, ac tum humore expulſo caput quodammodo ab onere moleſto leuari videtur. Hactenus de pituita caput occupante. Nunc ad ea quæ in ven-

Catarrhus per nares innocens.

Catarrhi motus ad exteriora.

Pituita ventriculi. triculo & inteſtinis continetur. Pituita, quæ in ſtomacho gignitur, tenax & viſcida eſt, etiam ſi initio tenuis appareat. Lentorem autem acquirit ex caloris defectu. Calor enim corporis imbecillior eſt, quã vt cruda cõcoquat, & pituitam gigni prohibeat, ac deſunt calori flammæ, quibus iam genita attenuetur, & ad frugem aliquam perducatur. Itaque cogitur & redigitur ad muci conſiſtentiam. Porro ſi oriſicium ventriculi redundet pituita, *Affectus ſequentes pituitam in ventriculo.* imminuitur appetentia, ac propter conſenſum cerebri & cordis animus vireſq; languent. Si verò in fundum ventriculi deſcederit, calor eius à frigiditate pituitæ obtunditur, vt minus concoctioni ſufficiat. Sequitur igitur cruditas & huius ſoboles flatulenta ventris diſtenſio, murmurã alui, ructus, fluctuatio aſſumpti cibi; &c. Augeſcente pituita, oritur nauſea, ab ore profluit aqua pellucida, ſed lentorem habens, frequens adeſt ſputatio, interdum etiam irriti accedunt vomendi conatus. Quod ſi præterea alui deiectiones ſupprimantur, & flatus in ventriculi capacitate coarctati exitum non inueniant, dolore

lore

lore nō modico cruciatur ventriculus. E ventriculo pituita in inteſtina deuoluitur, quæ quia laxa, & anfractibus multis ſeiuncta ſunt, hoſpitium nocituro hoſpiti præbere coguntur. In inteſtinis vero pituita ſatis alioqui per ſe tenax, tantum acquirit lentorem, tantamque craſſitudinem, vt inteſtinis adhæreſcere poſſit, atque hæc eſt, quæ vitrea pituita dicitur, eo quod vitri in modum cōcreta & prodiēs vitro fuſo ſimilis ſit. Deliteſcit illa aliquādiu in inteſtinis & quieta eſt, atque interim ſemper copioſior materia colligitur, & firmius inteſtinis adhereſcit, donec vel aſſumpto aliquo aduerſæ qualitatis cibo irritetur, vel temporis progreſſu cōtinuis acceſſionibus aucta, inteſtinorum capacitatem repleat, & quaſi infarciat. Quod ſi ſimul obſtructio alui à craſſis reſiccatisque fecibus coincidat, tum vitreus ille humor atrociſſime ſæuire incipit, præſertim agitatus tempeſtate congeſtorum & concluſorum flatuum, violenter (negato exitu) erumpere tentantium. Inde fit miſerabilis in ventre diſtentio, contorſio, dilaceratio, & quacunq; ſe flatus tanquam

Pituita vitrea.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Colica. erupturi conuertunt, illic immani cruciatu inſtar perforantis terebelli ventrem lancinant. Hæc quia fiunt in colo inteſtino, quod proprium eſt flatuum receptaculum, proinde dolores illi colici vocantur. Atqui nonnunquam etiam accidit, vt pituita cõgeſta in tumorem attollatur, qui ſpecie externa turgidus, Medicos in errorem inducit, & curationes eorum eludit. Nam cõſpecta tumoris duritie protinus ad emollientia decurrunt, iiſq; inſiſtunt, cum curatio vertenda eſſet ad ablationem cauſæ, hoc eſt, ad pituitæ ex inteſtinis detractionem. Ac res tãdem loquitur ipſa deducta aliqua pituitæ parte, tu-

Hiſtoria. morẽ ipſum deſidere & minui. Libet hic referre, quod Fernelius recitat de legato quodã Caroli V. Cæſaris. Is in ventre tumorem ſentiebat à pituita lenta & concreta ortum. Adhibita ſunt toto ſexennio remedia mollientia, tanquam ſi ſcirrhus emolliendus eſſet. Tandem iniecto clyſtere quiddam durum pedis longitudine detractum eſt. Re inopinata & quaſi prodigioſa perculſus legatus, qui nihil ſimile viderat, in magno metu fuit, ne forte in-

teſtini

teſtini portio excreta eſſet. Sed cũ repente malo tam diuturno leuatus videretur, recepit animum & ſecundum atq; etiam tertium clyſterem adhibuit, ita detracta materia, quæ priori ſimilis erat, priſtinæ valetudini reſtitutus eſt. Alius quidam ſimiliter inteſtina tenaci pituita oppleta habuit, vnde ſuppreſſa eſt aluus, & venter intumuit, atq; ipſe deceſſit è viuis. In anatome illius inuentũ eſt colon inteſtinum pituita concreta vſq; adeo infarctum, vt ſolidum cenſeretur, ac ſimul apparuit ratio, cur nihil fecis per aluum tranſmitti & delabi potuerit. Magno igitur valetudinis incommodo, & præſenti periculo, tenaci pituitæ nidificatio in inteſtinis permittitur, atq; indulgentia erga hunc hoſpitẽ (ſub agnina ſpecie, lupinam ſęuitiam occultantis) ſæpe graui pœna luitur, præſertim cum immaniter graſſanti præcluſi ſunt exitus. Colligitur etiã aliquando, ſed rarius viridis quædã materia in vẽtriculo, quę magnos ſtomachi dolores, perturbationes & anxietates adfert. Ea fit vel à refluxu bilis ex epate in ventriculum, qua inficiũtur & maligna qualitate imbuuntur ac vitiantur contenta in vẽtriculo: vel *Bilis praſſina.*

à corruptione alimentorum, tum eorum quæ ad corruptionem apta ſunt, qualia ſunt: Melones, mala armeniaca, mora, nuces, amygdalæ, dulcia nimio vſu: (facile enim illa in bilem vertuntur) tũ acrium & vitioſorum, vt ſunt cæpe, ſinapi, naſturcium, olus acidum, aromata vehementer calida, &c. Hæc quia nequaquam vinci, concoqui & in ſuccum bonum mutari poſſunt, corrumpuntur & vertuntur in bilem porraceam ſeu πρασοειδῆ vulgo praſinam, quæ viridi flauoq; calore virulentiam ſuam prodit. Hæc vbi cumulatur, & ſupra modum augetur, ſequi in quibuſdã ſolet morbus χολέρα dictus, nempe ingens & truculenta ventriculi perturbatio, vbi viridis illa beſtia intolerabili cruciatu lancinat, torquet & diſtendit ventrem, & cum impetuoſo & violento tumultu, cum anxietate multa & animi deliquio ſuperne & inferne erũpit. Bilis præſentia in ventriculo prodit ſe ſiti ante cibum mendoſa (vt vulgo vocãt.) Nam quæ poſt cibum ſitis viget, oritur plerumque ex cibis ſalſis fumo exiccatis, frixis in butyro, &c. Vbi vero nulla apparet externa

Alimenta in bilem degenerantia.

χολέρα.

Signum bilis praſinæ.

cauſa

cauſa ſitim ante cibum excitans, coniectare oportet, vel bilem vel pituitam ſalſam colligi in ventriculo, aut aliunde irrepere. Cæterum quod concionatores & oratores à concione de ſiti ante cibum conqueruntur, id accidit propter reſiccatos pulmones & trachæam arteriam. Nimia enim vocis contentione areſiunt instrumenta loquelæ, vt humectationem deſiderent, & cor propter abſumptos ſpiritus debilitatum refici poſtulat. Ex his iam apparet, præcipuos vobis vſitatorum morborum fontes eſſe pituitam & bilem, & ab his diuerſa hinc inde excitari ſymptomata, tum pro membrorum diuerſitate: tum pro humorum illorum quantitate, qualitate, vetuſtate, irritatione, &c. Quid igitur agendum, vt obuiam eatur morbis, quos hæc conſtitutio corporis allatura videtur? Mea ſentẽtia nullum certius ad præcauendos morbos compendium eſt, quam vt auferantur cauſæ, ſed ablatio illa cauſarum propter vires minime gigãteas, magna cum modeſtia peragenda eſt. Franguntur enim currus, qui nimium onerantur. Quia igitur cauſæ prin-

Cur oratores ſitiant à concione.

In imbecillibus molliter agendum.

Ignis plus fumi quam flammæ præbens.

tia actionis in concionibus. Vbi olla per ſe non eſt firma, & circumponitur ignis, qui plus fumi, quam flammæ ex ſe reddit, nec flamma exuſcitatur flabello, & prunæ inſuper auferuntur ab olla, atque ad alia coquenda adhibentur, quæ poteſt inde ſequi coctio? Cum igitur ad coquendum non adferatur calor ſufficiens, nec flammæ eius excitentur flabello exercitiorum, non poteſt in officina primæ concoctionis exquiſita fieri ciborum elaboratio. Sed quemadmodum quæ in foco coquuntur, ſi igne iuſto deſtituantur, lenta & tenacia euadunt, ac magna ex parte cruda remanent: ita cibi ſi non eo, quo oportebat calore conficiantur, in viſcidam quandam humiditatem degenerant, & cruditates pariunt. Inde nimirum tantus eſt excrementiciarum humiditatum prouentus. Præterea in corporibus noſtris nunquam concoctiones & excretiones tam exacte fiunt, quin ſemper relinquatur aliquid ſuperflui, cuius acceſſione augetur pituitæ copia. Hæ ſunt potiſſimæ in te pituitæ redundantis cauſæ. Nam in aliis valido ventriculo præditis, pituita pro-

Calor non analogos quid faciat.

Ortus excrementorum.

procreatur à cibi & potus vſu largiore, qui hic calcaribus magis, quam freno indiget. Præcipua autē pituitæ loca in quibus continetur, & membra quæ ab ea affliguntur, ſunt ventriculus, inteſtina & caput. Caput nimio ſtudio & intentione animi in res graues debilitatum eſſe negari nō poteſt, & ſpiritus animales per multam cerebri defatigationem ad pauperiatem redigi neceſſe eſt. Ita affectum caput, non poteſt penſum ſuum abſoluere; hoc eſt, non poteſt alimentum alendo cerebro deſtinatum conficere & cōcoquere: nec rurſus ſuperflua inde nata, vi natiui caloris & ſpirituum conſumi, aut diſſipari poſſunt, præſertim cum ſæpe ab inferiore parte corporis noua & copioſior, quam expediat, materia ſubminiſtretur. Nam plerunque ex ventriculo crudo exhalant, & per ſtudia & negotia ſtatim à cibo ſuſcepta attrahuntur ad caput vapores & fumi craſſi; quos cerebrum, quia nec arcere aduentātes, nec diſſipare receptos poteſt, iure hoſpitii retinet. Hoc modo repletur caput vaporibus, qui facile in humores condenſantur, veluti in foco appa-

Pituita locus.

Vapores cum copioſi ſurſum exhalent.

ret, vbi vapores ex olla elati ad operculum in aquam conuertuntur. Idem quoque in nubium procreatione in aere fieri cernitur, ſed quemádmodum nubes in aere aliquandiu detinentur, & niſi à calore ſolis, aut vi aſtrorum conſumantur aut diſiiciantur, in pluuias aut imbres diſſolnuntur, fitque copioſior aut parcior aquæ delapſus pro magnitudine cauſæ: ita cum caput debile, deſtitutum caloris innati & ſpirituum robore, humiditates ſuperfluas cerebri abſumere, abigere aut diſcutere non poteſt, retinentur ſane aliquandiu, & in priores ſinus cerebri reconduntur, ſed poſtea impetum nactæ per foramina cerebri deſtillant, plus minusve pro ma-

Catarrhi præſagium. teriȩ ratione. Primum autem cum humiditates immoderatius exuperant, fit fluctuatio quædam in capite, quæ eſt quaſi quoddam catarrhi præſagiũ. Poſtea cum materia vel copia grauat, vel qualitas ali-

Lapſus catarrhi. qua iritatrix accedit (quales ſunt, frigus exprimens, æſtus colliquans, aut impetuoſa aliqua animi perturbatio) tum initio è capite deſtillat pituita tenuis & aquoſa lentorē obtinens, deinde maturitatem

tem ſuam nacto catarrho mucus prodit craſſior, flauo aliquãtulum colore imbutus. Ac primum quidem pituita in cerebro exiſtens inſipida vel dulcis eſt: verum ſi diu in ventriculis cerebri hæreat, ſalſa & acris euadit. Hæc eſt catarrhi è capite decidentis ratio. Sunt porro ſua defluxionibus loca, per quę iter ſuum tenent, cum à cerebro prutruduntur. Innocentiſſime catarrhus per oſſa ἠθμοειδῆ in nares delabitur & emungitur, & quanquam præter emungendi moleſtias, caput inde ingraueſcit, & reſpiratio difficilior euadit, nec vox vt ante ſonora eſt: tamẽ quia per meatum cerebro expurgando deſtinatum, pituita prodit & abiicitur, minus inde metuendum periculi, quam cum per alias vias exitum quærit. Maius autem diſcrimen imminet, ſi in partes ſubiectas interiores catarrhi irruant. Protruduntur etiam interdum excrementa capitis ad partes exteriores, vt tubercula & puſtulæ in cute excitentur, ac tum humore expulſo caput quodammodo ab onere moleſto leuari videtur. Hactenus de pituita caput occupante. Nunc ad ea quæ in ven-

Catarrhus per nares innocens.

Catarrhi motus ad exteriora.

Pituita ventriculi.

triculo & inteſtinis continetur. Pituita, quæ in ſtomacho gignitur, tenax & viſcida eſt, etiam ſi initio tenuis appareat. Lentorem autem acquirit ex caloris defectu. Calor enim corporis imbecillior eſt, quã vt cruda cõcoquat, & pituitam gigni prohibeat, ac deſunt calori flammæ, quibus iam genita attenuetur, & ad frugem aliquam perducatur. Itaque cogitur & redigitur ad muci conſiſtentiam. Porro ſi orificiam ventriculi redundet pituita, imminuitur appetentia, ac propter conſenſum cerebri & cordis animus vireſq; languent. Si verò in fundum ventriculi deſederit; calor eius à frigiditate pituitæ obtunditur, vt minus concoctioni ſufficiat. Sequitur igitur cruditas & huius ſoboles flatulenta ventris diſtenſio, murmura alui, ructus, fluctuatio aſſumpti cibi, &c. Augeſcente pituita, oritur nauſea, ab ore profluit aqua pellucida, ſed lentorem habens, frequens adeſt ſputatio; interdum etiam irriti accedunt vomendi conatus. Quod ſi præterea alui deiectiones ſupprimantur, & flatus in ventriculi capacitate coarctati exitum non inueniant, dolore

Affectus ſequentes pituitam in ventriculo.

lore nō modico cruciatur ventriculus. E ventriculo pituita in inteſtina deuoluitur, quæ quia laxa, & anfractibus multis ſeiuncta ſunt, hoſpitium nocituro hoſpiti præbere coguntur. In inteſtinis vero pituita ſatis alioqui per ſe tenax, tantum acquirit lentorem, tantamque craſſitudinem, vt inteſtinis adhæreſcere poſſit, atque hæc eſt, quæ vitrea pituita dicitur, eo quod vitri in modum cōcreta & prodiēs vitro fuſo ſimilis ſit. Deliteſcit illa aliquādiu in inteſtinis & quieta eſt, atque interim ſemper copioſior materia colligitur, & firmius inteſtinis adhęreſcit, donec vel aſſumpto aliquo aduerſæ qualitatis cibo irritetur, vel temporis progreſſu cōtinuis acceſſionibus aucta, inteſtinorum capacitatem repleat, & quaſi infarciat. Quod ſi ſimul obſtructio alui à craſſis reſiccatiſque fecibus coincidat, tum vitreus ille humor atrociſſime ſæuire incipit, præſertim agitatus tempeſtate congeſtorum & concluſorum flatuum, violenter (negato exitu) erumpere tentantium. Inde fit miſerabilis in ventre diſtentio, contorſio, dilaceratio, & quacunq; ſe flatus tanquam *Pituita vitrea.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Colica. erupturi conuertunt, illic immani cruciatu inſtar perforantis terebelli ventrem lancinant. Hæc quia fiunt in colo inteſtino, quod proprium eſt flatuum receptaculum, proinde dolores illi colici vocantur. Atqui nonnunquam etiam accidit, vt pituita cõgeſta in tumorem attollatur, qui ſpecie externa turgidus, Medicos in errorem inducit, & curationes eorum eludit. Nam cõſpecta tumoris duritie protinus ad emollientia decurrunt, iiſq; inſiſtunt, cum curatio vertenda eſſet ad ablationem cauſæ, hoc eſt, ad pituitæ ex inteſtinis detractionem. Acres tãdem loquitur ipſa deducta aliqua pituitæ parte, tumorẽ ipſum deſidere & minui. *Hiſtoria.* Libet hic referre, quod Fernelius recitat de legato quodã Caroli V. Cæſaris. Is in ventre tumorem ſentiebat à pituita lenta & concreta ortum. Adhibita ſunt toto ſexennio remedia mollientia, tanquam ſi ſcirrhus emolliendus eſſet. Tandem iniecto clyſtere quiddam durum pedis longitudine detractum eſt. Re inopinata & quaſi prodigioſa perculſus legatus, qui nihil ſimile viderat, in magno metu fuit, ne forte inteſtini

teſtini portio excreta eſſet. Sed cũ repen-
te malo tam diuturno leuatus videretur,
recepit animum & ſecundum atq; etiam
tertium clyſterem adhibuit, ita detracta
materia, quæ priori ſimilis erat, priſtinæ
valetudini reſtitutus eſt. Alius quidam ſi-
militer inteſtina tenaci pituita oppleta
habuit, vnde ſuppreſſa eſt aluus, & venter
intumuit, atq; ipſe deceſſit è viuis. In ana-
tome illius inuentũ eſt colon inteſtinum
pituita concreta vſq; adeo infarctum, vt
ſolidum cenſeretur, ac ſimul apparuit ra-
tio, cur nihil fecis per aluum tranſmitti &
delabi potuerit. Magno igitur valetudi-
nis incommodo & præſenti periculo, te-
naci pituitæ nidificatio in inteſtinis per-
mittitur, atq; indulgentia erga hunc ho-
ſpitẽ (ſub agnina ſpecie, lupinam ſæuitiam
occultantis) ſæpe graui pœna luitur, præ-
ſertim cum immaniter graſſanti præcluſi
ſunt exitus. Colligitur etiã aliquando, ſed
rarius viridis quædã materia in vẽtriculo,
quę magnos ſtomachi dolores, perturba-
tiones & anxietates adfert. Ea fit vel à re- *Bilis praſſi-*
fluxu bilis ex epate in ventriculum, qua *na.*
inficiũtur & maligna qualitate imbuun-
tur ac vitiantur contenta in vẽtriculo: vel

à corruptione alimentorum, tum eorum quæ ad corruptionem apta ſunt, qualia

Alimenta in bilem degenerantia.

ſunt: Melones, mala armeniaca, mora, nuces, amygdalæ, dulcia nimiò vſu: (facile enim illa in bilem vertuntur) tũ acrium & vitioſorum, vt ſunt cæpe, ſinapi, naſturcium, olus acidum, aromata vehementer calida, &c. Hæc quia nequaquam vinci, concoqui & in ſuccum bonum mutari poſſunt, corrumpũtur & vertuntur in bilem porraceam ſeu πρασώδη vulgo praſinam, quæ viridi flauoq; calore virulentiam ſuam prodit. Hæc vbi cumulatur, & ſupra modum augetur, ſequi in quibuſ-

χολέρα.

dã ſolet morbus χολέρα dictus, nempe ingens & truculenta ventriculi perturbatio, vbi viridis illa beſtia intolerabili cruciatu lancinat, torquet & diſtendit ventrem, & cum impetuoſo & violento tumultu, cum anxietate multa & animi de-

Signum bilis praſinæ.

liquio ſuperne & inferne erũpit. Bilis præſentia in ventriculo prodit ſe ſiti ante cibum mendoſa (vt vulgo vocãt.) Nam quæ poſt cibum ſitis viget, oritur plerumque ex cibis ſalſis fumo exiccatis, frixis in butyro, &c. Vbi vero nulla apparet externa

cauſa

cauſa ſitim ante cibum excitans, coniectare oportet, vel bilem vel pituitam ſalſam colligi in ventriculo, aut aliunde irrepere. Cæterum quod concionatores & oratores à concione de ſiti ante cibum conqueruntur, id accidit propter reſiccatos pulmones & trachæam arteriam. Nimia enim vocis contentione areſiunt inſtrumenta loquelæ, vt humectationem deſiderent, & cor propter abſumptos ſpiritus debilitatum refici poſtulat. Ex his iam apparet, præcipuos vobis vſitatorum morborum fontes eſſe pituitam & bilem, & ab his diuerſa hinc inde excitari ſymptomata, tum pro membrorum diuerſitate: tum pro humorum illorum quantitate, qualitate, vetuſtate, irritatione, &c. Quid igitur agendum, vt obuiam eatur morbis, quos hæc conſtitutio corporis allatura videtur? Mea ſentẽtia nullum certius ad præcauendos morbos compendium eſt, quam vt auferantur cauſæ, ſed ablatio illa cauſarum propter vires minime gigãteas, magna cum modeſtia peragenda eſt. Franguntur enim currus, qui nimium onerantur. Quia igitur cauſæ prin-

Cur oratores ſitiant à concione.

In imbecillibus molliter agendum.

cipales ſunt, pituita, cuius officina eſt vētriculus frigidus(nā inde in reliqua membra diſpergitur)& bilis, quā epar calidum ſubminiſtrat, proinde hos humores leniter euacuari expedit, ſed tum, cum ſuo ipſorum iudicio, tanq̃ ſorices ſe perdunt, nēpe vſitatis ſignis, ſputatione crebra, ſiti, languore vētriculi, catarrho, & aliis ſupra cōmemoratis. Neq; enim quieta atq; otioſa aut ſignorū expers eſt pituita, vel bilis, cum quantitate exuperat, aut mala qualitate imbuta eſt. Hoc rerū ſtatu humores nequaquam exagitari aut raptari, ſed leniter tractari & duci volunt, præſertim in corpore tenero & raræ texturæ. Aliter ſi fiat, furiunt, & magnam corpori inferunt cladem. Ad vtrunq; vero humorē blande è corpore euacuandum, vtilis erit domeſtica illa potiūcula proxime vſurpata, quæ ita apparanda eſt. Sumatur iuris macri è gallina nondum plane cocta, nec dum ſalita, nec aromatibus condita, hauſtulus, isq; maior vel minor pro voluntate, huic veſperi pridie quam bibatur, feruenti adhuc iniiciantur res ſequentes:

Formula purgationis.

℞ Fol. ſenæ ℨ II.

Zinzib.

Zinzib.
Cinnamom. an. ℈ ß.
Fl. roriſmar. p. 1.

Reponatur ollula (cui hæ res inditæ ſunt) ſuper fornacem, aut in alium locum tepidum, vt per noctem vites ex ſpeciebus iſtis extrahantur, & in ius ipſum deponantur. Mane fiat omnium non iuſta, ſed inchoata ſaltẽ ebullitio, ne diutina coctione id quod optimum in iis eſt, exhalet. Eſt enim prædictarum rerum vis omnis in ſuperficie (vt nos appellamus) poſita, & à talibus non extorquenda, ſed elicienda eſt vis, quam quærimus. Eouſq; perducta re, nempe ad ebullitionem, materia omnis per linteum mundum colari, & nonnihil exprimi debet. In liquorem colatum & expreſſum iniicienda eſt manna pondere ℥ 1, eaq; baculo aut cochleari agitanda eſt apud ignem, donec eam diſſolutam eſſe, & in liquorem abiiſſe appareat. Tũ denuo percolãda eſt potiũcula, & calide ebibenda, mane hora 5 vel 6, & differendũ prandiũ, donec 5 horę ſunt expletę. Neceſſe enim eſt euacuationi ſuũ tribui ius ac ſpaciũ. Superfundi etiã paulo ante q̃ bibatur

exiguum aliquid aquæ cinnamomi poteſt, vt potiuncula naribus, palato, & orificio ventriculi gratior ſit, atq; minus infeſtet reuomitio. Hæc potiuncula etſi in ſpeciem exilis videtur, & conſtat materia pauca, rebusq; valde ſimplicibus: tamen ex iis mixtis operatio laudabilis reſultat. Educit enim ſine violentia & incommodo, quæ corpori adempta eſſe expedit, hoc eſt, noxias materias tum pituitoſas, tum bilioſas è ventriculo & inteſtinis, & nonnihil etiam ex capite. Ablata materia minus iam periculi eſt à morbis. Quod ſi forte propter materiæ copiam vna purgatione nō ſatis profectum videbitur, poteſt vſus eius repeti, ſed poſt idoneum interuallum, ne frequentia purgandi, vires nimium atterantur, quas receptas prius eſſe oportet, antequam huius aliquid denuo tentetur. Hanc paruam potiũculam paruo corpori, imbecillo ventriculo, viribusque modicis congruam eſſe arbitror, ad exonerationē ſaburræ corporis à prauis & nocituris (ſi relinquerētur) humoribus. Ab euacuatione inutilis & noxiæ materiæ vertenda eſt cura ad membro-

Medicamenta iteranda.

rum

rum imbecillium & debilitatorum corroborationem, in qua hoc potiſſimū ſpectatur, vt membra, quæ munus in corpore exercent publicum, ad officium reducantur, quo integrius & felicius operas, quibus deſtinata ſunt, obire & perficere poſſint. Deinde vt ſimul etiam amoueantur impedimenta, quę vires recolligere ſe non ſinunt. Nam ventriculi coctionem, vt minus bene concoquat, impedit frigiditas. Itaq; noua ſubinde gignuntur phlegmata & cruditates, quæ poſtea inteſtinis communicantur, & ex iis flatus in colo enaſcuntur. Epati ad bonam ſanguificationem interdum obſtaculo eſt calor, qui increſcens pituitæ ſalſedinem conciliat, & bilem gignit, à qua in ventriculum regurgitante, fiunt ardores ſtomachi, fœtores, ſitis, aliaque mala. Cerebri alacritatem deiicit, & præcipuas eius functiones publicas, (ſenſum & motum) hebetat humiditas ſuperflua, mater defluxionum ad externas & internas corporis partes. Siccitas autem inteſtinorum & fecum incidens facit, vt inutilia in corpore retineantur onera, vnde non ſolum moleſta gra-

Membra debilia reducenda ad officium.

Virium ratio habenda.

Epatis calor.

Siccitas inteſtinorum.

uitate corpus afficitur,& à flatibus venter diſtēditur; ſed grauiter etiā ab aſcēdentib. olidis fumis ſuperiores partes pcelluntur. Hinc apparet, qu͂ā ſit in tuo corpore rerū concordia diſcors, ideoq; prudēter cōfortationē inſtitui neceſſe eſt, ne vni mēbro cōſulturi, incōmodemus alteri. Igitur exonerato à malis humoribus corpore, poſtridie & ſequentibus diebus de condito polychreſto mane circa 7, ſumēda eſt portio quantitate caſtaneæ vel iuglādis. Hoc vētriculū ſimul & caput cōfortat, calefaciendo & exiccādo humiditatis reliquias cordi robur addit, reficiēdo ſpiritus, neq; tamen epatis calorē intendit, aut vlli parti nocumētum adfert. Eaſdē vires obtinent rotulæ, niſi q, paulo magis calefaciunt, & reſiccāt ventriculū & cerebrum, minusq; humectant q̃ conditum. Sed corroborāt efficaciter, pſertim vbi vētriculi & capitis humiditas fortius præſidiū exigere videtur. Reliquis temporibus ſumi interdū de puluere ſtomachali craſſo aliquid poteſt, quātum ſc. tribus digitis cōprehenditur. Is ventriculū calefacit, humiditates exiccat, concoctionē pmouet propter emendatio

Puluis ſtomachalis.

dationē frigiditatis,& capiti quoq; corroborādo vtilis eſt. Egregie etiā ventriculū calefaciūt grana piperis, per mediū diſſecta,& pilluiorum modo deglutita, 7 aut 8. mane duabus ante cibū horis. Hocq; non cōtemnendū ab iis habetur cōmodum ꝙ perfuncta calefaciēdi officio, ita vt deglutita ſunt excernātur,& nullū augmentum calori epatis ꝓbeant. Ad flatus ventriculi aniſum, ad capitis fumos diſcutiendos feniculū, ſemel tantum ſaccharo incruſtatū ꝓdeſt. Ad inhibendam aūt euaporationē coriandrū ſaccharo tenuiter veſtitū vtile eſt. Sed priora duo ante cibū, hoc poſteriꝰ poſt cibum vſurpandū eſt, nempe vt corrugetur & claudatur ventriculus. Si vero ceſſator ſit ventriculus in concoctione,& languidus agat ob inualeſcentem frigiditatem, corrigi eius intemperies, & fulciri robur poteſt externo etiam ſubſidio adhibito ſacculo ſtomachali. Is calefieri debet vel iuxta fornacem, vel ſuper latere ignito, irrorato aliquot guttis vini, vt herbæ inſutę caliditatē concipiant. Ita calefactus imponendus eſt regioni vētriculi, ſed ante cibū vna aut altera hora. Nam cum cibi ſumendi tempus adpetit, remoueri

Piperis grana.

Aniſum pro flatibus. Coriandrum pro vaporibus.

Sacculi.

ſacculum oportet. Neque enim ſimul remediis & cibo concoquendo ventriculus vacare poteſt. Hoc blando & amico fœtu reficitur, & vires recipit vẽtriculus, emendatur frigiditas, augetur calor, promouetur concoctio. Ventriculo bene habente totum corpus alacrius eſt. Quod ſi èpar incaleſcere animaduerſum fuerit, & bilis inde metuatur generatio, vtilem in contemperãdo epate, & reprimenda bile operam nauabit cõditum alterum, quod ita epatis intemperiem emendat, vt interim ventriculum non frigefaciat. Nã quæ ad ſtomachum calefaciendũ addita ſunt, vim ſuam in ventriculum deponunt, antequam reliqua ad epar pertingant. Vſus eſt quantitas caſtaneæ, aut aliquanto amplius. Hæc ſunt potiſſima, eaque familiaria remedia, quibus tu etiam ſine Medici præſentia tuto & vtiliter vti poteris. Reſpicitur autẽ in his ad præcipuas morborum tuorum fomites: quibus ad officium reductis, reliqua membra vel ſponte ſe recolligent, vel facili negotio corrigi & confirmari poterunt. Nam plerumq; reliquę partes ex harum prçcipuarum conſenſu

ſenſu afficiuntur. Inprimis autem aduigilandum eſt, ne alui durities aut obſtructio æque diutius duret, & ſi quando ita induruiſſe excrementa videbuntur, vt reddi nolint, emollitio tentanda eſt per cibos lenientes, vt pruna, mala aſſata, &c. aut etiam per mannam diſſolutam in hauſtulo iuris gallinæ. Si quid præterea corporis tui exegerit conſtitutio, quod Medici officium requirat, in eo præſto ſemper erit mea quantulacunque opera. Oro autem Deum, vt his remediis benedicat, ne illis indigeamus. Craſnæ, 8 Febr. anno 1574. *Aluus nunquam dura diu.*

CASPAR HOFMANVS, ELECTORIS BRANDEB. MED. &c.

SEQVVNTVR MEDICAMENTA, QVORVM IN HOC *conſilio mentio facta fuit.*

Conditum polychreſtum.

℞ Myrobal. chebul. conditor.
Cortic. citri condit.
Limon. condit. an. ℥ vi.
Rad. bugloſſ. condit.
cichor. condit. an. ℥ i.
Zinzib. condit. ℥ ii.

Calam. aromatic. condit. ℥ ß.
Lactucæ hiſpanic. condit. ℥ I.
Cinnam. inciſ. ℈ I.
Macis inciſ. ℈ ß.

Incid. omnia craſſo modo, & add.

Conſer. roſar. ℥ I.
Rob de Ribes ʒ III.
Gelandin. cydonior ℥ I.
Miſc. in formam conditi.

℞ Sp. diaphœnic. ʒ II.
Rhabarb. el. ʒ ß.
Extract. rhabarb. ℈ ß.
Aromatic. roſ. g̃. v.
Extract. calam. arom. g̃. *II.*
Sacch. albiſſ. ℥ *III.* diſſ. in aq. cuſcutæ q. ſ. f. confectio in rotulis.

℞ Glycyrrh. raſæ & inciſ. ℥ I.
Galangæ ʒ II.
Lig. aloes ℈ *IIII.*
Calam. atomatic. ℥ ß.
Macis ʒ *II.* ℈ *II.*
Cinnamom. el. ʒ v*I.*
Nucis cond. ʒ *II.* ℈ *II.*
Caryophyll. ʒ *II.*
Cubebar. ℈ *IIII.*
Zinzib. alb. ʒ v. ℈ *II.*

Confect.

Confect.aniſ.℥ IIII.
carui,
fenicul.
coriand.probatiſ.& ſemel
confect.a.℥ II.
Incid.incid.& ſemina maneāt integra, ac ſint ſaccharo obducta, & f. pul. ſtomach:
℞ Herb.abſinth.
mentæ criſpæ,
origan,
betonic.a.m.I.
maioran.
calamenti,
roſar.rub.a.m.ß.
Sem,aniſ.ʒ III
cymin.℈ II.
Calam.aromatic.ʒ II.
Baccar.lauri ʒ I ß.
Conquaſſ.indantur ſacculo lineo, & cancellatim interſuātur, ac fiat ſacculus quadratus ſtomachalis.

Conditum alterum:

℞ Rad.cichor.condit.℥ I.
bugloſſ.condit.
zinzib.condit.a.℥ ß.
Cortic.citri condit.ʒ V.

Arantior.condit.ʒ III.
Nucis indicæ condit.ʒ II.
Gelandin.cydonior.℥ I.
Cinnam.inciſ.ʒ ß.
Calam.arom.inciſ.℈ I.
Macis inciſ. ℈ ß.
Conſer.roſar.ʒ VI.
Conditis craſſo modo inciſis & aromatibus miſc.in formam conditi.

CONSILIVM II.

De præſeruatione ab opoplexia, pro quodam nobili viro.

Præſeruatio quid. RECTISSIMA à morbis præſeruandi ratio eſt, vt cautio adhibeatur, ne morborum cauſæ corpus occupent. Cum autem ampliſſimus vir à me rationē; qua ab apoplexia tutus eſſe poſſit, expetat, natura huius morbi ex cauſarum inueſtigatione conſideranda. *Apoplexia quid.* Eſt autem apoplexia ſenſus & motus priuatio, quæ fit cū ſpiritus exitum è cerebro nō habet, & vitali aditus è corde ad cerebrum intercluditur. *Cauſa.* Cauſę ſunt vel intēperies ſubſtantię cerebri, vel viſcidus & craſſus humor, ſiue pituitoſus, ſiue melācholicus collectus in cerebro

cerebro, ſiue etiã ſanguinis nimia copia, vel vapor craſſus obſtruens, vt in ebriis. A cerebri intemperie præſeruatio quidem locum habet, curationis vero ſemel introducta intemperie ſpes nulla. Cauemus autem frigidam intemperiem vſu eorũ, quæ calorem cerebri fouent, & ad ſpirituum generationem faciunt, quemadmodum deinceps oſtẽdemus. Ab humore vero cũ obſtructionis periculum imminet, primũ opera dãda recta victus ratione adhibita, ne humor iſte generetur, deinde ſi forte ea in corpore eſt diſpoſitio, vt omnino prouẽtus iſtius humoris caueri nequeat, cito auferatur. Vaporis autem craſſi copia ſola temperantia in victus ratione emendatur. His ita poſitis & conſideratis tota præſeruationis ratio patet. Nam quod ad primam cauſam, videlicet intemperiem cerebri attinet, cauenda primum omnis aeris cõſtitutio frigida & auſtrina, & contra eam caput minuendum. Victus ratio temperata, & quæ ſpiritus foueat, inſtituenda. Itaq; ab vſu vini non abſtinendum, ſed eo temperate vtendum. Somnus non debet eſſe ita prolixus, vt grauitatem ca-

Remedia in frigida intemperie.

Humorum remedia.

Vaporibus reſiſtentia.

pitis poſt eum ſentiamus, neque omnino breuis. Animi intentiones continuæ, quæ ſpiritus abſumunt, & cerebrũ refrigerant vitandæ. Venere rariſſime vtendum. Sed cũ ab hac cauſa rarius apoplexia oriatur, & non niſi vel in extrema ſenecta, vel hominibus in quibus exiguus eſt vigor ſenſuum propter ſpirituum defectũ, ampliſſimo viro ab hac cauſa minime metuo, veruntamen cum continua cerebri fatigatio ad intemperiem frigidam inducendam occaſionem præbere poſſit, horum medicamentorum vſu ſubuenire poterit: accipiatur ſpiritus vini optimi & ſuauiſſimi ℔ I ß. cui infundantur:

Fol. meliſſæ.
Fl. lauendulæ,
lilii conuallii,
anthos,
borragin. an. m. I.
granor. paradiſ. ʒ II.
Cubebar. Cinnamom.
Nucis conditæ an. ʒ I.

Stent bene clauſo vaſe, ne quicquã poſſit exſpirare, per integrum menſem, in loco calido, deinde exprimantur, ac expreſſio vſui

vſui ſeruetur. Hyberno tempore, & cum aer eſt frigidior, ſingulis menſibus in coniūctione Lunæ imbuatur panis albi buccella drachma media huius ſpiritus, eāq; matutinis horis deglutiet, & paululū ſuperdormiet. In ęſtate vero ſumat ex aqua lilii conuallii, vel card. bened. ſimiliter in nouilunio, vt de ſpiritu vini dictū eſt, drachmam vnam ſequētis pulueris: Accipiatur ſuccinum album & teratur cum aqua ceraſorum nigrorū in marmore, huic pulueri adde tantūdem diarrh. abbatis. Hæc duo remedia etiam ſequentibus cauſſis apoplexiam inducentibus ad præſeruationem vtilia ſunt. Nam & humores ipſos corrigunt, & vaporum malitiam emendant, & obſtructionē prohibent. Sed cum humorum copia noxia eſt, nihil ad præſeruationem vel prius, vel melius, quam vt humores auferantur. Proinde ſi ſanguinis copiam veremur, vt tempeſtiue mittatur Medicus conſuli debet. In hoc autem corpore, cum ſanguinis copiam non verear, vacuationem illius multam atque frequentem minime conſulere velim. Pituitæ autem prouentus recta

In apoplexia humores tollendi.

Pituitæ pro-uentus vt cauendus.

victus ratione cauetur. Proinde pituitoſi cibi, vt multorum piſcium eſus, olerum, lacticiniorum, coctorum in ſartagine vitãdus. Varietas etiam cibi, quę plurimum ad cruditates facit, ablegãda, & diligentius ratio caloris ventriculi, cum is ad prouentum pituitoſi humoris faciat, habenda. Interdum aſſumẽdæ pillulæ alephanginæ vel maſtichinæ, aut ex aloe roſata, quas in iſto corpore maxime probarem. Non tam autem præſtãtiſſimo viro à prouentu pituitoſi humoris quã melancholici metuo. Hũc enim occupatis & excellentibus ingeniis infeſtum eſſe à quadrageſimo ad ſexageſimum annum vſque ab Hippocrate docemur. Rectiſſima autem eſt præſeruatio animi à curis, moleſtiis & occupationibus continuis abductio. Verum quomodo in iſto vitæ genere hæc poſſit adhiberi non video. Conuenientiſſimum igitur eſt, vt primum ſeruetur optima victus ratio, deinde humor melancholicus per loca conuenientia euacuetur, & quantum fieri poteſt medicamẽtis idoneis corrigatur. Nulla vero conuenientior euacuãdi ratio, quam per hæmorrhoides.

Ingenioſis & occupatis melancholia eſt moleſta.

Hæmorrhoides.

rhoides. Itaq; ſi vel natura vel arte, vt fluant, impelli poſsũt, maximi remedii loco ſunt. Fomenta autẽ illis ex maluę atq; lini decocto adhibenda ſunt, & intra corpus ſæpe ſcrupulus vnus aloes roſatæ aſſumẽdus. Humor autem melancholicus contẽperatur vſu extracti ſucci meliſſæ & borraginis. Ideoq; ſæpe iſtius ſyrupi cochleare vnum ante prandiũ vel cœnã accipiet,

℞ Syr. è ſucco extract. meliſſ. ℥ III.
è ſucco borragin. ℥ II.
è corticibus citri. ℥ ß.
Syr. aromatic. roſat. ʒ I.
Diamuſc. dulc. tantund.
Miſc. detur in vitro.

Vapores vero ſola victus ratione caueri oſtendi. Poſt cibum tamen ad eos reprimendos hic puluis ſumi poteſt:

℞ Coriandr. præpar. ℥ I.
Cinnamom. el. ʒ II.
Maſtich. ℈ I.
Macis ℈ ß.
Panis albi toſti ℥ III.
Sacchar. albiſſ. ℔ ß. Miſc. f. puluis.

Mane etiam interdum orbiculum ex confectione cum oleo aniſi, ex olei carui,

ſuccini: item, confect. ex ſpeciebus diamoſchi dulc. atque diambræ aſſumere, & interdum theriaca & mithridatio vti plurimum confert. Animi autem affectiones triſtes atq; vehementes concitationes & conſternationes fugiendæ, ac loca ſordida, & aer nocturnus vitãda. Hoc ſi diligẽter obſeruauerit plurimũ præſidii ſecundum benignitatem diuinam in his poſitum re ipſa cognoſcet.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM III.

De præcautione ab apoplexia, pro alio quodam nobili viro.

à Dn. Mart. Weindrichio Latinitate donatum.

AFFECTVS, qui apoplexia nominatur, nihil aliud eſt, quam obſtructio in neruorum principio ſeu cerebro, ita vt animalibus ſpiritibus, qui motum vniuerſo corpori præbent, exitus non pateat, & vitales ſpiritus cor nõ amplius diſtribuat. Vnde totum corpus ſimul reſoluitur, eſt ſine motu & ſenſu, & cor reſpiratione deſtituitur. Huius affectionis nota potiſſima eſt à reſpiratione, quæ vt plus minusve oppri-

opprimitur, ita periculũ maius vel minus exiſtit. Quoniam igitur præſeruatio ab apoplexia à me poſtulatur, faciliorque eſt præcautio morbi, quam præſentis remotio: conſiderandũ ante omnia, quibus ex cauſis ſpiritus animales in cerebro impediantur, vt principes facultates, motusq; corpori ſubtrahantur. Quod ſi vero vna tãtummodo grauiſſimæ iſtius affectionis cauſa eſſet, facile eſſet prę ſeruandi modũ præſcribere. Sed quia plures, diuerſæque concurrunt, nõ vno modo cauſis illis antecedentibus obuiam eundum eſt. Quatuor autem in vniuerſum apoplexiæ cauſæ obſeruatę ſunt: quarũ prima eſt intemperies cerebri, quæ facit, quo minus ſpiritus animales debito modo cõficiantur ac præparentur. Sed iſto modo non ſubito inuadit, ſed ſentiri multo ante imbecillitatẽ cerebri, & facultatũ animaliũ intellectus & memoriæ neceſſe eſt, torporẽ etiã in omnibus actionibus, ſomnolentiã, iracundiam, obliuionẽ. Sæpe adeſt & capitis grauis dolor, & auriũ flatus: corporis etiã totius grauitas, niſi fortaſſe vehemẽte fœtore cerebri tẽperamẽtũ lęſum ſit. Iã ſi ex

Apoplexiæ à cauſis quatuor.

1 Intemperies.

eo fonte metuenda eſt apoplexia, cerebrũ roborari & alterari neceſſe eſt, & inprimis per nares purgetur ſi id fieri poſſit.

Auxilia cõtra intemperiem. Id fit, ſi corpus de conſilio Medici expurgetur, & intẽperies conuenienter emendetur, maxime recta victus ratione, deinde & medicamentis. Victus ratio ſit ſimpliciſſima, ne cerebrum per ſe debile vaporibus repleatur, ſed roboretur. Itaq; vtile eſt vitare omnes cibos, qui ſurſum euaporãt, vt ſunt vina fortia, aut certe parce vti & roſmarino impoſito. Prçterea cerebrum per apophegmatiſmum expurgetur. Mane os aqua ſaluiæ & ſale eluatur. Quotidie vtatur hac cõfectione; quæ ſpiritus refocillat:

♃ Syr. diambræ
Diamoſch. an. ℥ i.
Diſſol. ſacchar. in aq. lauendulæ, & fiat confectio in orbiculis.

Harum rotularum vnam mane edat. Retro aures aqua roriſmar. glandulas fricet, ſæpe maſticet ſemen erucæ cum carui. Hoc remedium maxime ſeruit apoplexiæ ex cauſa ſecũda ortæ, nimirum ex obſtructione cerebri à craſſa & viſcida pituita

II. Altera cauſa, obſtructio à pituita.

pituita : in eo caſu iidem ſingulis diebus theriacæ vel mithridatii portionem fabæ magnitudine deglutiant. Vt autem cerebrũ a pituita liberetur, anniuerſariæ purgationes & pillulæ profuerint: quotidianę itidem frictiones, primum quidẽ in manibus & pedibus, poſtea etiam in dorſo. Conuenit hoc etiam tertiæ cauſæ, cũ ſpiritus à craſſis vaporibus perturbantur & intercipiuntur, quæ quidem cauſa præcipua eſt, qua in tam diſſoluta vitæ ratione cerebrum repletur, ſpiritus corrũpuntur & diſſoluuntur, & hic morbus gignitur. Propterea ebrii, & qui vino nimium delectantur, & coctiones nõ animaduertunt, maxime apoplexiæ obnoxii ſunt vertigine laborant, turbulenta ſomnia habent, turbatur viſus & auditus, non diu tamen. Prȩſeruatur autem cerebrum à craſſis vaporibus non aliter quam victus ratione, cum crapulationes & conuiuia, cibi fumoſi & vina vitantur. Carui vapores diſturbat, ſicut & orbiculi cum oleo carui, aut oleo aniſi. Diuertũtur vapores lotionibus pedum matutinis & frictionibus. Cura etiam habenda ventriculi, ne cu-

III Cauſa, vapores perturbantes ſpiritum.

Ebrii apoplectici.

Contra vapores.

Carui.

mulentur in corpore cruditates, id quod ambræ vſus quotidianus præſtat. Quarta cauſa eſt à plenitudine corporis ſanguinea, vel pituitoſa, vel melancholica: ſi à ſanguine, cauenda quæ augent ſanguinẽ, ſecanda vena, affigendę cucurbitulæ, quę minuunt plenitudinem. Si ab humore pituitoſo vel melancholico oritur, ii humores expurgentur mature adhibita ſena. Sed tamen & cerebrrum roborãdum eſt, naribus oleum ſaluiæ illinendũ, aut aqua roriſmarini attrahenda per nares, & ſi corpus pigrum, torpidum, ſomnolentum, meticuloſum, ſi procliuitas ad iram, eæ cauſæ irritantes tollendæ ſunt. Hæc præſcribi ſigillatim non poſſunt, neque ſtatui quicquam debet, niſi à præſente Medico, conſideranti faciem, num colorata, plena, vel pallida, aut macileñta ſit, aut inflata, & quomodo cæteræ in corpore actiones ſe habeant. Propterea veniam mihi dari volo, quod non omnia peculiariter præſcribo. Si prodeſſe medicamenta debent, victus ratio certa inprimis inſtituenda eſt. Cerebrum nimiis cogitationibus & curis ac negotiis non onerãdum.

IIII. [illegible] ...uitoſa [illegible]

Robo-

Roborandum autem quotidiano vſu rotularum, quas ſupra deſcripſi. Pituita è naribus detrahatur, etiam hoc gargariſmate:

℞ Rad. pyrethri inciſ. ℥ ii.
Zinzib. inciſ. ℥ ß.
Coq. in aq. addendo
Roriſmarin.
Rutæ an. m. i. ad q. ſ. medietatis,
Colaturę add. parum aceti roſac.
& eo ablue os & gargariſa.

Odora carui in nodulum ligatum, intinctum in acetum roſaceum. Vtere theriaca legitimę compoſita. Caput munda ſpongia intincta in aquam ſaluiæ vel roriſmarini. Mane pedes ablue decocto betonicæ, & ſingulis nouiluniis aut pleniluniis ſume drachmam vnam ſuccini albi cum grano ambræ intra corpus in aqua betonicæ vel roriſmarini. Aquæ deſtillatæ, quas vitæ appellant, non omnino reiiciendæ, ſi recte præparentur, de quibus plura hoc loco ſcribere non poſſum, niſi quod aquæ vitæ magis curationi proſunt, maxime vbi nulla ſanguinea plenitudo. In hoc enim caſu vena mature

ſecanda eſt, adhibenda clyſteria fortia, vt ex centaurio minore, cerebrum liberandum ab obſtructionibus fumo. Vſurpandæ & fortes frictiones & ſternutationes, operaque danda, vt cerebro quoquomodo ſuccurratur. Doctus quidam Medicus aſſerem è tabula cupreſſi capiti admouit, & multum profuit, quod ſi haberi non poteſt, eius loco placenta dulciaria (Germ. *Lebenzeltlein*) vſurpari poteſt. Si malum deſinit in paralyſin, tum curatio eius ex methodo inſtituenda eſt. Nam ſi inueteraſcit, nec initio fortia purgantia adhibentur, & ſuccurritur neruorum principio, fruſtra poſtea laboratur. DEVS optimus maximus, hæc quæ præſcripſi, bene fortunet.

Aſſeres cupreſſi in apoplexia.

IOHAN. CRATO A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM IV.

In epilepſia nocturna, pro quodam nobili iuuene.

Victus ratio in epilepſia.

QVOD ad vitæ rationem attinet; hoc vnice cauendum, vt cibi & potus vitentur, à quibus ventriculum, præſertim

os ipſius inflari, diſtēdi, grauariq; contingit. Præterea animaduerti debet, qui cibi peculiariter naturæ, vel grati vel ingrati ſint. Nam contingit vnū aliquem cibum, qui plurimis eſt ſuauis, certo homini noxium eſſe, vel contra. Poteſt id ex eo cognoſci, quod ventriculi os, eo ſumpto, vel mordetur, vel grauatur, vel inflatur, & anxietas quædam, & veluti animi deliquium inducitur. Præterea nocte ita componere ſe debet in lecto, vt caput ſit ſublimius, & mediocriter tectum, vt nec æſtuet, nec frigeat. Prodeſt etiam pedes veſperi ex aqua calida ſæpe abluere, ita tamen, vt vapor aquæ per nares non trahatur in cerebrum, quod fiet ſi caput ad poſteriora reclinetur. Sed lotionem præcedere debent fricationes, cum panis calidis tibiarum, præſertim hyeme, donec incaleſcant, & cutis rubefieri incipiat. Aluus quoque lubrica retineri debet, in quo ſane diligentem eſſe conuenit. Nam aluo reſpondente neceſſarium eſt paroxyſmos eſſe rariores. Ad medicamenta quod attinet, ſecunda aliquando eſt malleolorum vena, & ſanguineis per eam va-

Lotionem præcedat fricatio.

cuandum pro iudicio præſentis medici. *In vere & autumno.* Hæc venæ ſectio tanti eſt, vt multi hac ſola liberati ſint ab iſtis inuaſionibus. Præterea in vſu frequenti habere cõuenit ſyrupum de pomis dulcibus, vti ſeorſum deſcriptus eſt. *Syrupus de pomis.* Huius tantum debet vna vice ſumi, vt binas aut ternas ſedes moueas. Incipiendum à duabus vnciis, & progrediendum, ſi non eouſque purgent, ad tres, & tres cum dimidia vncias, & ad ſummũ quatuor. Sumendus autem eſt (admiſta aqua, vel vino) hora dimidiata ante prandium, aut, ſi lubet, temporius ſumere, horis ante prandium quinq;, mox poſt ſumptum ſyrupum, vel pomũ coctum edendum, vel ouum molle ſorbendum, vel ſaccharum roſaceum ſumendum, vel aliud tale accipiendum. Præterea poteſt huius loco ſumi ſyrupus ex florib. perſicorum, vel prunorum ſylueſtrium, quomodo hîc apud Ezechiã ex noſtra deſcriptione paratur. *Pharmaca purgantia.* hoc ſolum addendum eſt, nempe, vt pro doſi qualibet miſceatur puluis rad. pæoniæ, & granorum excorticatorum ana ʒ ß. Doſis eadẽ eſt quæ ſuperioris, tametſi maior etiam obeſſe non poſſit. Item ſyru-

ſyruporum loco aliquando vti licebit pillulis infra ſeorſim deſcriptis. Item confectione Diaturbith cũ agarico præparata, ſicut in diſpenſatorio habetur. Doſis eſt ℥ ß. Non minus congruit cõfectio Diacitri tabulati; ſicut Ezechias parat, põdere ʒ v. Item ſumi poſſunt Agaricus, turpethum, radix mechoacan, folia ſenæ, qualibet quantitate, & in aqua calida ꝑ horas xxiiij. aut plures macerare in loco calido vaſe diligenter obturato, tandem expreſſo ſucco, aut ficus; aut pruna, aut paſſulas in illũ ſuccum infundere, dum eum totũ combibãt. Deinde aſperſo ſaccharo, vbi prius exſiccata fuerint, ante reliquum cibum edere, ea quãtitate, vt ſedes tot, quot ante diximus, moueat. Hæc ſunt pharmaca purgãtia, quæ diebus quinis; aut ſenis, aut denis, aut duodenis, &c. repetenda ſæpius ſunt, pro circumſtantiis locorum, temporum, &c. In his enim præcipue ratio curationis conſiſtit. Tamen addenda his ſunt etiam alia, vt aquæ, pulueres, olea, poma odorata, veſicas excitantia, denique, ſi res poſtulet, cauteria. Aquarum deſcriptionem dabit pharmacopæus Ezechias.

De his primo die poſt nouilunium, poſt plenilunium, & poſt ambas quartas, ſummo mane ſumendum eſt cochlear vnum, aut ad ſummum duo, cum duabus rotulis confectionis noſtræ cum caſtoreo, & ſine eo, apud eundem pharmacopœum deſcriptæ. Pręterea vtile eſt eaſdem aquas etiam veſperi ſumere, cum quis paroxyſmum metuit: præſertim vero hyeme, & cum ſobrie cœnauit. Deſcripſi aliã quoq; aquam ex hirundinibus concinnatam, quæ priore minus quidem eſt ſuauis, at non minus efficax. Poterit ergo, qui volet vna ex his omnibus vti, quam ſibi magis conuenire animaduerterit. Ad puluerem quod attinet, ſumi debet ʒ 1. aut ʒ 1. ß. aut ad ſummum ʒ 11, horis 11 vel 111 ante paſtum mane. Sed hoc illis diebus faciendum eſt, quibus neq; de aquis prædictis, neque de aliis medicaminibus, maxime vero purgatoriis, aliquid ſumitur. Item in anno bis, autumno & vere, purgãdum eſt corpus, & aliquando vena malleoli, nempe in anno ſemel ad minimum, ſicut antea fuit dictum, aperienda. Poſt autumnalem purgationem profuerit in

Aqua ex hirundinibus.

fine

ſine ceruicis propè ſcapulas veſicatoria admouere, & ruptis veſicis aquam ſinere effluere per dies multos, donec ſponte deſinat. Veſica autem folio braſſicæ molli recenti butyro inuncta, mane & veſperi eſt tegenda. Item olei rutacei, quod per diſtillationem ex ruta elicitur, guttulis aliquot coronalis ſutura inungatur, cum paroxyſmus aut metuitur, aut moleſtus nuper fuit. Prodeſt etiam eiuſdem olei ſingulas guttas veſperi calidas in ſingulas aures infundere, & goſſipio calido, ne ventus aut aër penetret, obturare. quod cum factum eſt, vino calido in quo mētha, ruta & radices pæoniæ bullierint, poſtridie mane abluendæ ſunt. Porro odorato vtatur perpetuo hyeme: præſertim cum aer nubilus eſt, & pluuius. Nam æſtate ſufficit roſas, poma cydonia, & redolentes alios fructus, aut flores in manibus geſtare. Denique ſæpe debet mane loco ſupra dicti pulueris edi nucis myriſticæ in India conditæ pars quarta, aut dimidia. Item cum parte pulueris permiſceri poteſt conſerua fl. bethonicæ, aut pæoniæ, aut verbaſci odorati, aut florum

roriſmarini, aut garyophyllorum noſtratium. Omnes enim hæ conſeruæ etiam per ſe ſolæ ſumptę plurimum conducunt, quemadmodum & Myrobalani conditi.

THOMAS ERASTVS,
MED. &c.

Sequitur medicamentorum quorundam, ex iis, quorum mentio facta eſt, deſcriptio:

℞ Syr. aromatic. garyophyll.
diamoſch. dulc.
Sem. pæoniæ excortic.
Rad. pæon. a. ʒ j.
Cinnamom.
Galangæ,
Caryophyll.
Macis,
Ligni aloes an. ℈ j.
Sem. aniſi,
fenicul. a. ℈ j ß.
Sacch. roſac. tabulat. ℥ vi. Miſ. f.
tragæa.

℞ Roriſmarini,
Maioranæ an. p. i.
Cortic. arantior. aut citri ʒ ii.

Sem.

Sem. pæon. excortic. ℥ I.
Ligni aloes pul. ℥ I. ß. Bulliant in iure carnium.

℞ Syr. de ſucco citri,
de Mentha a. ℥ v. Miſc.

℞ Syr. aromatic. garyophyll. ℥ II.
Rad. pæoniæ,
Sem. eiuſdem excortic. an. ℥ I. ß.
Cinnamom.
Zinzib.
Garyophyll. an. ℥ I. ß.
Lig. aloes ℈ II.
Sacch. roſac. tabul. ℥ v. Miſc. f. puluis.

℞ Ol. rutacei deſtillat. gutt. VII.
Matricariæ deſtill. gutt. III.
Irin.
lumbricor. a. ℥ I. Miſc.

℞ Rad. Mechoacan ℥ I.
Turpethi ping. ℥ ß.
Diagryd. gr. II.
Macis,
Spicæ a. gr. III. Miſc.

℞ Fol. ſenæ ℥ ß.
Turpethi,
Rad. Mechoac. an. ℥ III.

Digitized by Google

Rhabarb. ʒ ij.
Lathyrid. gr. xv.
Paſſular. ℥ ß.
Cinnamo,
Zinzib. an. ℈ ij.
Rad. pæoniæ ʒ j. ß.

Contuſa omnia macerentur in aq. hiſſopi q. ſ. per quartam horæ partem, deinde in infuſione ſeruentur bene tecta ſuper calidis cineribus, demum exprimantur forti expreſſione:

℞ huius aquæ q. libet, vt ℥ iij.
Syr. de pomis ℥ iiij,

Miſc. & bulliant ferme ad aquæ abſumptionem.

℞ Supradicti decocti q. videtur.

Iniiciantur paſſulæ, vt combibant humorem eum totum. Si non poſſunt, iniiciantur aliæ, deinde in vmbra exiccentur, & cum ferme ſunt ſiccatæ ſunt, conſpergantur cinnamomo & ſaccharo.

CONSILIVM V.

In paralyſi, pro quodam honeſto viro.

ETSI difficile eſt, de paralyſi ægroti iſtius, ignoratis circumſtantiis reliquis,

quis, certi aliquid pronunciare: tamen ne officio meo videar defuiſſe, quædam ad curationem mali pertinentia perſtringã. Victus in primis ratio proba ſit, quam ei Medicus, cuius opera vel vſus eſt, vel vtetur, ex præſcripto artis ſuggeret. Purgationibus hoc autumno vtatur lenibus & frequentibus, puta.

℞ Aq. diſtillat. Guaiaci, vel ſi illa non habeatur, decocti cortic. Guaiac. ℥ III.
Aq. ſaluiæ,
Betonic. an. ℥ ß.
Abſinth. ℥ ß.
Infunde in iis per noctem;
Fol. ſenæ el. ʒ VI.
Zinzib. ʒ I.
Agaric. trochiſc. ℈ II.

Mane facta colatura, add. ſyr. roſac. ſolut. ℥ II. cum aqua cinnamom. vel meliſſæ aromatiſetur. Sumat mane quatuor horis ante prandium, continuet per octiduum eandem doſin, vel auctam, vel imminutam, prout Medico commodum videbitur. Cæterum cum bis vel ter ea vſus erit, diem vnum quieſcat vel alterum, & poſt-

ea venam aperiat baſilicam oppoſiti lateris: biduum alterum interiiciat quietis, redeat poſtea ad potiones tres, vel quatuor. Iis perfunctis ad ſudores veniendum. Incoquantur iuſculo carnis radices aperitiuæ petroſelini, & feniculi, aut alterius aq. Guaiaci, vel decoctum eius dilutius. Huius ſumat quolibet mane & veſperi ℥ IV. & inſtillet guttas XXIIII vel XXX. eius liquoris quem paratum habet. Componat ſe ad ſudorem, eique ad minimum per horas duas incumbat, ſed vt poſt horam demum cibum ſumat. Veſperi repetat ſudorem, dummodo ferre poſſit, ſin minus mane tãtum. Victu vtatur parce, qualis in vſu Guaiaci præſcribi ſolet, paulo liberaliore. Cum per dies ſex ſudarit, partis quoque affectæ cura habeatur, ita quidem, vt mane, prius quam ſeſe ad ſudorem componat brachium & pes affectus linteo aſpero fricetur, madefacto vrina puerorum, in qua ſal vſtulatum fuerit diſſolutum, vtputa, in vna menſura vrinæ manipulus vnus ſalis. Poſt ſudorem pars inungatur ol. lumbricorum, coſtino, chamæmelino, roſato, ana. Si odorem

rem ferret, poſſet addi parum de oleo caſtorei, & gutta vna vel altera ol. ſuccini.

THEODORVS ZVINGERVS, MED. &c.

CONSILIVM VI.

Pro præſeruatione à phthiſi, pro quodam Magnifico viro.

HIc Nobilis & clariſſimus Dominus valde exoptat corpus ſuum in priſtina ſua ſanitate cõſeruari, & quod multis ex ſua familia cõtigit, à phthiſi præſeruari. Nominant autem phthiſicos, Medici veteres, non ſolum eos, quorũ cum vlcere pulmonis tabeſcunt corpora, poſt ſanguinis expuitionẽ: verumetiam, qui tabi ſunt opportuni, vt qui anguſto & ſtricto ſunt thorace, & qui πτερυγώδεις. i. alati dicuntur; præterea quibus caput facile repletur, & deſtillationes patiuntur ad pulmonem, ſiquidem hi facile tabeſcunt, eoq; magis ſi capitis imbecillitas vna ad thoracis anguſtiã iungatur. Igitur ſingulis annis ineunte

Phthiſici, qui antiquis.

πτερυγώδεις.

vere mittat ſanguinem è baſilica dextra per vices, mane ſcilicet ieiuno ſtomacho ℥ IV. Sic veſperi tantundem, expulſis prius ſuperfluitatibus fecum & vrinæ. Deinde mali humores purgentur, præmiſſis prius ſyrupis concoquentibus:

℞ Syr. de portulac. ℥ II.
Aq. portulac. ℥ IV.
Continuetur per decem dies.

Poſtea capiat ℥ III. mannæ orientalis diſſol. in ſ. q. decocti pectoralis. Per interualla vtatur his pillulis, quando vadit dormitum, ſingulis duabus hebdomadis, exceptis temporibus magni æſtus & frigoris.

℞ M. pillul. aſſaiareth.
de agaric.
aureat. an. ℈ I.
Cum aq. portulac. f. pill. num. VII.

Deinde toto menſe Maii, lac aſinæ aut capræ, aut in horum defectu, lac bubulum potet, cuius menſura ſit 10. aut 12. vnciarum, ſimul ac emulctum eſt, cum modico ſaccharo; quo epoto non dormiat, neque ſe exerceat. Cæteris diebus

vtatur hoc electuario mane & veſperi capiendo ʒ VI. pro vice:

℞ Pulpæ pectoris caponis vel perdicis coctæ ℥ III.
amygd. dul. excortic. ℥ I.
Pinear. mundat. infuſ. in aq. roſac. & & exiccat. ℥ I.
Fiſticor. recent. ʒ I.
Iniubar. num. XIII.
4. ſem. frigid. maior. ℥ ß.
Sem. maluæ ʒ II.
portulac.
Paſſul. enucleat.
Sebeſten mundat.
Liquiritiæ raſæ an. ℥ ß.
aniſi ℥ I.
Tragacanth.
Gummi arab.
Sy. el. reſumptiu.
Aromatic. roſac.
Diatrion ſantal. ſine camphora an. ʒ II.
Margarit. præpar.
Sy. el. de gemmis ſ. ſpeciebus calidis a. ʒ I. ß.
Penidiar. part. II.

Sacchar. albiſſ. part. j. de ambabus.

Incid. minutim incidantur, piſtentur, & puluerifanda puluerifentur, & cum aquæ violar. f. electuarium, vel confectio ſolida: Tempore magni caloris & æſtus mane & veſperi vtatur ſaccharo roſato ad quantitatem ℥ ß. & ſuperbibantur aquæ portulacę ℥ v. Vtatur cibis boni ſucci, neq; ſe multum repleat, potiſſimum in cœna, quam interdum intermittat, & vehementia animi accidentia fugiat.

HELIDÆVS DE PADVANIS, MED. BONONIENSIS, &c.

CONSILIVM VII.

In catarrho ſalſo delabente ad pulmones, eosque exulcerante, pro eodem.

EX his, quæ mihi innotuerunt per informationē datam, apparet hunc nobilem Dominum macilentæ habitudinis, laborare catarrho difficili & ſalſo, qui deſtillat ad thoracē & pulmonē, & eſt cauſa vlceris pulmonis, quod comitari ſolēt febres lentæ, cum maxima totius corporis macie. Vigent autem maxime tales deſtillatio-

lationes vere & autumno, ob iſtorũ temporum aëris inæqualitatẽ. Vnde corpora ad tabem diſpoſita plurimum læduntur, teſte Hippo. qui autumnũ tabidis inimicum dixit, ſiue intelligamus actu tabidos, vel diſpoſitos ad tabẽ. Cupit itaq; hic nobilis Dominus, vt ipſi præſcribatur victus, & dentur medicamenta reſtringentia, ſi quando ſanguinem è pectore & pulmone reiiceret. 3. vt ſuccurratur deſtillationi ad pectus. 4. vt præſcribantur nutritiua & confortatiua, quibus quotidie vti poſſet. Ad profligandos hos affectus triplici vtar inſtrumento, diæta, pharmaca & chirurgia. Eligatur itaq; aër in actiuis temperatus, vel ſaltem ad modicam frigiditatem inclinans, in paſſiuis ad ſiccum. Euitetur aer ventoſus, pluuioſus, valdẽ frigidus & calidus. Caueat etiam ſolis & lunę radios, hi enim catarrhum multiplicant, caput & thorax diligenter pannis muniatur, vt tamen non æſtuet, neq; frigeat nimiũ. Exercitium ſit moderatum ſine magna tamen corporis agitatione, ſingulis dieb. ſtudeat excernere ſuperfluitates fecum & vrinæ. Somnus ſit potius nocturnus, diurnus e-

Quo tempore ſalſæ deſtillationes frequentes.

In ſanguinis reiectione quid agendum.

I. *Diæta.*

nim peſſimus eſt. Dormiat de nocte horas VII, capite eleuato, & bene tecto, ſaltem duabus horis à cœna. Fugiat coitum, & animi accidentia. Panis ſit ex optimo frumento, bene fermentatus, ſed ſine ſale. Carnes ſint facilis digeſtionis, boni nutrimenti, & paucarum ſuperfluitatum. E quadrupedibus hœdinæ, veruecinæ, vitulinæ; & maxime extremitates horum; leporinæ quoque interdum admittuntur. Ex volatilibus, phaſiani, perdices, atagenæ, & aues nemorales, aquaticæ vitãdæ. Fercula ſint ex hordeo, farre, milio, oryza, ex pane loto & ouis, ſed fercula noctu dimittãtur, quia cœna debet eſſe leuior prandio. Euitetur caſeus antiquus, ſed nouus conuenit, & lac quouis modo aſſumptum, ſic oryza cum lacte cocta, & oua ſorbilia. Piſces cõueniunt ſaxatiles, è mari libero, potiſſimum ſquamoſi. Euitentur allia, cæpe, porrum, raphanus, aromata, ſalſa, & acetum. Potus ſit aqua cum ſaccharo, & ſem. corian. decocto. Quantum ad medicamenta vere & autumno, capiat hoc digeſtiuum calidum in aurora per 10. dies:

II. *Pharmaca.*

℞ Syr.

℞ Syr. de papau.
violar. an. ℥ ij.
Aq. violar.
ſarfaræ,
tuſſilag. an ℥ ij. Miſc.

Poſtea purgetur corpus hoc medicamento:

℞ Mannæ el. ℥ iij.
Cum decocto pectorali, in quo bullierint:
Agaric. trochiſc. ℈ ij. f. potio.

Quod ſi ſanguinem exſpueret, vel etiam non exſpueret, laudarem ineunte vere ſanguinis miſſionem per interualla, vt dixi in priori cõſilio, è baſilica dextra. Hæc enim à ſputo ſanguinis præſeruat. Mane & veſperi, ſi ſanguinem exſpueret, capiat ʒ j. Philonii perſici, aut tantundem noſtri electuarii ad ſputum ſanguinis, quod eſt mirabile: III. *Chirurgica.*

℞ Sem. Hyoſcyami alb.
Papauer. alb. an. ʒ x.
Terræ ſigill.
Corall. rub. an. ʒ v.
Sacch. roſa. antiquiſſ. q. ſ. f. electuariũ.

Aut cõtinue lambat de hoc electuario:

℞ Looch de portulac.
Diatragac. cum bolo a. ℥ I.
cum ſyr. de papauer. q. ſ. f. electuarium.

Interdum ſub ingreſſum lecti ad ſiſtendum catarrhum & ſanguinē capiat hanc pillulam:

℞ Pill. de cynogloſ. gr. VIII. f. pillula vna.

Caput per interualla euacuetur, cum pillulis in priori conſilio ordinatis. Diuertatur etiam catarrhus, cum ligaturis & fricationibus brachiorum & tibiarum, & ponendo ventoſas ſine ſcarificatione ad coxas, & lauando crura tali lauacro:

℞ Roſar. rub.
fl. nymphex,
violar.
betonic.
chamomill. an. m. I.

Coq. in ſ. q. aquæ fluuialis, & abluantur crura. Reuellatur etiam catarrhus ad cutis capitis ſuperficiem, ſicut fecit Galenus in illa nobili Romana 5. Method. hoc medicamento ſecuro & tuto:

℞ Cãtharid. abſciſſis alis & capitib. ʒ I.

Cari-

Caricar. pinguium n. j.
Fermenti parum,
cum aceto ſcillitico f. paſta,

& mane abraſo capite ſuper ſutura coronali imponatur; dimittatur per horas octo, vbi excitauerit veſicam, acu rumpatur; & locus inungatur butyro, ſuperpoſito folio caulis ſupra cineres calefacto, mane & veſperi, ne fiat vnio partium. Si hoc non ſuffecerit fiat cauterium actuale in ſutura coronali circa initium Maii; capillis abraſis, & locus atramento notatus, candente ferro vratur vſque ad pericraneum; & ſtatim imponatur ſtupp infuſa in albumine oui cum aqua roſarũ & aceto. Deinde ad octo horas imponatur butyrum contuſum cum folio caulis, & ſic mane & veſperi locus emplaſtretur; donec decidat eſchara: quo facto imponatur in foramen granum ciceris; & ſupra folium hederæ, ſicque diu detineatur locus apertus. Hoc enim remedio multos actu phthiſicos priſtinæ ſanitati reſtitui. Etſi autem videri poſſit abominandum medicamentum, tamen tutiſſimum eſt, & ſine aliqua *Cauterium.*

ea venam aperiat baſilicam oppoſiti lateris: biduum alterum interiiciat quietis, redeat poſtea ad potiones tres, vel quatuor. Iis perfunctis ad ſudores veniendum. Incoquantur iuſculo carnis radices aperitiuæ petroſelini, & feniculi, aut alterius aq. Guaiaci, vel decoctum eius dilutius. Huius ſumat quolibet mane & veſperi ℥ iv. & inſtillet guttas xxiiii vel xxx. eius liquoris quem paratum habet. Componat ſe ad ſudorem, eique ad minimum per horas duas incumbat, ſed vt poſt horam demum cibum ſumat. Veſperi repetat ſudorem, dummodo ferre poſſit, ſin minus mane tãtum. Victu vtatur parce, qualis in vſu Guaiaci præſcribi ſolet, paulo liberaliore. Cum per dies ſex ſudarit, partis quoque affectæ cura habeatur, ita quidem, vt mane, prius quam ſeſe ad ſudorem componat brachium & pes affectus linteo aſpero fricetur, madefacto vrina puerorum, in qua ſal vſtulatum fuerit diſſolutum, vtputa, in vna menſura vrinæ manipulus vnus ſalis. Poſt ſudorem pars inungatur ol. lumbricorum, coſtino, chamæmelino, roſato, ana. Si odo-
rem

rem ferret, poſſet addi parum de oleo caſtorei, & gutta vna vel altera ol. ſuccini.

THEODORVS ZVINGERVS, MED. &c.

CONSILIVM VI.

Pro præſeruatione à phthiſi, pro quodam Magnifico viro.

HIc Nobilis & clariſſimus Dominus valde exoptat corpus ſuum in priſtina ſua ſanitate cōſeruari, & quod multis ex ſua familia cōtigit, à phthiſi præſeruari. Nominant autem phthiſicos, Medici veteres, non ſolum eos, quorū cum vlcere pulmonis tabeſcunt corpora, poſt ſanguinis expuitionē: verumetiam, qui tabi ſunt opportuni, vt qui anguſto & ſtricto ſunt thorace, & qui πτερυγώδεις. i. alati dicuntur; præterea quibus caput facile repletur, & deſtillationes patiuntur ad pulmonem, ſiquidem hi facile tabeſcunt, eoq; magis ſi capitis imbecillitas vna ad thoracis anguſtiā iungatur. Igitur ſingulis annis ineunte

Phthiſici, qui antiquis.

πτερυγώδεις.

vere mittat ſanguinem è baſilica dextra per vices, mane ſcilicet ieiuno ſtomacho ℥ IV. Sic veſperi tantundem, expulſis prius ſuperfluitatibus fecum & vrinæ. Deinde mali humores purgentur, præmiſſis prius ſyrupis concoquentibus:

℞ Syr. de portulac. ℥ II.
Aq. portulac. ℥ IV.
Continuetur per decem dies.

Poſtea capiat ℥ III. mannæ orientalis diſſol. in ſ. q. decocti pectoralis. Per interualla vtatur his pillulis, quando vadit dormitum, ſingulis duabus hebdomadis, exceptis temporibus magni æſtus & frigoris.

℞ M. pillul. aſſaiareth.
de agaric.
aurear. an. ℈ I.
Cum aq. portulac. f. pill. num. VII.

Deinde toto menſe Maii, lac aſinæ aut capræ, aut in horum defectu, lac bubulum potet, cuius menſura ſit 10. aut 12. vnciarum, ſimul ac emulctum eſt, cum modico ſaccharo; quo epoto non dormiat, neque ſe exerceat. Cæteris diebus

vta-

vtatur hoc electuario mane & veſperi capiendo ʒ vi. pro vice:

℞ Pulpæ pectoris caponis vel perdicis coctæ ℥ iii.
amygd. dul. excortic. ℥ i.
Pinear. mundat. infuſ. in aq. roſac. & & exiccat. ℥ i.
Fiſticor. recent. ʒ i.
Iniubar. num. xiii.
4. ſem. frigid. maior. ℥ ß.
Sem. maluæ ʒ ii.
portulac.
Paſſul. enucleat.
Sebeſten mundat.
Liquiritiæ raſæ an. ℥ ß.
aniſi ℥ i.
Tragacanth.
Gummi arab.
Sy. el. reſumptiu.
Aromatic. roſac.
Diatrion ſantal. ſine camphora an. ʒ ii.
Margarit. præpar.
Sy. el. de gemmis ſ. ſpeciebus calidis a. ʒ i. ß.
Penidiar. part. ii.

Digitized by Google

Sacchar. albiſſ. part. j. de ambabus.

Incid. minutim incidantur, piſtentur, & pulueriſanda pulueriſentur, & cum aqua violar. f. electuarium, vel confectio ſolida. Tempore magni caloris & æſtus mane & veſperi vtatur ſaccharo roſato ad quantitatem ℥ ß. & ſuperbibantur aquæ portulacę ℥ v. Vtatur cibis boni ſucci, neq; ſe multum repleat, potiſſimum in cœna, quam interdum intermittat, & vehementia animi accidentia fugiat.

HELIDÆVS DE PADVANIS, MED. BONONIENSIS, &c.

CONSILIVM VII.

In catarrho ſalſo delabente ad pulmones, eosque exulcerante, pro eodem.

EX his, quæ mihi innotuerunt per informationē datam, apparet hunc nobilem Dominum macilentæ habitudinis, laborare catarrho difficili & ſalſo, qui deſtillat ad thoracē & pulmonē, & eſt cauſa vlceris pulmonis, quod comitari ſolēt febres lentæ, cum maxima totius corporis macie. Vigent autem maxime tales deſtillatio-

lationes vere & autumno, ob iſtorũ temporum aëris inæqualitatẽ. Vnde corpora ad tabem diſpoſita plurimum læduntur, teſte Hippo. qui autumnũ tabidis inimicum dixit, ſiue intelligamus actu tabidos, vel diſpoſitos ad tabẽ. Cupit itaq; hic nobilis Dominus, vt ipſi præſcribatur victus, & dentur medicamenta reſtringentia, ſi quando ſanguinem è pectore & pulmone reiiceret. 3. vt ſuccurratur deſtillationi ad pectus. 4. vt præſcribantur nutritiua & confortatiua, quibus quotidie vti poſſet. Ad profligandos hos affectus triplici vtar inſtrumento, diæta, pharmaca & chirurgia. Eligatur itaq; aër in actiuis temperatus, vel ſaltem ad modicam frigiditatem inclinans, in paſſiuis ad ſiccum. Euitetur aer ventoſus, pluuioſus, valdè frigidus & calidus. Caueat etiam ſolis & lunę radios, hi enim catarrhum multiplicant, caput & thorax diligenter pannis muniatur, vt tamen non æſtuet, neq; frigeat nimiũ. Exercitium ſit moderatum ſine magna tamen corporis agitatione, ſingulis dieb. ſtudeat excernere ſuperfluitates fecum & vrinæ. Somnus ſit potius nocturnus, diurnus e-

Quo tempore ſalſæ deſtillationes frequentes.

In ſanguinis reiectione quid agendum.

I. *Diæta.*

nim peſſimus eſt. Dormiat de nocte horas VII, capite eleuato, & bene tecto, ſaltem duabus horis à cæna. Fugiat coitum, & animi accidentia. Panis ſit ex optimo frumento, bene fermentatus, ſed ſine ſale. Carnes ſint facilis digeſtionis, boni nutrimenti, & paucarum ſuperfluitatum. E quadrupedibus hœdinæ, veruecinæ, vitulinæ; & maxime extremitates horum; leporinæ quoque interdum admittuntur. Ex volatilibus, phaſiani, perdices, atagenæ, & naues nemorales, aquaticæ vitãdæ. Fercula ſint ex hordeo, farre, milio, oryza, ex pane loto & ouis, ſed fercula noctu dimittantur, quia cœna debet eſſe leuior prandio. Euitetur caſeus antiquus, ſed nouus conuenit, & lac quouis modo aſſumptum, ſic oryza cum lacte cocta, & oua ſorbilia. Piſces cõueniunt ſaxatiles, è mari libero, potiſſimum ſquamoſi. Euitentur allia, cæpe, porrum, raphanus, aromata, ſalſa, & acetum. Potus ſit aqua cum

II. *Pharmaca.* ſaccharo, & ſem. corian. decocto. Quantum ad medicamenta vere & autumno, capiat hoc digeſtiuum calidum in aurora per 10. dies:

♃ Syr.

℞ Syr. de papau.
violar. an. ℥ ij.
Aq. violar.
farfaræ,
tuſſilag. an ℥ ij. Miſc.

Poſtea purgetur corpus hoc medicamento:

℞ Mannæ el. ℥ iij.
Cum decocto pectorali, in quo bullierint:
Agaric. trochiſc. ℈ ij. f. potio.

Quod ſi ſanguinem exſpueret, vel etiam non exſpueret, laudarem ineunte vere ſanguinis miſſionem per interualla, vt dixi in priori cōſilio, è baſilica dextra. Hæc enim à ſputo ſanguinis præſeruat. Mane & veſperi, ſi ſanguinem exſpueret, capiat ʒ j. Philonii perſici, aut tantundem noſtri electuarii ad ſputum ſanguinis, quod eſt mirabile: III. *Chirurgica.*

℞ Sem. Hyoſcyami alb.
Papauer. alb. an. ʒ x.
Terræ ſigill.
Corall. rub. an. ʒ v.
Sacch. roſa. antiquiſſ. q. ſ. f. electuariū.

Aut cōtinue lambat de hoc electuario:

℞ Looch de portulac.
Diatragac. cum bolo a. ℥ 1.
cum ſyr. de papauer. q. ſ. f. electuarium.

Interdum ſub ingreſſum lecti ad ſiſtendum catarrhum & ſanguinẽ capiat hanc pillulam:

℞ Pill. de cynogloſ. gr. VIII. f. pillula vna.

Caput per interualla euacuetur, cum pillulis in priori conſilio ordinatis. Diuertatur etiam catarrhus, cum ligaturis & fricationibus brachiorum & tibiarum, & ponendo ventoſas ſine ſcarificatione ad coxas, & lauando crura tali lauacro:

℞ Roſar. rub.
fl. nympheæ,
violar.
betonic.
chamomill. an. m. 1.

Coq. in ſ. q. aquæ fluuialis, & abluantur crura. Reuellatur etiam catarrhus ad cutis capitis ſuperficiem, ſicut fecit Galenus in illa nobili Romana 5. Method. hoc medicamento ſecuro & tuto:

℞ Cãtharid. abſciſſis alis & capitib. ℥ 1.

Cari-

Caricar. pinguium n. j.
Fermenti parum,
cum aceto ſcillitico f. paſta,

& mane abraſo capite ſuper ſutura coronali imponatur; dimittatur per horas octo, vbi excitauerit veſicam, acu rumpatur; & locus inungatur butyro, ſuperimpoſito folio caulis ſupra cineres calefacto, mane & veſperi, ne fiat vnio partium. Si hoc non ſuffecerit fiat cauterium actuale in ſutura coronali circa initium Maii; capillis abraſis, & locus atramento notatus, candente ferro vratur vſque ad pericraneum; & ſtatim imponatur ſtupp infuſa in albumine oui cum aqua roſarũ & aceto. Deinde ad octo horas imponatur butyrum contuſum cum folio caulis, & ſic mane & veſperi locus emplaſtretur, donec decidat eſchara: quo facto imponatur in foramen granum ciceris; & ſupra folium hederæ, ſicque diu detineatur locus apertus. Hoc enim remedio multos actu phthiſicos priſtinæ ſanitati reſtitui. Etſi autem videri poſſit abominandum medicamentum, tamen tutiſſimum eſt, & ſine aliquã Cauterium.

noxa adhibetur, cum quo etiam plurimos catarrhos ad thoracem delabentes compeſcui. Scripſi etiam in priori conſilio electuarium reſtauratiuū, quod capit pulpam caponis & perdicis, quo vti debet quotidie mane & veſperi inſtar magnæ caſtaneæ, per tres aut quatuor horas ante cibum. Conſulo etiam rurſus, vt in Ma-

Lac aſini. io bibat lac aſininum, vel caprinum cum ſaccharo, (nihil enim melius in talibus pulmonum diſpoſitionibus & catarrho calido & acri, licet ſit vaporoſum (inchoando ab ℥ iiij, & paulatim aſcendendo ad ℔ j. cum modico ſaccharo ne aceſcat in ventriculo, & capra in thalamum introducenda eſt, ne lac corrumpatur. Epoto lacte non eſt indormiendum, neq; exercendum corpus. Quibus diebus à catarrho moleſtatur, præmiſſa aliqua leui purgatione, capiat ʒ j. theriacæ nouæ cū ſaccharo roſato tribus aut quatuor horis à cœna, poſtea dormiat ad libitum. Mane quoque & veſperi capiat de electuario ſequenti, quod pulmones confortat, ne recipiant catarrhos exulcerantes:

℞ Pulmo. vulpis, pręparat. & exiccati ℥ ij.

ſucci

ſucci liquerit.
capilli vener.an.ʒ ß.
Diapenid.cum ſacch.ſine ſpeciebus calidis,
Diatragac.frig.a.℥ I.
Cum ſyr.myrtino q.ſ.f. electuarium, & eſt D.Meſue.

Veſperi inſpergatur syncipiut iſto pulueuere:

℞ Gummi iuniper.
Roſar. rub.
Myrtillor.
Thuris.
Maſtich.
Corall.rub.
Santal.omniũ an.ʒ ß. f.puluis.

Cauendum eſt enim omni ingenio ne membrum mandans, quod eſt cerebrum, ad pulmonem materiam propellat. Laudo etiam pro membrorum ariditate, vt quotidie ad multos dies vtatur brodio teſtudinis nemoralis, in quo decoctum ſit hordeum mundum & expreſſum cum ℥ ß. ſacchari albi. Fiat etiã inunctio mane & veſperi totius ſpinæ dorſi, æſtate actu frigida, hyeme tepida, ex hoc vnguento:

℞ Ol.amygd.dulc.rec.
violar.
Butyr.recent.non ſaliti,ex aq.
frigida ter ablut.
Mucillag. ſem.pſyll.
Citonior.an.℥ß.
Lactis mulieb.puellam lactantis ℥ j,
Ceræ albæ q.ſ.f.vnguentum molle.

Et ſingulis diebus in aurora, quando non moleſtatur à catarrho, capiat vitrum magnum huius aquæ:

℞ Aq.limatiar.
Vngulæ caballin.an ℥iij.
Sacch. albiſſ. ℥ ß. Miſc. & calide exhibeatur.

Hiſce remediis ſpero, DEO adiuuante, qui ſolus languores noſtros curat, quod hic nobilis & ſpectabilis vir priſtinam ſanitatem recuperabit.

HELIDÆVS DE PADVANIS,
MED. &c.

CONSILIVM VIII.

Pro phtiſicis.

CVRAVI phthiſicos nonnullos planè deſperatos, & incipientes plurimos,

mos. Summa curationis hæc eſt: Exhibeo ipſis decoctum ligni Guaiacini per duos treſve menſes, prius euacuato corpore, ſi ægroti ſint cacochymi, per mannam, ſyrupum roſatũ ſolutiuum, per enemata, prout neceſſitas expoſtulare videtur. In decocto aliquãdo macerari iubeo ſaniculam, pedem leonis, ſæpe pyrotam, quinquefolium & veronicã. Vini aliquid interdum cõcedo. Victus ratio eſt, vt caueat à ſalſis & acribus. Cibi ſint lenti, quales ſunt neruoſæ carnium partes, pedes, aures, roſtra animalium bene cocta. Gelatinæ item ex his confectæ, ſed ſine aromatibus. Carnes comedent iuuenes, & cochleas bene coctas, teſtudines nemorales, hordeum, oryzam, milium in lacte chalybeato cocta. Ex fructibus proſunt amygdalæ dulces, ficus, vuæ paſſæ, pineæ, piſtachia, pyra, cydonia. Expectorantia ſunto humida, ex ſpecieb. diaireos ſimpl. ſaccharo cando, & ſulphure ſublimato. Mane ſumant de electuario iſto paulo ante prandium, ſcilicet hora vna, vel altera, quod:

Guaiacum in phthiſi.

Victus ratio phthiſicorum.

℞ Carnis perdicum coct. ℔ ß.

Digitized by Google

Limacum coctar.℥ v.
Amygdal.dulc.Pinear.
Fiſticor.a.℥ I.
Paſſul.enucleat.ʒ x.
Boli armen.oriental.
Terræ ſigill.
Corall.rub.vſtor.a.ʒ I.
Gummi arab.
Tragacanth.a.ʒ II.
Sem.papauer.alb.ʒ VII.
Quatuor ſem.frigid.maior.& minor.a.ʒ II.
Conſer.conſolid.maior.℥ I ß.
Fl.hyperici m.I.

In lapideo mortario, & ſimili piſtillo contundantur, & miſtis add. hypociſtid. ʒ v. ſyr.Diathamaræ.

Diarrhod.alb.an.℈ IIII.
Macis ʒ.I.
Pul.fol.ſanguiſorbæ,
Cornu cerui vſti,an ℈ II.
Sacchar.roſar.tabul.℔ ß.
Cum ſyr.de conſolida q. ſ. f. electuarium.

Loco electuarii vel alterius diebus ſumat de ſequenti Pinocato,quod:

℞ Pul.

℞ Pul. ſanguiſorbæ,
fl. hyperici,
Cornu cerui vſti,
Corall.rub.vſt.an. ʒ j.
Syr.Diathamar.
Diarrho.alb.an. ʒ I.
Macis ℈ III.ß.
Amygd. dulc. ℥ I. ß.
Piſtacior. ʒ v.
Pinear. ℥ II.
Tragacanth.
Gummi arabic.a.q.ſ.
Cum ſacchar.q.ſ.f.pinocatum.

Aliquando dentur læco electuarii, & pinocati mane ʒ II.pul. ſequentis ex ſyrupo de cõſolida, vel veronica, aut tuſſilagine, qui:

℞ Sem,papauer.alb. ℥ ß.
portulac.
maluiæ an.ʒ III.ß.
bombacis,
cydonior.mundat.
4. Sem.frig.maior. ʒ III.
Gummi arabic.
Tragacanth.
Amyli a. ʒ II.
Cornu cerui vſti.

by Google

Eboris vſti,

Cicer.rub.in aq.plantag.infuſ.& ſuper latere toſt.a.ʒ II.ß.

Hypociſtid.

Boli armen.oriental.a.ʒ I.

Sacchar. roſac. ℔ ß.

Penidiar. ℥ VII.

Pul.miſc. De hoc ipſo puluere etiam vtiliter cōſperguntur fercula omnia, ad miraculum vſque. Si placet bibant de iſta aqua caponis aliquando hauſtum vel mane, vel duabus horis ante cœnam:

℞ Carnem capi totius ex vino Cretico lotam, dempta pinguedine, & inciſam, itē, carnem teſtudinis purgatam, & in auſtero vino, vel aqua burſæ paſtoris, vel plantaginis coctam, & eius loco carnem XII. cochlearum, eodem modo præparatarum & coctarum ac contuſarum, his adde micæ panis pro duobus denariis in vino Cretico infuſæ:

Pinear.

Amygd. dulc.

Fiſticor. an. ℥ ß.

Boli armen. oriental.

Terræ ſigillat.

Roſar.

Roſar.rub.an.ʒ iij.
4 Sem.frigid.maior.& minor.a.ʒ.ij.
Sem.papauer.alb.ʒ vi.
Saniculæ,
Sanguiſorb.
Burſæ paſtoris,
Fl.hyperic. a. m. i.
Tragac.
Gummi arabic.a. ʒ ii.
Syr. Diathamar.
Diarrhod. alb.
Diatrion ſantal.ſ.camphora,
Macis an. ʒ i.
Aq.burſæ paſtoris,
ſanguiſorbæ,
tuſſilag.an.℔ ß.
Decocti limaciar. vel teſtudin.℔ ii.

Pulueriſanda pulueriſentur, contundenda contundantur, & in balneo Mariæ ſ.a. deſtillentur. Ego puluerem in ſimilibus affectib. ſemper expertus ſum plurimum profuiſſe, cum decocto ligni, & aliis pectus extergentibus ſyrupis, eclegmatis, admixtis ſimul conſolidantibus.

THOMAS ERASTVS,
MED. &c.

Google

CONSILIVM IX.

In palpitatione cordis, pro quodam Theologo.

CVM E. T. ex curis, quæ præceſſerunt, & laboribus, acreſcente etiam ſenio, non ſolum magnam debilitatem, ſed palpitationem quoque cordis ſentiat, neceſſe eſt, vt & cordi languido mature ſubſidiũ aliquod feratur, & cauſæ fouentes illud malum remoueantur, non neglectis interim iis affectibus, de quib. frequenter E. T. conqueri ſolet. Scripſi igitur ad cordis roborationem conditum, A. ſapidum & efficax, de quo E. T. mane poſt horam ſeptimam ante concionem quantitatem iuglandis aſſumere poteſt, vt concionanti vires ſuppeditaret, præſertim per has ferias, vbi quaſi continuationem quandam concionum fieri oportet. Poteſt id E. T. etiam aliis temporibus vſurpare, quandocunq; cordis aliqua notabilis debilitas percipietur. Si vero ex flatibus in pericardio collectis palpitatio exoriretur, tum cordi imponendus eſſet ſacculus cordialis B. vt flatus & tenebroſi ſpiri-

Pro corde reſocillando.

Palpitatio.

ſpiritus diſcuterentur, cordique firmitudo, quies & ſerenitas conciliaretur. Debet autem ſacculus nonnihil calefactus imponi,& irroratus aqua bugloſſę & pauxillo vini. Ad ventriculum corroborandum (qui multum gignit pituitæ & flatuum) poteſt E. T. vti puluere ſtomachali craſſo, qui in pharmacopolio iam habetur, & de eo interdū mane ſumere quantum tribus, aut quatuor digitis comprehendi poteſt vna atque altera hora ante prandium. Confortaret ille ventriculum, exiccaret ſuperfluam humiditatem, diſſiparet craſſos flatus, & promoueret concoctionem, quæ omnia facto opus eſſe E. T. ipſamet agnoſcet. Quod ſi vlterior aliqua ventriculi flatulenti tarde & malè coquentis, & circa veſperam cruditatem ſuam prodentis correctio neceſſaria videretur, foueri interdum hora vna aut altera ante prandium, vel etiam ante cœnā poſſet ventriculus ſacculo ſtomachali D. qui calefaciendus ſuper latere murario, vel tegula irrorata vino, ſicque calefactus imponendus eſt ventriculo, vt iuuetur concoctio, emēdetur cruditas, & diſ-

Pro ſtomacho.

Google

iiciantur flatus, qui fouent palpitationem cordis. Sed cum cibi ſumendi tempus eſt, deponendus eſt ſacculus. Ad reliquas autem vires corporis, præſertim capitis, cordis, ventriculi & epatis, conferent rotulæ D. quæ egregie confortant vires attritas. Mane hora vij. quatuor edi poſſunt. Quia vero E. T. epar habet natura calidum quoque interdum contemperatione aliqua indiget, neque ea refrigeratio epatis ſine ventriculi incommodo inſtitui poſſe videtur, ſuadeo vt E. T. vtrique membro, etſi diſſimiliter affecta ſint ſic conſulat, vt ſaccharo roſato aliquot grana piperis per medium inciſi indat, & ſimul deglutiat. Ita & piper calefaciet ventriculum frigidum, nec vltra progredietur, & ſacchari roſacei frigiditatem inhibebit, ſaccharum vero roſaceum poſtea epar contemperabit. Ad inhibendas euaporationes in caput poterit E. T. Diacitonii cum aromatibus inciſis veſperi poſt cœnam ſemel atque iterum fruſtulum vſurpare, & experiri eius effectum. Aliis certe bene contulit, & confert. Cæterum hæc remedia omnia ſuum quidem faciunt officium,

Piper.

Contra euaporationes.

cium,ſed tamen ita, vt ſubinde auferatur cruda & noxia phlegmatica materia, vel purgatione, vel vomitu. Nam præſente ea impeditur actionis efficacia. Hæc vt E. T. voluntati morem gererem, ſcribere non omiſi, paratus addere, ſi quid reſtare videbitur. E.T. optime valere opto. Datæ Francofurti 3.Martii,an.1577.

CASPAR HOFMANNVS,
MED.&c.

℞ Chebulor.condit. ℥ vi.
Zinzib.condit.
Cortic.citri condit.an.℥ i.ß.
Arantior.condit.
Rad.cichor.condit.
Pyror.muſcatell.condit.a.℥ iii.
Nucis cond.indicæ condit.℥ ii.
Confer.borrag.
anthos,
meliſſæ a.℥ iii.
Cinnamom.inciſ.℥ß.
Macis inciſ.℈ß.
Extract. Meliſſæ,
Galang.pæoniæ a.gr.ii.
Gelatin.citonior.℥ vi.

Cōditis craſſo modo inciſis f. conditū. A.
♃ Fol.Meliſſæ m.j.
Baſilicor.
Card.bened.a.m.ß.
Santal.citrin. ʒ ij.
Cortic. citri.
arantior.a. ʒ j.ß.
Fol.lauri ʒ j.
Cinnamom.
Galang.
Nucis conditæ,
Macis a. ℈ j.
Lig. aloes ℈ ß.
Sem. citri;
Meliſſ. a. ʒ ß.
Fl. borrag.
bugloſſ.
anthos,
meliſſæ a. p. j.
roſar. p. ß.
Ex his craſſiuſcule cōtuſis f. ſacculus cordialis interceptus ſerico. B.
♃ Herb.menthæ criſpæ,
calamint.
origani,
Herb.betonic.

abſinth.

abſynth. an. m. I.
maioran.
roſar. rub. an. m. ß.
chamomill. odorat. p. I.
Rad. calam. aromat ʒ III.
Nucis condit. num. I.
Baccar. lauri ʒ I. ß.
Sem. aniſ. ʒ II ß.
carui,
cymin. an. ʒ I.
Ex conquaſſ. f. ſacculus ſtomachalis cancellatim interſutus. C.

℞ Extract. aromat. roſat. ℈ ß.
galang.
zedoar.
pæoniæ an. gr. II.
Margarit. præp.
Coral. rub. præp. an. ℈ ß.
Conſer. roſar. ʒ II.
Sacchar. albiſſ. ℥ III. diſſol. in aq. meliſſ. & roſar. an. q. ſ. affuſis:
Ol. cinnamom.
macis an. gutt. I.
f. confectio in rotulis. D.

CONSILIVM X.

In cordis palpitatione, pro quodam Comite.

MINVS difficile eſt mihi ſcribere ad te Generoſe & Illuſtr. domine Comes, de palpitatione cordis, qui propter eruditionem intelligis, quæ Latine ſcribuntur. Vix enim Germanicè exprimi poſſunt, quæ de hac re dicenda ſunt, ſi rei ſubſtantia, naturaque ſit exponenda. Intellexi tuam Amplitud. palpitatione ſeu pulſione cordis affici, quæ longe differt ab eius tremore, licet aliqui vtrumque affectum inſcite confundant. Eſt enim palpitatio hæc motus virtutis expultricis cordis, quæ moleſtiam inferentia expellere contendit. Hinc pulſus fiunt maiores ſolito, & veluti ſalire cor videtur, ſicut vehementer iratis accidit. Quocirca non ab imbecillitate cordis palpitatio naſcitur, vt quidam male iudicauit, ſed à facultate valida, nocentia pellere conantis. Summa igitur cauſa huius mali, res cor grauans, vel qualitate, vel quantitate, plerunque à ſpiritu flatulento pronaſci hoc ſympto-

Aliud palpitatio, aliud tremor cordis.

Palpitatio eſt cordis validi.

ſymptoma, quoties nimirum à ſubſtantia halituoſa cor inflatur & diſtenditur, multa probant. Nam & repentina inuaſio, & cita ſolutio, dolor etiam ſubito accedens & deſinens, oculorum obtenebratio, animæ ſibilus, partis alicuius motus tremulus id ſatis declarant. Quibus addi etiam hoc poteſt, quod fere illis accidit frequentius, qui flatuum ſunt pleni, quales ſunt virgines, quæ non recte purgantur, grauidæ, icterici, ſplenetici, melancholici, cachectici. Omnes hi propter vitioſos humores, fuliginoſos vapores facile acervant, qui in arteriis cordi vicinis, aut in ipſis cordis ſinubus incluſi virtutem expultricem incitant; vt motum talem edat. Conſentit curatio quæ vacuatione aut diſcuſſione flatus pficitur. Hinc eſt quod magnæ inſpirationes malũ hoc breuius & leuius reddant; pſertim ſi quis corpore retrorſum reflexo ſic inſpiret. Idẽ efficit ſymptoma pericardiũ flatu vel aqua refertum. Nuper in Cæſaris corde, qui hoc morbo frequẽter corripi ſolitus erat, veluti lapillus quidã niger repertus fuit. Similia in aliorum quoq; corporibus

Palpitationi qui obnoxii.

Palpitatio à pericardio flatu & aqua pleno.

diſſectis reperta ſunt, quanquam hi non tam palpitatione quam tremore, (qui à palpitatione alia eſt affectio, & imbecillitatis ſoboles exiſtit) laboraſſe videantur. Illam certe palpitationem, quæ ſanis alioqui ſubito accidit, in flatū diſtendentem, cordique moleſtiam adferentem omninō referre cogimur, à quacunque cauſa is ſuſcitetur. Quod cum dicimus, non illud inficiamur, materiam flatuum non contineri in corpore (quomodo autem ſuſcitantur, ſi nihil adeſſet, ex quo procreari ſolent ac poſſunt?) Ideo autem nō eſt perpetuum hoc ſymptoma, quia flatus continuo non tot generantur, quot cor lædere poſſunt aut quia non ſemper à corde continentur, ſed ex vicina ei parte aliqua in ipſum irruunt. Solent etiam quieſcentes non ſentiri, moti autem magis offendere. Ex quibus iam intelligitur, quod fere poſt motum concitatiorem, aut animi perturbationem vehementiorem, à quibus ſanguis & humores agitantur, inuadere ſolet. Ergo cum T. Ampl. præter palpitationem nihil percipiat mali, ſed omnino recte valeat, neceſſariū eſt, vt ſpiritus

tus flatulentus autor ſit mali, præſertim cum fere à motu, & animi perturbatione repente ingruat. Alterum videtur porro *Alia cauſa* in cauſa eſſe collectionis huius flatus, nē- *palpitatio-* pe ſanguis craſſus ac lentus circa cor, aut *nis.* in ipſo etiam corde contentus, aut lienis morbida aliqua diſpoſitione. Et hanc potius, quam illam in cauſa eſſe non ſine ratione aliqua mihi perſuaſi. Verum quia curandi ratio eadem futura eſt, vtra putetur mihi occaſio eſſe, nulla eſt cauſa, cur in hac re diſquirenda plus operæ ponamus. Scopus curationis hic eſt, vt ſpiritus *Curatio pal-* halituoſi generationem impediamus, & *pitationis.* à corde arceamus. Illud fiet ſi materiam ex qua naſcitur, ſubtraxerimus: hoc fiet ſi cordi roborantia admouerimus. Tolletur materia recta victus ratione, & vacuātibus atque extenuantibus, de quibus ordine dicam. In victus ratione hoc potiſſimum *Victus.* ſpectari debet, vt cibus ac potus ſint quam ſimpliciſſimi, & motus, quantum fieri poteſt, fugiatur. Deinde vt lēti, craſſi, & incoctiles cibi vitentur, quales ſunt acres, ſalſi, amari & acidi. Maxime obſunt flatus generantes, ex quo genere ſunt ra-

pæ, legumina, caſtaneæ, fructus crudi fere omnes. Proſunt autem cōtrarii flatus diſcutientes, vt ſunt ſemina aniſorum, feniculi, cumini pratenſis, ſaccharo incruſtata. Cauenda quoque eſt ſatietas in cibo & crapula, nec poſt cibum prodeſt motus concitatior, ſed vehementer nocet. Nocet etiam venus immoderata, nec eſt ea quicquam peſtilentius, præſertim ſi vētre pleno exerceatur. Moderata poſt coctionem nō eſt damnabilis. Fugiendus etiam eſt nimius aromatum, & ſinapi vſus (cibos mediocriter aromatibus cōditos eſſe decet & prodeſt) item caſei, lētorum ac difficilium cōcoctu ciborum vſurpatio. Nec generoſiora vina ſunt laudabilia, licet T. Amp. non laboret hoc malo propter calorem, aut feruorem ſanguinis ac humorum. In veſtitu etiam ſumme cauendum, ne nimis arctæ ſint veſtes circa thoracem, iugulum, collum, alas & inguina, ne vaſa iis in locis comprimantur. Fuere qui propter arctiorem ligaturam pedū ſupra genua, & compreſſionem femorum correpti palpitatione fuerint. Eam ob rem (atque alias etiam cauſas) ſemper damnaui

Palpitatio ab arctiore ligatura.

modum

modum ligādi caligas, qui à paucis annis iam inualuit, obtinuit, & nunc etiam obtinet. Ad vacuātia quod attinet, maxime expediet, (niſi quid aliud contrarium iubeat) ſingulis annis in Aprilis & Maii principio venam aperire iecorariam cubiti, vel dextri, vel ſiniſtri, pro Medici præſentis conſilio. Deinde conduceret maxime vinum abſinthites potus loco paratum. *Vinum abſinthites.* Tempore vindemiæ paulo aliter pro toto anno parari poterit, quo pacto paratū, gratius etiā fit, ac ſuauius. Sumatur vaſculū continens 3 ½ vel 4 menſuras, inferātur herbæ & radices infra notatæ, repleatur vas vino veteri bono, obturetur diligentiſſime, ne vſpiā trāſpirét, ac per dies 5 vel 6 quieſcat. Deinde bibi poterit hoc modo: ſi A. T. ſolet ientare, poteſt eo tēpore poculum huius vini bibere, ſi nihil edere ſolet, ante prādium initio prandii tantundē bibat, quomodo alii omnes initio prādii ſolēt abſinthite bibere. Sed quia nō ſolū deſtruit, farctu liberat viſcera, noxioſq; humores ventriculi tunicis adhærentes abſtergit; verū etiam eoſdē extra corpus per aluū educit, blande tamen, non debet

quotidie bibi, ſed vel alternis diebus, vel tertio, vel quarto quoq; die tantum, prout magis minusque purgabit. Quãquam poteſt eius tam pauca quantitas ſumi, vt naturales ſedes duntaxat copioſiores efficiat, quo caſu nihil vetat eo quotidie vti. Vaſculum non debet rurſus impleri, cum depromptum aliquid eſt, ſed totum ebibi debet, ac deinde nouũ ex noua materia parari. His modis flatus generatio ꝓhibebitur, ſubtracta materia, ex qua generari poteſt ac ſolet. Quæ cor roborant, & ne tales halitus prompte recipiat, efficiunt partim quæ ſumuntur, partim quæ admouentur. Ex primo genere maxime conferunt radix bugloſſæ ſaccharo condita, item q; cichorij eodem modo ſeruata: cortex item citri conditus, & inprimis caro nucum myriſticarum in India conditarum (*eingemachte Indianiſch Muſcatnuß*) æquant magnitudinem oui, aut pyri mediocris. Æſtate iuuãt oxyſaccharum, ſyrupus ex ſucco citri & limonũ, quomodocunque ſumantur. Debent autem mane ſumi ſupra dicta tribus aut quatuor ante paſtum horis. Syrupi etiam poſt prandium

Roborantia cor.

dium, & in prandio ac cœna vtiliter vſurpantur. Dixi ſupra ſemina aniſi, feniculi ſaccharo tecta flatus diſcutere, quæ ipſa quoque & mane & in fine paſtus accipi poterunt. Hiſce remediis ſi A. T. vtetur, ab hoc malo, quod quidem per ſe in iuuene periculoſum nō eſt, ſed tractu temporis in ſummum diſcrimē adducere poteſt, cito ac facile liberabitur.

THOMAS ERASTVS
MED. &c.

Pro vino factitio:

℞ Abſynthii,
Card. benedict. an. m. 1,
Roriſmarin.
Maioran.
Ling. ceruinæ an. m. 1 ß.
Rad. polypod. rec. ℥ iii.
Fol. ſenæ oriental. ℥ *ii*.
Rad. mechoac. ℥ *i* ß.
Turpeth. ℥ *i*.
Garyophyll.
Macis, an. ʒ *iii*.
Miſc. detur in charta.

℞ Spec. aromatic. roſat.
Diambræ an. ʒ *ii*.

macis,
garyophyll.
folii an. ℥ I.
Flor. bugloſſ.
citri vel limonum vel arãtior.
lauendulæ,
ſpicæ an. ℥ IIII.
Miſc. f. pulu. craſſiuſculus, & ſacculo ex rubro ſerico inſuatur pro corde.

CONSILIVM XI.

De renum affectionibus atque calculo, pro quodam nobili viro.

HOc malum vbi intemperies eiuſmodi renum à prima origine eſt, vt calculos generet, difficulter eorum prouentus vitari poteſt. Humorum tamen tam crudorum; quam aduſtorum, ex quibus generantur copiam, prohibere recta victus ratione, & tẽpeſtiua vacuatione poſſumus. Itaq; lactis, caſei, vinorum craſſorum cereuiſiæ non probe defæcatæ atq; puræ, alimẽtorum craſſorum, vt carnium fumo maceratarum, vel ſale conditarum, piſcium qui prauo ſucco abundãt, vt carpionum: item omne genus auium, quod paluſtri-

Victus calculoſorum.

paluſtrib. locis delectatur, vt anſeres, &c. cauendum. Si qua materia prouenit, ea vel aſſumpto electuario ex paſſulis, vel pillulis noſtris de terebinthina, quas tamen domino ventriculũ offendere animaduerti, vel alephanginarum aſſumptione educenda. Pituitæ etiam per vomitum tempeſtiua reiectio vtilis eſt. Materiæ autem craſſities, & in renibus cõpactio impeditur crebro vſu ſyrupi è ſucco veronicæ, ſi paululum illi ſucci glycyrrhizæ admiſceatur. Itẽ ſi quotidie ante cœnam nucibus auellanis vtatur. Interdũ in pelle paſſularum guttam vnã olei iuniperi probe deſtillati deglutiat. Aquas autem calidas & diureticas, quæ vel prorſus miſeros & deploratæ valetudinis homines efficiunt, vt fugiat moneo, nec ſe exẽplis, quæ proponuntur, falli ſinat. Quod autem ad intemperiem renum tollendam attinet, inprimis mihi vnguentum roſatum Meſue, vel Galeni refrigerans, cum oleo ex amygdalis amaris hoc modo factum placet:

Auxilia pro calculo.

Pro renum intemperie.

℞ Vnguenti roſat. Meſ. ℥ i.
Ol. amygd. dulc. ʒ iii.
amarar. ʒ ii. Miſc.

Vſus etiam emplaſtri de cancris, præſertim malo vrgente conuenientiſſimus. Intra corpus ſumat interdum tria vel quinque cochlearia aquæ fragorum. Quæ vero infeſtantibus doloribus per clyſteria, cataplaſmata, fomenta, ſint ſuſcipienda, Medici ratione temporis anni, conſtitutione ægri corporis, loci in quo dolorem ſentiunt, nec præſcribere omnia vel debent, vel poſſunt.

IOHAN. CRATO A KRAFTHEIM, &c.

CONSILIVM XII.

In colica, pro quodam Theologo.

ANTEQVAM reſpondeam ad capita propoſita & numeris notata, neceſſe eſt vt arguam quendam errorem tuum, qui facit vt & vſurpando nonnunquam pecces, & nocitura petas. Habitus corporis tui per ſe, ſiue natura eſt ſiccior, vt teſtatur macies corporis, ſiccitas inteſtinorum, durities alui, &c. per accidẽs autem humidior, nempe aliena humiditate, vt teſtatur pituita abundans. Concurrit ſimul

Corpus natura ſicum, ex accidente ſit humidum.

mul

ſimul frigiditas, quæ coctiones impedit, & plurimum facit ad nouam ſubinde pituitæ collectionem. Præcipue autẽ ſenectus nos frigidiores facit, & in cauſa eſt, vt pituita cumuletur. Vbi vero pituitam quaſi congelari contingit, & ſimul incidit obſtructio alui, & calor renum, facile poteſt incidere colica, concurrentibus ſimul omnibus cauſis. Nam calor renũ pituitam iam collectã inflatuat (vt Practici loquuntur) ſeu in flatus diſſoluit, præſertim ſi adſit aliquod incitamentum. Inteſtina vero ſicca, & à calore renum plus arefacta contrahuntur, feces indurantur, vt nec excrementis, nec pituitæ, nec flatibus ſupra aut infra patent exitus. Flatibus exitu prohibitis tempeſtas in inteſtinis oritur, & tormina excitantur dum flatus vndequaque eruptionem tentant. Atque dolores appellantur colici. Quæritur iam quid agendum? Phlegma, inquies, tollendum, quod totius mali caput eſt. Sed ſi ſequamur voluntatem tuam, qui purgationes phlegmatis validas & eradicatiuas ſitis, & pulueres ſtomachales vehementer calidos & ſiccos eſuris; male

Senectus facit frigidos & pituitoſos.

facimus. Nam dum in corpore raræ texturæ in accidente tollendo laborauimus, ſubſtantiam diminuemus. Sed perges in phlegma inuehi. Phlegma, inquies, meus carnifex eſt; igitur omnis opera adhibeatur, vt auferatur ex corpore. Idem & ego ſentio, ſed tamen hic cum ratione inſanire oportet. In obeſis dæmonium hoc expellitur ieiunio & purgatione. In exuccis & iunceis non tam euacuationi, quam concoctioni pituitæ inſiſtendum eſt, & magis ex vſu ſunt pulueres ſtomachales calorem naturalem ventriculi fouentes, quam vehementer calefacientes & ſiccantes, qui dum putantur phlegma conſumere, vtilem interim ſuccum exugunt. Inde apparet noxia interdum fieri & peti. Reſpondebo nunc paucis ad articulos in literis propoſitos, poſtea ſubnectam remedium & vſum.

Pituitâ prouentui in diuerſis diuerſimode obuiandum.

1\. I. Puluis ſtomachicus, quem amicus quidam tibi dedit, ex pipere longo, zedoaria, caryophill. zinziber. cardamomo, &c. nimis eſt calidus & ſiccus. Mihi fortaſſis minus incommodaret. Cauſa ex iis, quę dicta ſunt, manifeſta eſt. In foco an non melius co-

quit

quit calor moderatus & ἀνάλογος, quã vehemens, vrens, vſtulans, humiditatem exorbens, ollam corrumpens, vt ea poſtea nihil tuto coqui poſſit, ſed cruda omnia maneant? Potius igitur excitetur calor naturalis, & foueatur remediis temperatis, vt is pituitam concoquat & vincat, ita ventriculus non tantum pituitæ coaceruabit. Quod ſi excitato calore ventriculi cibus concoquetur, iam ceſſabunt quærelæ de quotidiana cruditate, & perpetua genetatione phlegmatis. II. Cupis vt prohibeatur phlegma- II.
tis affluxus ex venis, qui non fit niſi vehementia dolorum illam irritet. Ego mallem prohiberi generationem phlegmatis in ventriculo, ne poſtea in inteſtina repat, quod multo magis eſt neceſſarium. Sed de hoc infra. III. Pil- III.
lulas illas vniuerſales in hoc ſcripſi, vt bis in anno, nempe, vere & autumno vſurpentur. Nam ſi ſæpe vſurparentur, nimis exiccarent. IIII. Quod vnguen- IIII.
tum ad renes officium ſuum facit, bene eſt. Ad ſiccitatem vero inteſtinorum emendandam loco trium illorum

olcorum(quæ ſaltem ad diſcutiendos flatus & dolores ſedandos conſcripta fuerunt) parabitur vnguentum mollificans. Sed tres diuerſæ operationes, emollire inteſtina, diſcutere flatus, & excrementa aluo exturbare, non poſſunt in vnum medicamentum cogi: Alterum enim alterius operationem impediret.

V. *Ius prunorum.* V. De iure prunorum non eſt, quod ſis ſolicitus, ſi paululum aniſi inſpergas: tum enim non inflabit. Si placet etiam iure piſorum vti, diſſoluatur in eo ℥ ß mannæ, aut amplius, (pro obſtructionis alui magnitudine) ita ſimul & detorſio, & lubricitas inteſtinorum ſequetur. Sambucum non laudo in tuo corpore. Ego inter mea omnia nihil habeo, quod piſi magnitudine ſumptum aluum aperiat, & redimerem id magno, ſi

VI. quicquam tale nanciſci poſſem. VI. Pro rotulis cholagogis ex rhabarbaro, ſcribam phlegmagogas.

VII. VII. Inter indicationes medicas primum locum habent, quantum, & quando. Ad has qui non reſpicit in vtendo, ſæpe culpam impingit medicamẽto, quæ eſt vtentis. Sic miſer ſuccus accuſatur,

eum

cum errauit in vtendo is, qui noctu ſumpſit, & ipſa quidem colica præſente. Emplaſtrum, C, dicitur nihil egiſſe. At proxime cuiuſdam optimi viri vxor, cum puerpera ſingultu perpetuo noctu dieq; , & obſtructione alui aliquot dierum laboraſſet, cum ex meo cōſilio intus caſſiam, foris emplaſtrum illud vſurpaſſet, ſoluta egregie aluo libera ab omnibus, quæ tum ſentiebat, facta eſt, & cum pro deplorata haberetur, nunc viuit & valet, nec amplius tātam alui difficultatem ſentit. Fieri interdum poteſt, vt nimia adſit ſiccitas, ita vt cedere nolit mediocri pharmaco. Interdū nihil aſſumitur, quod intus molliat aluū & promoueat excrementa. Puluis craſſus ſtomachalis in mediocri cruditate bonus eſt, confortat ventriculum, & deſiccat ſuperfluas humiditates, & iuuari ſe eo plurimi ſentiunt. Sed cum adeſt magna pituitæ collectio , quomodo hanc vincere poſſet puluis ille? Similiter coriandrum ad corrugationem ſaltem ventriculi modicam vtile eſt, valde hiantem ſtomachum contrahere non poteſt. Non autem ſemper fortibus eſt vtēdum,

& ſæpe fortia plus nocumenti ſecum trahunt. Veluti cum per valde calida & ſicca quæritur corroboratio ventriculi, & interim areſiunt inteſtina. Igitur moderatis opus eſt, & quæ tuto vſurpari poſſint. Prognoſticum nihil te moueat. Nõ conſiderauit ille quanta fiat in canicularibus diſſlatio in corpore, & vaporum diſcuſſio, & ex vno, eoq́; communi indicio ſtatim pronunciauit, tanquam ex tripode proferret oraculum. Quid vero hoc rei eſt, quod iuſculis ventriculi humiditatem & debilitatem augere conſtituiſti, & tibi ipſi indicere abſtinentiam carnium & piſcium? Multo melior medicus fuit Cicero, qui ad Tironem ſcribens medici curationem talem non probat. Ius enim dandum non fuit (inquit) cum *κακοςόμαχος* eſſet. Et aſtipulantur Medici Ciceroni. Hæc non eſt ad prohibendam pituitam via, ſed caloris natiui excitatio procuranda eſt, quæ potior eſt reliquis omnibus Reſpondi ad omnia capita (ni fallor) epiſtolæ tuæ, quod ad valetudinem attinet. Reliquum eſt, vt remedia conſcribam, & vſum eorum indicem.

Iura κακοςομάχοις non vtilia.

Video

Video de nulla re maiorem eſſe querimoniam, quam de pituita. Hanc tu è corpore exturbari velles, ego non generari mallem. Ventriculo tu ſubinde crucem ſtatuis, ego illum ſponte ad officium redire mallem, & ſuo non alieno calore coquere. Inteſtina intus ſiccantur calidis, & foris quæritur mollificatio. Amantur à te violenta & fortia, ego moderata magis probo, quæ etſi non è veſtigio reſpondent optatis: tamen continuatione tandem obtinetur, quod quæritur. Digeram vero medicamenta in aliquot capita, vt intelligantur. I. Neceſſariam eſſe pituitæ præſentis, atque etiam ſe ſubinde colligentis euacuationem fateor. Sed eam non oportet eſſe nimiam, neque nimis frequentem, & talem, quæ inteſtina non relinquat arida. Primus igitur ordo erit medicamentorum purgantium, quæ recenſebo ordine, initio facto à leuioribus, variatis etiam formis, vt ſi vnum non placeat, alterum vſurpetur. Securiſſimũ omnium purgantium medicamentorum eſt clyſter, iiſque etiam vtiliter, & ſine nocumento ſubin-

de vſurpari poteſt, ad præcauendam pituitæ collectionem, quoties nimirum aliqua pituitæ redundantia animaduerſa fuerit. Poteſt etiam ita parari, vt ſimul & abſtergat,& flatus diſcutiat, & inteſtina poſt ſe mollia relinquat. Hunc malo domi parari,& ad manum eſſe, cum debeat eſſe familiare remedium. Parabitur autem ſic:

℞ Herb.mercurial.
maluæ an.m.i.
Fl.chamomill.m.ß.
Hordei tantundem.
Sem.aniſ.
fenicul.a.ʒ ii.
Prunorum n.vii.

Hæc coquatur affuſa aqua; decocti illius colati, & expreſſi ſumatur tantum, quantum requiritur pro clyſteri in tuo corpore,in eo diſſoluantur ſequentia:

Caſſiæ pro clyſteribus ʒ vi.
El. Diaphænic. ʒ ii.
Olei lini ℥ iii.
Sacchar. Thomæi ℥ ii.
Salis pauxillum,f.iniectio.

Hunc clyſterem malui ſic ſcribere vt coquus

quus tuus illũ parare (dum opus eſt) poſſit. Arbitror hũc clyſterem præſtiturum quod debet: ſi quid deſiderabitur in operatione, id mutari, intendi, aut minui facile poteſt. Illud autem quod nunc ſcribam, eſſet egregium ad innoxiam excrementorum alui, & pituitæ eductionem, nec ſineret poſt vſum eius aluum indureſcere, ſi modo eſſet qui vteretur. Quidam redactus erat ad extremam maciem vt σύφαρ hominis eſſe videretur, & laborabat ſimul perpetua obſtructione & duritie alui, & colica ſubinde recurrẽte. Cũ hoc aliquoties vſus eſſet, redierunt inteſtina ad officium ſuum. Eſt autem bolus ex caſſia & hiera cum oleo amygdalarum dulciũ, quæ ſimul mixta egregie id præſtant, quod dixi. Poteſt bolus ille in aliquot particulas diuidi, & inuolui quælibet in pane (quem *oblatam* vocant) humectato vel vino, vel aqua cinnamomi. Poteſt etiam, ſi libet, inſpergi ſaccharum. Sumitur hora vna ante cibum. Bolum notaui litera A. *Bolus pituitam educens.*

℞ Caſſiæ rec. extract. ℥ ß. aut ſi caſſia recens non habetur, ſuma-

tur pro caſſia el.lenitium.
Spec.hieræ picræ ʒ ß.
Ol.amygd.dulc.rec.q.ſ.miſc.f.
bolus A.

Si vero nondum ſatis odioſa pituita expulſa videretur, poſſet in menſe ſemel, vel bis potiuncula vſurpari mane calida vno hauſto 4, vel 3 ad minimum horis ante prandium in hunc modum parata:

℞ Iuris galli, vel gallinę veteris, huic incoque paululum ex foliis herbæ mercurialis, cola, ſumatur deinde de iure tantum, quantum ſufficere videtur ad hauſtum, & nodus B. in hoc impendeat, vel per noctẽ, vel ſi id non permittet tempus, leniter efferueſcant, & nodus exprimatur. Alioqui ſi per noctem ſteterit, mane calefieri oportebit. Inde addatur Syrup. violac. ſolut. ℥ 1. (vel quia non ſemper haberi poteſt, eius loco mannæ tantundem) Mellis roſac. colat. ℥ ß.miſc. f.hauſtus.

℞ Liquirit.raſæ ℈ 1.
Agaric. Trochiſcat.ʒ ß.
Sem.aniſ.℈ 1.
Fol.ſenæ el.ʒ 11 ß.

Rha-

Rhabarb. el. ʒ ß.
Spicæ Indicæ gr. *III*.
Zinzib. ℈ ß.

Ex craſsè contuſis f. nodus laxus cum ſilo. B. Hæc quoq; potio domi parari poteſt. Ac etiamſi reliqua aliunde petantur: tamen mercurialis, & mel roſac. colatum apud vos haberi poſſunt. Pillularum vſum hoc rerum ſtatu non magnopere probo, propter ſiccitatem, ſatis eſt ſi bis in anno vſurpentur, nempe vere & autumno, ita tamen ſi vſum earum exegerit neceſſitas. Cupis præterea rotulas, quæ purgant, ſed hæ non relinquent humidam aluum poſt ſe. Scribam tamen & dirigam ad phlegma, vt priores ex Rhabarbaro ad bilem, & potiſſimum ad obſtructionem alui directæ ſunt. Notabuntur litera C. vſus earum talis eſt, qualis rotularum ex Rhabarbaro: *Rotulæ pro phlegmate.*

℞ Spec. Diaphœnicon. ʒ *II*.
Rhabarbar. el. ʒ ß.
Syr. aromatic. roſac. ℈ ß.
Sacchar. albiſſ. ℥ *III* diſſol. aq. cuſcutæ q. ſ. affuſa aq. cinnamom. f. confectio in rotulis. C.

Addam adhuc vnum purgans externum, quo in ventre laxando nonnunquam vſus ſum, ſed in iis, qui nihil omnino per os aſſumere voluerunt, & tamen neceſſitas coegit, vt aliquid fieret, quod tamen P. T. commendare nolo, cum malim in tam exhauſto corpore, & ſiccitati inteſtinorum obnoxio leuia, tuta, & lenem aluum relinquentia vſurpari. Vnguentum illud purgans imponēdum imæ aluo (nequaquam autem ventriculo: nam vomitus ſequeretur fortis) ſcripſi in peculiari ſcheda, & notaui ſic. †. Quod tamen vſurpari nolim, niſi neceſſitas exigat:

℞ Succi mercurial.
Cucumer. ſylueſt. an. ℥ III.
Colocynthid.
Hellebor. nigri, albi a. ʒ ß.
Aloes ʒ I ß.
Fellis tauri ʒ I.
Mellis q. ſ. f. vnguentum, †.

Hactenus de purgantibus, in quibus tamen non conſtituo curationis ſummam. Nam hæc tantum pituitam collectam è ventre proliciunt, & aluum aperiunt. Venio nunc ad ſecundū medicamentorum

ordi-

ordinem, nempe ad ea, quæ præcauere poſſunt nouam pituitæ generationẽ. Hic non conferent pulueres illi vehementes calidi & ſicci, qui ventriculum momentanea caliditate afficiant, & poſtea inteſtina ſicca relinquant, ſed vtar & ego voce tua. *Es muſſen alles andere Sachen ſein*, etiamſi prima ſpecie exilia eſſe videantur. Nam hic non exurendus, ſed fouendus & excitandus eſt calor naturalis, vt moderato calore concoquat. Ac ſi prima concoctio laudabiliter peragetur, facilius peragentur & reliquæ, & ſponte ſua, naturæ vi aluus ſe exornerabit ab excremẽtis. In hunc vſum conſcriptus eſt puluis D. vt mane interdum ieiuno ventriculo ℨ i vſurpetur ad corroborandum ventriculum, & vim digeſtiuam:

℞ Spec. aromatic. roſac. ℨ i.
diathama.
lætific. Gal. a. ℨ ß.
pulu. Nucis conditæ,
Zinzib. alb.
Cinnamom.
Cornu cerui vſti,
Boli armen. præpar. an. ℈ i.

Sem. aniſ.

coriand. præp. an. ℈ *1* ß.

Maſtich.

Thuris an. ℈ *11* ß.

Sacchar. cand. ℥ ß.

Miſc. f. puluis. D.

Si magis placet conditum, vtile erit quod notatum eſt E. idq; ſimul ſpiritus reficiat & cor, aſſumptum quantitate iuglandis. Poſſunt hæc alternis vſurpari:

℞ Rad. bugloſſ. condit. ℥ *1*.

Conſer. borrag.

roſar.

bugloſſ. a. ʒ *111*.

anthos ʒ *11*.

Spec. aromatic. roſac.

Diathamar.

Roſat. nouell. a. ℈ *1*.

Cinnam. inciſ. ℈ ß.

Syr. de cortic. citri q. ſ. f. conditum. E.

Nequaquam autẽ negligi velim puluerem ſtomachalem craſſum, & piper inciſum, hora vna aut altera ante cibum cum tribus aut duobus cochlearibus iuris carnis deglutitum. Videantur ſane hæc nihil

hil facere primo occurſu. Ego vero poſt ablatam pituitam ſcio ab his calorem natiuum egregie excitari, ſi adſit continuatio. Vtilis etiam in primis ad ventriculum eſſet ſyrupus ſeu brodium (vt appellant) zinzib. conditi. Eſſet profecto bonũ confortatiuũ ventriculo tuo ſic affecto, ſi mane vnum aut alterum cochlear exorberetur. Et quia noctu plerunq; ſe exerit & ſęuit cruditas, poſſet de Zinz. condito radix vna pro concluſione edi, illa calefaceret os ventriculi & cerebrum frigidũ, & ſiccaret ſuperiora magis, quam inferiora. Ego ipſemet ſic facere ſoleo, quoties cruditates, refrigerationem cerebri, & tumultuoſa ſomnia ſentio. Oportet etiam accedere bonam victus rationem. Sorbitiones hoc non præſtabunt, quæ potius ventriculum languidũ reddunt multo vſu. Vitulina caro, capones, gallinæ, auiculæ, hœdine, oua & ſimiles cibi, qui bonum ſuccum præbent, & minime difficilis coctionis ſunt, hęc alimentum corpori alendo vtile ſuppeditant, præſertim ſi adhibeatur bonũ vinum. Deinde exercitio quoque ante cibum excitandus eſt

Pro ventriculo brodium Zinziberis.

calor naturalis, veluti flabello, captandæ occaſiones hilaritatis, & ſeponendi interdum libri, præſertim à cibo. Talia ſæpe plus proſunt, quam multa & operoſa medicamenta. Addere debebam vnguenta & ſacculos ſtomachales, ſed hæc antea conſcripta ſunt. Dices: non ſentio me admodum illis iuuari, vt cupiebam, quomodo hæc externa agere poſſunt in ventriculum, cui inſidet & adhæret pituita? Liberato certe ventriculo à pituita egregie auxiliantur in ſuſcitando calore naturali, & iuuanda concoctione. Non leuiter autem erratur cum bona medicamẽta male audire coguntur, eo quod non protinus iuuamentum ſentitur. Calor naturalis modicis præſidiis foueri, vt ſcintilla modica ſufflatione excitari debet, vehementia hæc non præſtant. Tertius ordo remediorum continebit ea, quæ aluum lubricam retineant, eamque officio ſuo fungi in excrementorum ſpontanea eductione cogant. Hæc, vt video, tibi eſt ſacra anchora. Videamus autem cur retineatur pituita cum excremẽtis, & ſequatur colica. Abdomen eſt frigidius. Igitur

Vnde colica.

pituita

pituita cũ in inteſtina peruenit, quodammodo congelatur; & fit vitrea, & ipſa pituita cum ſit frigida magis adhuc refrigerat inteſtina, & vi ſua priuat, vt langueat vis expulſiua. Interdum etiam exoritur calor renum, qui inteſtina ſibi vicina arefacit, atq; hoc modo etiam dura fit aluus exiccatis inteſtinis & excrementis, cumque pituita in flatus diſſoluitur, nec inuenit exitum, colici dolores excitantur, qui non prius miteſcunt, quam flatibus & excrementis per clyſteres, aut aliis rationibus monſtratus ſit exitus. Eſt igitur aluus aperta & lubrica in hoc valetudinis ſtatu magnum ſane beneficium, ſed eo etiã reſpiciendum eſt, vt ſit diuturnũ. Tale vero eſſe non poteſt, niſi inteſtinorum intemperiei & imbecillitati conſulatur. Dicam paucis quomodo. Mane cum pro confortatione ex prædictis aliquid aſſumptum fuerit; tum poſt duas horas fricetur abdomen ſeu venter frictione molli, vſque ad aliquam rubedinem, vt ſic calor ventris & inteſtinorum excitetur. Poſtea inungatur vnguentum mollificans, F, circa vmbilicum & infra(non vero vngatur

ventriculus) at tum imponatur linteum cera obductum (*ein gevvichſt Tuch, oder durchs VVachsgezogen* pharmacopolæ parare ſolent) id non ſolum comprehendat partes inunctas, ſed etiam ventriculum, etiamſi non vnctũ, vel certe ſuo vnguento nempe ſtomachali vnctum. Complectatur nonnihil etiam ſpurias coſtas ſeu hypochondria, & ſuperponatur linteum aut faſciis ligetur cera tinctum linteum ne decidat:

℞ Ol. lilior. alb.
Cheirini an. ℥ ß.
Chamomil. ʒ *ii*.
Maſtic. ʒ *i*.
Pingued. gallin.
anatis a. ʒ *iii*.
Butyr. rec. non ſaliti ʒ *ii*.
Medullæ crurum vituli ʒ *iii*.
Miſc. f. linimentum. F.

Tum ſi ſequeretur exercitium corporis aliquod, vſque ad corporis moderatam caliditatem citra laſſitudinem tamen, ſuſcitaretur, & a linteo etiam foueretur calor natiuus inteſtinorum. Tandem poſt quietem vnius horæ poſſet cibus ſumi.

Et

Et hæc ita fieri oporteret per aliquot dies, donec inteſtina ad officium reducta eſſent. Interdũ balneo aquæ dulcis inſidere horam vnã aut alteram ante cœnam vtile eſſet. Cuidam incoquebamus caput & inteſtina ouis ad emendandã ſiccitatẽ, quæ in eo erat nimia, & plurimũ ſe iuuari dicebat. In egreſſu iterum vſurpari poſſet, (ſi opus eſſet) vnguentũ mollificans cum linteo incerato, & quiete ad horam dimidiam. Ille linteum illud ſemper geſtabat, donec ſe melius habere animaduerteret.

Pro nimia ſiccitate decollum.

Pro mollificatione intra corpus vſurpãda nihil melius eſt, quam oleum amygdalarum dulciũ, ex recentibus amygdalis expreſſum. quod non eſt rancidum. Id loco butyri in ſorbitiones indi poſſet. Bene ſapit, & præter hoc, quod inteſtina mollit, prohibet ariditatem corporis & pinguefacit. Interdum etiam cum aluus lenibus aperiri nequit, diſſoluenda eſt ℥ i mãnæ in paruulo iure gallinæ, vel bubulæ carnis. Vbi vero animaduerſus fuerit renũ calor, qui inteſtina & ſedes exiccet, vnguentum ad renes inungendum erit. Sed hæc nota ſunt. Poſtremo ad colicam

Alnũ mollit oleum amygdalinum.

ſcriptæ ſunt rotulæ G. de quibus quatuor aut quinque, pro earum magnitudine vſurpandæ ſunt ad præſeruationem:

℞ Pulu. cornu cerui vſti ℈ ii.
oculor. Lucior.
Cancrorum a. ℈ i.
Sem. card. bened.
Corall. rub. præpar.
Boli armen. veri præpar. a. ℈ ß.
Maſtich. ℈ i.

Sacchar. albiſſ. ℥ iii ß. diſſol. aq. menthæ, affuſa aquæ cinnam. q. ſ. additis:

Ol. Zedoar. gut. vi. f. conf. in rotulis. G. Et interdum etiam pro flatib. diſcutiendis ſem. aniſi, & feniculi, vnius ſaltem tunicæ. Hæc exiſtimaui hoc tempore P. T. præ cæteris vtilia fore. Faxit Deus vt per hæc inculpatã ſanitatem aſſequaris. Scribe quæſo an tibi ſic ſatisfactum putes, vel an præterea aliquid expetas. Ad omnia enim officia, quæ ab amico fido præſtari poſſunt, ſemper ero paratiſſimus. Deus opt. max. valetudinem optimã P. T. largiatur, & ad eius recuperationẽ hæc velit eſſe efficacia. Francof. *30* Maii. an. 1579.

CASPAR HOFMAN. MED. &c.

CON-

CONSILIVM XIII.

In colica, & paralyſi ex colica, pro quodam nobili viro.

EX literis ad me miſſis non ſatis intelligo, ſit ne colicus dolor, & an is etiam nunc perſeueret, an vero in paralyſin deſietit. Si adeſt colicus dolor etiam nunc, *Pro colica enema.* iniiciatur per enema oleum amygdalar. dulcium cum vino maluatico, & imponatur aliquid radicis ireos pulu. & dictami albi puluerifati. Apponatur ventri recte caſtrati coctum in oleo adiecto chelidonio maiore contuſo cum radicibus ſi haberi poſſunt. Proſunt etiam catuli la- *Catuli lactantes.* ctantes vẽtri appoſiti, qui ſi veteribus Latinis Medicis fides eſt adhibenda, malum ad ſe trahunt, atque ipſi deinceps colicis doloribus moriuntur. Ventrem etiam a- *Venter anatis viua.* natis viuæ deplumatum malum ad ſe trahere ſi ventri apponatur, experientia conſtat. Idem præſtat rana viua appoſita. Magni etiam medici aquam frigidiſſimam apponunt, cuius etiamſi autores habeant, nolim tamen vllum temere ad hoc remedii genus peruenire. Per os magno cum

adiumento datur album, quod in fimo gallinaceo reperitur ex optimo vino. Quidam adiiciunt membranas interſepientes nucleum in iuglande. Decocto braſſicæ vti in vetere iure galli, magno etiam adiumento eſt. Nonnunquam in hoc dolor in paralyſin tranſit, atq; huius initium iam factum cognoſco. Cum autem in hoc malo non ad principium neruorum, ſed plęrūq; ad muſculos malū tranſmittatur, atq; ii, vt poſt graues labores langueant, conſequēs eſt in exſtirpanda materia curationem ex muſculis, iiſq; corroborandis conſiſtere, non neglecta corroboratione inteſtinorum. Itaq; vmbilico deſtillatum noſtrum ex galbano imponitur, prius tamen fecibus ſubductis. Nam nequaquam aluo adſtricta exhibendum eſt. Vbi hoc factum fuerit vtatur frequenter iſto puluere. Tenera ceruorū cornua in taleolos ſecentur, & ſiccentur atq; puluериſentur. Huius pulueris vnciis duabus adiiciantur myrrhæ drachmæ duæ piperis albi ℨ 1. Vtatur ſæpe ex vino vel potu. Deinde muſculi fomētentur decocto roriſmarini, iuæ & origani. Poſtea inunctiones

Puluis cornu ceruі.

nes adhibeantur, quæ pro diuerſitate materiæ ſunt variæ. Formulas notas eſſe medico præſenti arbitror. Verum ſi eas deſiderat, verbulo admonitus, diligentiſſime & lubentiſſime ſum perſcripturus.

Ioh. Crato à Krafth. Med. &c.

CONSILIVM XIIII.

In paralyſi ex colica, pro quodam Theologo.

NON ſine magna afflictione animi legi querelas tuas de recenti quodam morbo tuo, tibi quidem nouo, & ob hoc ipſum formidabili, ſed veteribus non incognito, vt quē Aetius Medicus ſuo tempore in Italia epidemialē fuiſſe ſcribit, vbi coli dolor ſedem mutauit, & cauſa veluti motu decretorio in muſculos ac tēdines extremarum partium translata fuit. Hanc affectionem ſymptomaticam translationem Medici vocant *μετάςασιν*, cum morbus de vno membro in aliud ob congenerem ſubſtantiæ ſimilitudinem transfertur. Atq; ea ſane morborum permutatio iam crebrior eſſe incipit quam vellem. Ex multis recitabo tibi ſaltem duo exēpla hominum notorum, vt videas te ſocios habuiſſe malorum. Alexander à Roten- *μετάςασις.*

Hiſtoria dua. burg multo tempore obnoxius fuit doloribus colicis,& rediit is morbus ſæpe propter intemperãtiam ipſius, etſi poſt vſum remediorũ acceſſiones fuerunt rariores. Tandem poſt ingentem quendam paroxyſmum reſoluti ſunt illi externi artus, nempe pedes, brachia & manus, ſecuta ἀτροφία nõ brachiorum ſaltem, ſed totius etiam corporis. Vſus eſt remediis paulatim phlegma detrahentibus, potione ex herbis & manna, dedit operam vt aluus quotidie eſſet aperta, cõfortatus eſt ventriculus intus rotulis, foris vnguentis, & ſacculis, deniq; cum viderem alienã humiditatem inſinuaſſe ſe in membra exteriora, dedi illi decoctum ligni guaiaci per quatriduum, iuſſi vt ſudaret, quantum vires ferrent. Repetiui id poſtea cum bene conueniret. Idq; factum eſt decumbente ſocero meo Croſnæ, paulo ante mortem ipſius. Quæris euentum. Antea ingerebatur illi cibus inciſus in os, cũ ipſe nec cultrum tenere, nec manum ori admouere poſſet. Tum vero me ipſum inuiſente Anatomicum agebat, gallinaq; é patina arrepta & inciſa, mihi quicquid toto prãdii tempo-

tempore edebã, præponebat. Reliquum erat vt paulatim calorem naturalem ſuſcitare,& auctiorem reddere ſtuderet, ſed ille neglectis remediis,intemperãtiæ frena laxabat. Interea Nugiuendus quidam Paracelſicus (qui poſtea furto ablatis rebus alienis, & conuaſatis cõiecit ſe in pedes)magnifica illi pollicitus,valetudinem ipſius violentis & vitriolaris remediis, aut venenis potius, ita attriuit, vt poſtea non tam de morbo propulſando, quam de viribus ſuſtentandis & retinendis ſollicitus eſſe cogeretur. Ita ille, dum ſubito conualeſcere cupit,malam valetudinem(nebulonis illius mẽdaciis in ſpem ſummam erectus)ſibi accerſiuit, ac ſic tandem periit. Qui ſi recta conſilia ſequi petrexiſſet, per multos annos vita frui potuiſſet. Alter eſt Albertus à Kracht, qui ſimiliter ex colico factus erat paralyticus, ita vt præter collum cæterorum nihil mouere poſſet. Dixi illi ne nimium properaret vſurpãdis remediis, ne fieret humorum aliqua vehemens agitatio, ſed ſenſim illi collectos humores detraxi, & propemodum eadẽ vſurpaui,quæ apud Roteburgium. Eduxi

II. Alius caſus.

pituitam per nares, adhibui fomenta manibus, vt confortarẽtur nerui, viuit & valet hodie adhuc, venatur, potat, omniaq; munia ita obit, quaſi antea nunquã ægrotarit. Hæc propterea ſcribo, vt videas primum morbum non eſſe nouum & inſolitum, deinde non eſſe incurabilẽ. Tu quidem ſcribis; illi calamũ digitis tenere non potuiſſent: ſed quoniam rogas vt totam morbi rationem tibi exponam, faciam id quidem lubenter, ſed tu boni conſules, ſi in hac mea inquietudine confuſe ſcribam. Scis ipſe inteſtina eſſe quaſi ſentinam excrementorum corporis, eoque delegari excrementa vt excernantur. Id ſi fit, nihil eſt in colica periculi. Sed ſi incidat inteſtinorum repletio, vel primo ex flatibus inteſtina vehementer diſtendentibus, vel ſecundo ex humoribus craſſis, frigidiſſimis, qualis eſt pituita vitrea, vel tertio acribus, rodentibus, vt à viridi illa ſeu æruginoſa bile, tum ſane iam materia adeſt colicos dolores excitare parata. Sed *Tria in colica.* cum morbus inuadit, tria illa concurrere ſolent. *I.* I. Obſtructio alui, propter aridorum *II.* ſtercorum copiam. II, Siccitas inteſtino-

teſtinorum, cum qua ſæpe coincidit renum obſtructio & caliditas, ſiccitatem illam fouens. Interdum etiam purgationes nimis crebræ vias poſt ſe reſiccãt, præſertim cum tenues materiæ expurgantur relictis craſſis. III. Affluxus humorum ex venis augens flatus. Hoc rerum ſtatu cum colo ſupra ab humoribus, infra à ſtercoribus obſtructo, flatus nec erumpere aperte, nec propter craſſitiẽ per occultos meatus tranſpirare poſſunt, oritur miſerabilis illa inteſtinorum diſtenſio (quę colica dicitur) præſertim ſi arida ſimul ſint inteſtina. In hac quo maior eſt ex venis affluxus in inteſtina, eo plures flatus excitantur, & colici dolores fiunt atrociores. Habes morbi naturam & cauſas, & paucis multa comprehenſa. Quæris quid agendum? Duo ſunt ad medicandum tempora: alterum præſeruationis, ne morbus oriatur, alterum curationis morbo iam præſente. Præſeruatio tota conſiſtit in remotione cauſarum (reſpicio ad prędicta) nempe ne generẽtur humores phlegmatici, humor vitreus, viridis, flat⁹. Id fit ſuſcitato calore naturali, & ventriculo ad officiũ reducto. III.

In colica duo agendi tempora

Præſeruatio colicæ.

Ita enim non tot generantur cruditates, nec cibus corrumpitur, & ſi quid oboritur flatuum, ſponte emittitur. Quod ſi humorum aliqua collectio animaduertitur, mature ea familiari aliquo medicamento adimenda eſt corpori. Interdum autem maior, interdum minor eſt collectio, & nunc hi, nunc illi humores peccant, nec eadem ſemper eſt corporis diſpoſitio. Vnde fit vt non eundem omni tempore medicamenta effectum ſortiantur, vt propterea non ſemper medicamenta culpam mereantur, præſertim in hominibus raræ texturæ, quos interdum vel venti auſterioris afflatus proſternit. De præſeruatione hactenus. Nunc de curatione, quæ omnia à me hoc tantum conſilio ſcribuntur, vt videas diſcurſum in hoc morbo, & quid facto opus ſit, vtque ipſemet in tuo morbo de remediorum qualitate, tempore, & vtendi modo iudicare poſſis. Colica oritur ex flatibus, verum eſt, ſed hic protinus aliqui feſtinant ad flatus diſcutiendos, adhibent fomenta, illinunt vnguenta, dant per os flatus diſcutiētia, &c. quæ ſane in colica leuiori faciunt, quod debent,

Curatio.

debent, hoc eſt, diſcutiunt flatus, ſed in vehementi tantum abeſt vt proſint primum adminiſtrata, vt plurimum etiam noceant, quandoquidem pituitam in inteſtinis contentam in flatus diſſoluunt, & morbum augent, ſicut memini accidere Doctori cuidam Francofurtenſi, quem remedia contra colicam apta, non apto tempore vſurpata pæne enecarunt, iamq; ad extremam maciem redegerant. Habent flatus diſcutientia ſuum locum; & iis omnino opus eſt, ſed antequam ea adhibeantur, neceſſe eſt vias inferiores aperiri, ſtercora arida obſtructionem facientia educi, & ſiccitatem inteſtinorũ emendari. Ad hoc medicamẽtum nullum magis idoneum eſt, quam clyſteres leniẽtes, mollientes, & ſi viſcida materia adſit, etiã incidentes & abſtergentes. Neque protinus ſi vnum enema ſucceſſu caruerit, deſiſtendum eſt ab vlteriore vſu illorum, ſed inſiſtere oportet, donec obſtructio à retentione ſecum exorta tollatur. Cur autem non recipienda ſint olea in clyſteres ego non video, cum lubricitent inteſtina, eaque molliant. Multo magis metuo

Flatus diſcutientia quando adhibenda.

Clyſteres quid in colica præſtent.

ſiccitatem, quæ non vſurpatis oleis relinquitur. Frãcofurti D. Lindneri vxor cum præ doloribus colicis iam expiratura videretur, ſanata eſt ſola emollitione inteſtinorum exiccatorum. Impoſui enim rete caſtrati (*ein hammel oder ſcheps Netze*) calefactum in lebete, & antequam illud conſequerer, appoſui vitrum cum lino incenſo, inducias inde quærens in dolore. Emollitis inteſtinis ſtatim excreuit plurimum vitreæ pituitæ, & multum etiam acrium bilioſorum humorum, ſicque illa, quæ moritura putabatur contra ſpem conualuit. Hoc ſaltem adſcribo, vt appareat quanta res ſit emollitio inteſtinorum in colica, quæ in vſum olea indi ſolent. Galenus certe cum ex phlegmate vitreo inteſtina ipſi veluti terebro perforentur, fatetur in illa ſua colica iniecto per clyſterem oleo rutaceo magnam frigidiſſimæ pituitæ, hoc eſt, vitreę excreuiſſe & conualuiſſe. Adſcribam verba Langii popularis mei, Medici expertiſſimi, ex epiſtolis eius. Si colon, inquit, flatu groſſo, aut phlegmatis vitrei frigore cruciatu intolerabili (quem

Caſus.

Rete caſtrati.

Olea in colicis.

Langius de colica.

(quem crebro extremorum paralyſis excipit) diuellitur, ſi olea ſubtilioris ſubſtantiæ, quale eſt ſabinum, (in quo ruta aut ſemina cymini, dauci, aniſi, quæ flatus craſſos diſcutiunt, decocta fuerint, additis quæ phlegma illud vitreum educere poſſunt) cum clyſteri infuderis, patientem confeſtim ab huius doloris colici carnificina liberabis. Neminem prætereа video ex Medicis expertiſſimis, qui olea horret, aut qui inde paralyſin fieri tradat, & inde ea fieri poſſit ratione aliqua doceat. Videbis id ipſe paulo poſt cum curationem oſtendero, quomodo colica in reſolutionem extremorum terminetur, aut permutetur. Proinde non opus eſt, vt olea incuſes, quæ te in hunc nouum morbum præcipitarint, indita clyſteribus. Dices, cur autem tam diu durant paroxyſmi, & cur toties recurrunt? Reſpondeo, Quia ſubinde noua fit effuſio humorum ex venis in inteſtina, quæ quia imbecilliora ſunt, ideo promptius recipiũt ad ſe miſſa. Quo magis dolor increſcit, eo maior exagitato phlegmate ſuſcitatur flatuũ copia,

& à dolore major quoq; fit vitioſi humoris è venis attractio. Inde neceſſe eſt diuturniores fieri paroxyſmos. Recurrit autẽ morbus citius vel tardius pro frequenti, aut maiore influxu humorum, & flatuum in inteſtina, fitq; hic affluxus ſæpe à toto corpore, interdum vero ex capite etiam, cum dolores ſunt tã pertinaces, & ſimul dolet ventriculus & inteſtina. Hactenus de colica. Audi nunc de reſolutione extremorum. Admirabile eſt inprimis, cum reſolutio fiat ex pituita craſſa in cerebro contenta, & neruis tenaciter impacta, vt ſpiritus animalis in membrum, in quod nerui propagantur diſtribui non poſſit: Colica vero generetur ex humoribus & flatibus, vel in colo contentis, vel ad inteſtinum illud aliũde effuſis, qui fiat vt poſt colicam artus reſoluantur. Sunt enim loca valde diſſita, colon & principium neruorum, & mirum videri poteſt, quomodo materia ad extremos artus peruadat. Reſpondeo; Non in omni colica reſoluuntur artus, ſed tantum in illa, quæ magna ex parte pendet ex delapſu pituitoſi humoris ex capite per venas in inteſtina.

Reſolutio extremorum.

Quomodo reſolutio ſequatur colicam.

In

In illa tantum ſpecie colicæ ſequitur reſolutio, hoc modo: Dictum eſt dolorem colicum fieri ab humoribus crudis ex toto corpore, atque etiam ex capite per venas in inteſtina effuſis, quibus ſæpe admiſcetur aliquid bilis, quæ mordicat inteſtina. Primum igitur quia humores craſſi & multi ſunt, & à natura ſemel expelli non poſſunt, paulatim & ſecundum partes ex propioribus venis affluũt, & paroxyſmos faciunt. Vbi vero iam maxima pars in inteſtina effuſa, per aluum excreta, & per paroxyſmos abſumpta eſt, vt iam quodammodo miteſcere, & rarius inuadere colica videatur: tum reliqui humores, & præſertim qui in capite ſunt, propter dolores, inediam, vigilias, calidorum & incidentium vſum, &c. attenuati, relicta priori conſueta via, ad propiorem viam declinant, & ita ſecundum neruos ad muſculos, & ſic ad manus & pedes contendunt. Natura quoque ſe exorneratura mauult reliquias illas attenuatas in propinquum locum deponere, quam in locum tam remotum amandare, præſertim cum nõ vt prius tantis cruciatib. irritetur,

Motus humorum in colica ad articulos.

& minor fiat à dolore attractio. Ita laxantur artus natura ſe exonerante & detrudente materiam in extremos artus. Et quia natura mauult huc, quam ad inteſtina procul diſſita humores mittere, ideo mitius tum inteſtina afficiuntur, ac quaſi dolore liberata videntur. Non igitur in inteſtinis continentur humores, qui ad artus reiiciuntur (ab oleis in clyſteribus vſurpatis incitati) ſed eo quo dictũ eſt modo in artus deturbantur, vt ſequatur impotentia quædam in neruis, &c. Habes tum colicæ, tum huius nouæ affectionis rationem, eo conſilio tam prolixe expoſitam, vt ipſemet videas quis, qualis, quantus morbus, & ne tot colicas tibi comminiſcaris. Recte tu quidem ſcribis (recitò verba tua) fons mali eſt frigidus ventriculus, ne dubita. Is pro bonis ſuccis, quibus corpus alendum erat, gignit cruditates, quæ redundant in caput, & inde decidunt frigidæ illæ defluxiones in brachia & pedes. Quod ſumpto prandio mitigati ſunt, non vſque adeo eſt mirum. Natura cibo concocto, intenta fuit expulſioni humorum ad membra, ſum-

pro

pto autem cibo conuertit ſe ab expellendo ad concoquendum ea, quę fuerant aſſumpta. Igitur tum mitiores facti ſunt dolores ſumpto cibo. Vicinus veſter mihi videtur bene proceſſiſſe, vt tum res tuæ, & tempora tulerunt. Illud neſcio an venę ſectionem in pedibus conceſſurus fuerim ſi adfuiſſem. Noluiſſem enim ſolicitare amplius materiam ſponte eo defluentem. Quod pillulis & clyſteribus imputas defluxum, traxerunt illa ex vicinis partibus, quæ potuerunt, non in membra, ſed ex membris, & attracta è corpore eduxerũt, ſed quod poſtea humores è capite in extrema membra dilapſi ſunt, id ipſorum copiæ potius imputandum eſt, quia ſponte ſibi viam quæſiuerunt, & inuenerunt, vt videmus in catarrhis, qui ſæpe nulla re incitati in muſculos, aut ad pectus ruunt. Venio ad ruſticum tuum, qui talis mihi videtur Medicus, qualis alter ante ſeſquiannum concionator. Quoſdam curauit, inquis, id eſt, vt ego interpretor, diſtulit illis aliquandiu dolores. Sicut etiam accidit cuidã ciui Saganenſi. Nam niſi illi præſeruationi incubuerint,

Ruſticus medicus.

& cauſas ſui morbi ſubinde auferre ſtuduerint, recurrentibus cauſis, recurret etiam effectus. Mitto ex iis, quę tibi ſcripſit, ſinapi, anethum; aquā chamædryos, cum ol. iuniperi, &c. friuola enim hæc. De cæteris dicam. Vnguentum anodynon vſurpaſſe te in magnis doloribus, non videtur mihi male factum; leniente tamen opus fuit. Sed poſtea procedente tempore diſcuſſorio opus erit, & roboratorio; quod ea, quæ influxerunt, diſcutiat; & ſimul membra confortet; ne facile recipiant humores affluxuros. Auena in ſartagine aut lebete frixa, & ſacculo indita egregium eſt fomentum in doloribus colicis. Marchionem Iohannem ex magnis doloribus releuaui hoc vno in thermis, cum nihil reliquorum adeſſet ad manum. Attenuat flatus, & habet etiam vim laxandi. Sed non imponendus eſt ſacculus ventriculo, ſed ventri inferiori. Balneum ſudoriferum ſi te non debilitaret, multum humiditates eſſet è corpore euocaturum, eius præcipue quæ inſidet membris, quam in aliis decocto ligni guaiaci per ſudores elicui, tibi id conſulere, niſi

Anodynon.

Auena frixa.

Medicus

Medicus adſit, neſcio an auſim. Sed ſi adeſſem darem profectò ad quatuor aut ſex dies decoctum ſolum, præmiſſa tamen prius purgatione. Præſens enim ſi quid incideret, corrigere accidentia poſſem. Mithridatium quoq; mitto, ita vſurpandum quemadmodum prioribus literis ſcripſi. Exuſcitat continuo vſu calorem ventriculi, & humiditates tunicis ventriculi inhærentes, & concoctionem impedientes abſorbet, & conſumit, ſed non illico vna aut altera vſurpatione. Tu ſane expetis remedia, quæ protinus ſanent, ac niſi cito iuuent, addis, nihil, nihil fecit. Verum eſt, talia eſſe oportere ad manũ in magnis doloribus, ſed in corrigẽdo malo habitu corporis, aut partis alicuius, nequaquam violentis & validis procedendum eſt. Sed benignis ac lentis, calorem exuſcitantibus durabilem, nõ exſufflantibus flammam mox euaneſcentem. Si quis te reuocet ad prius præſcripta remedia corrigentia intemperiem frigidam ventriculi, dices, hæc prius vſurpata ſunt, nihil iuuant. At ego ſi mea res ageretur, nequaquam ea negligerẽ, aut reiicerem.

Mithridatium exuſcitat calorem.

Etſi enim rotulę, puluis ſtomachalis craſſus, ſacculi, vnguenta, &c. non magnam opem ventriculo adferunt humorum ſarcina aut mole grauato, tamen certum eſt, idq; experior indies ventriculum ab humoribus liberatum eiuſmodi remediis multum iuuari, & temperiem eius corrigi. Sunt enim illa omnia propemodum temperata, aut certe contemperata. Qui intemperata & valde calida expetunt, illi primo occurſu aliquid opis ſentire videntur ex illa calefactione, ſed paulo poſt exiccatur aluus, incaleſcunt renes, aduritur ſanguis, &c. Oportebit te animaduerſa humorum colluuie interdum per interualla euacuare remediis vſitatis; vt rotulis tuis ex Diaphœnico, &c. & aluum tenere apertã. Cauſas omnium arbitror ex ſupradictis apparere. Affectionem vero illam tuam nouam nondum habeo pro paralyſi, quia incedis, ſcribis, &c. ſed pro decubitu humorum paucorũ & craſſorum, flatuum in artus. Spero tamen, cum ventriculus minus cruditatum genuerit, naturam ſponte morbum diſcuſſuram. Reliquorum, quæ feri debent, ſupra

ſupra memini. Valde difficile eſt ſcribere homini raræ texturæ, & tali cuius valetudinem etiam auræ mutatio variat, incognitis morbi temporibus & reliquis circumſtantiis. Quanta mutatio poteſt incidere dum mittuntur, & remittuntur literæ? Vtinam cum Medico aliquo tibi vicino de his rebus colloqui, aut mihi ipſi adeſſe liceret. P. T. rectiſſime valere opto. Ignoſce quæſo tam confuſe ſcribenti. Deus nouit, quam paruum mihi iam ſit ad ſcribendum temporis. Coloniæ ad Sueuum 29. Martii, anno 1581.

Caspar Hofmannvs, Med. &c.

CONSILIVM XV.

In fluxu hæmorrhoidum, pro quodam generoſo Domino.

IN hæmorrhoidibus ſupprimendis magna cautione vtendum. Primum autem acrior ſanguis contemperandus victus ratione. Vtatur ſæpe butyro nouo, & maxime cum pane recenti & adhuc calente (*warme Semmel*), comedat fraga *Sanguinis contemperatio.*

cum habere poteſt. Et interdum fragorum aquam bibat. Inteſtinum rectum decocto herbæ fragariæ cum radicibus ſæpe foueat, & inungat iſto vnguento:

℞ Tragacanth. ℥ i.

Ducatur cum aqua fragariæ in mortario plumbeo, piſtillo plumbeo, & addatur parum lapidis Calaminaris præparati, triti in puluerem & loti, f. vnguentum molle. Aſperguntur etiam recte pulueres ſcrophulariæ, & antimonium cnidum pulueriſatum. Sed ad grauiter adſtringentia non eſt temere, abſente Medico conſulendũ, neque præſenti deueniendum.

IOHAN. CRATO A KRAFTHEIM, MED. &c.

CONSILIVM XVI.

A M.V V. vr. Latina donatum.

In febri peſtilenti, ſeu morbo, quem vocant Vngaricum.

MORBI, qui his temporibus graſſantur, febres peſtilentiales ſunt, petechiis & maculis inſignitæ, plerunq; etiam contagioſæ, in plurimis cum ſynocho & faucium inflammatione, vulgo mor-

morbum appellant Vngaricum. Ad præſeruationem autem inprimis facit, vt corpus excrementis liberetur, euacuatione cuiuſque corpori conueniente, cum vna formula omnib. accommodata præſcribi non poſſit. In quibus autem corporibus ſanguis plurimus eſt, iis vena ſecanda eſt ex conſilio præſentis Medici, adiuncta recta victus ratione, quæ cum abeſt, etiam præſtātiſſima remedia parum proſunt, ſæpe nocent etiam plurimum. Mane cum in publicum prodeundum eſt, aceto roſaceo aqua admixta os eluatur, lingua mundetur, facies tota, itemque manus eodem ſucco abluantur. Ad eum vſum vtilis eſt aqua, in quam cortices arantiorum, aut citri iniecti ſunt. Cum exeundum eſt, hi morſuli teneantur in ore: *Præſeruatio in febri peſtilente.*

℞ Boli armen. loti ʒ II.
Margarit. præpar.
Coral. præp. a. ʒ I.
Sp. liberantis ʒ I ß.
Cortic. citri,
Sem. citri an. ℈ I.
Sacch. in aq. roſac. diſſoll. ℥ IIII.
Conſer. roſa. ʒ II. f. confectio in tabulis.

Naribus adhibeatur odor aceti roſati, & rutæ, vel in ore cortices citri teneantur. Nam qui zedoaria & garyophyllis ſe munire volunt in præſeruando, plurimum ſibi nocent. Quod ſi quem morbus inuadit, & vẽtriculum male affectũ deprehendit, illico vtatur hoc bolo purgante, & ſi plethora ſanguinea adeſt, tertio die venam ſecet. Poſt tertium diem nemo, cui vita chara eſt, & ſalus ſua, in hoc morbo vel purgatione vtatur, vel phlebotomia, quamuis minus periculi in purgatione, quam venæ ſectione eſt:

Aromata in peste pernitioſa.

Poſt tertium diem vena non ſecanda eſt.

℞ Agaric.rec. Trochiſc. ℈ IIII.
Syr.conſeruat. Zinzib.parum.
Oxymel. q. ſ.miſc.f.bolus mollis.

Poſtea æger drachmã vnam ſũmat huius pulueris, bis ſingulis diebus mane & veſperi, & ſi ſudor ſequitur, ſuſtinendus eſt:

℞ Sem.napi ʒ I.
citri ʒ ß.
acetoſæ ℈ ß.
Camphoræ gr.III.miſc.f. puluis.

De die hunc Iulepũ bibat, quoties viſum eſt, & ſi ex eius vſu refrigerari ſtomachũ ſenſerit, iniiciat aliquid cinnamomi.

℞ Aq.

℞ Aq.puræ ℔ *II.*
Raſuræ cornu cerui in petia ligat. ʒ *VI.*
Sem.& cortic. citri an. ʒ *II:*
Decoq.ad ℔ ß conſ. Calaturæ ℞ ℔ *I*ß.
Succi limonum ℥ *III.*vel ſi non habetur,aceti,ſacchar. ℥ *II* ß.

Coq. deſpumando ſemper, & purificentur cum albumine oui. Vtile etiam in hoc morbo aquam acetoſæ bibere, ſi in dimidium cantharum aquæ gutta vna olei vitrioli inſtilletur. Alii ſtatim initio vehementiſſima vſurpant, vt ſuccum ſemperviui, ſalnitrum, ouorum albumen, & vinum ſublimatum,quod improbo, vt maxime laudentur. Raphanus, quia magnam vim habet attrahendi malignitatem materiæ, vtile eſt ſcobem eius pedibus ſale & aceto prius mundatis alligare. Idem etiam occipitio apponi poteſt, ſi vehemēs capitis dolor adſit. Conueniunt ægris cibi molles,ius gallinarum cum ſucco limonum, vel citri, vel acetoſæ coctum, itidem & ptiſana. Ventriculus muniatur multiplici lino impoſito veteri. Aluus ſi adſtricta eſt, ſimplici clyſtere vtendum eſt ex iure gallinę malua incocta *Raphani radix*

Optimum remedium in peſtilentibus. & addito ſaccharo. Vehementiora remedia in hoc morbo non ſunt neceſſaria. Aqua vero cardui cum cornu cerui, aut lapide Bezoar ægro in potu data, multum in hoc affectu valet.

IOHANNES. CRATO A KRAFTHEIM, MED. &c.

CONSILIVM XVII.

A Cl. viro, Domino Wenceslao Raphano Medico latinitati donatum.

De præſeruatione à peſte, quibuſdam Morauiæ proceribus præſcriptum anno 1572.

PRÆSERVATIO à peſtilenti infectione, inuocato prius auxilio diui-
1. no, in his præcipue conſiſtit. Primo, vt corpus ab excrementis repurgatum, &
2. ab obſtructionibus liberum ſit. Secundo, vt aer infectus, ſi caueri nequeat, in con-
3. clauibus alteretur, & corrigatur. Tertio, vt cor antidotis conuenientibus præmuniatur, ne aer infectus, quoquo modo at-
4. tractus, cordi exitialis ſit. Quarto, vt quilibet, habita vocationis ſuæ ratione, animum non deſpondeat, ſed bona ſpe ſeſe erigat & ſuſtentet. De primo: Nimius medi-

medicamentorum vſus hoc tempore valde eſt ſuſpectus, ſæpeque plus noxæ quam adiumenti corporibus affert. Conſultius autem multo eſt, conueniente victus ratione vti: cibus ergo ſit conſuetus, ſanitatis tempori cõgruens: piſces tamen, pinguia, auium paluſtrium carnes, ſuillæ, & fructus omnes ὡραῖοι caueantur. Cibi omnes aceto (exceptis podagricis, & neruorum affectib. vexatis) ſucco limonum, citriorum, cotoneorum condiendi: potui quoq; citriorum cortices imponendi, & cum cibis, ſeq. puluis ex aceto aut vino diſſolutus, vſurpandus: *Diæta.*

♃ Margarit.alb.præpar. ʒ *ii*.
Corall. rub. præpar.
Boli armen. oriental. a. ʒ *i*.
Cinnamom. el. ʒ *iii*.
Cum ſ. q. ſacchar. f. puluis.

Caueantur vina fortia, dulcia, turbida, craſſa, & fucata, ſicut & cereuiſiæ craſſæ, quæ multum lupuli habent. Ad euacuationem putridorum & excremẽtitiorum humorum, ſufficient pillulæ ſequentes ad ʒ *i* ſemel in hebdomade ſumptæ:

♃ Aloes optimæ ℥ *i*.

Myrrhæ el. ℥ ß.
Croci oriental. ʒ *II*.
Cinnam.
Coriand. præpar. a. ʒ *I* ß.
Sem. citri,
acetoſ.
baſilic. a. ʒ *I*.
Lig. aloes,
Margarit. præpar.
Corall. rubeor. præpar.
Cornu ceruin.
Raſuræ eboris a. ℈ *II*,
Tormentill.
Diptami alb.
Terræ ſigill. a. ʒ *II*.
Boli armen. oriental. ʒ v*I*.

Pulueriſata dimidia pars excipiatur cum ſ. q. ſyrupi de corticibus citri, & f. maſſa: reliqua medietas pnlueris ſeruetur pro vſu, & ſumatur ad ʒ ß. ad ʒ *I*. ex ouo ſorbili, aut aliter, bis in ſeptimana: Vel:

℞ Aloes ʒ v*I*.
Myrrhæ ʒ III.
Croci ʒ I.
Rhabarb. el. ʒ II.
Agaric. el. Troch. ʒ I.

Ca-

Caryophyll.
Sem. citri. a. ℈ i.
Tormentill.
Santalb: rub. a. ʒ i ß.
Boli armen. oriental. ʒ iii.
Caphuræ ℈ ß.

Pulueriſata excipe ſyrupo acetoſitatis citri, & f. maſſa, de qua formentur pillulæ mediocres pro ʒ i. ſumantur ſemel in ſeptimana. Cum vero hæc è myrrha & aloe medicamenta epati, præcipue calidiori, minus cōueniant, horum loco rotulæ ex Rhabarbari extracto vſurpari poterunt:

℞ Extracti Rhabarb. ʒ i. è ſucci roſar, ʒ ii diſſoiuti.
Rhabar. electiſſ. ſubtiliſſ. pulu. & aq. Cinnamomi aſperſi ʒ ii.
Conſer. roſar. odorifer. ʒ *ii*.
Sacch albiſſ. ex aq. cinnam. diſſol ℥ *iiii*.

Miſc. f. rotulæ, pōdere ʒ *iii*. ſumatur vna ſemel in ſeptimana, aut in duab. De ſecūdo: alterū caput præſeruationis eſt aeris correctio, per quē μιάσματα infectionis ab vno loco in aliū, ex infectis locis & corporibus traducūtur: ita aer calidus, craſſus, turbidus, occluſus, nec ꝓbe ꝑflatus, peſtis III. *Aeris corre-ctio.*

-lens

ſeminaria diutius in ſe continet, eámque auget, niſi ſalubriorum ventorum perflatu, igne, aliisque ſuffumigiis corrigatur. Probantur itaque in tali caſu ignes perpetui & luculenti è ligno pini, iuniperi, abſinthio, & roremarino vel ſuffumigia è granis iuniperi, roremarino, & ſuccino parata & prunis inſperſa: quibus & veſtes, & linteamina, lectusq; ipſe quotidie mane & veſperi ſuffiri debent: vel cubilia hac aqua aſpergantur.

℞ Aq. roſar. ℔ *1*.
Aceti ℥ *111*.
Pul. Trochiſc. de camphora,
Santal. citrin.
alb. an. ʒ *1*.
Camphoræ ʒ ß. miſc.

Aut ignito lateri, ſilicive hęc aqua inſpergatur, vnde fumus excitetur:

℞ Aceti vini ℔ *1* ß.
Aq. roſar. ℔ ß.
Santal. citrin. ʒ *1*.
Cinnamom. ℈ *1*. miſc.

Facies & manus abluantur ex aqua roſarum, cui acetum roſa. cum tantillo camphoræ, permixtum ſit: pedum plantæ fricen-

centur cum aceto & ſale. Naribus odoramenta ex aceto infuſionis rutæ, & pauca camphora admoueãtur: poma item ambrę & trochiſci pro fumo, aliave cõplura, quæ ad aeris correctionem paſſim in Medicorum libris reperiuntur, & hic pluribus commemorare ſuperuacaneum iudico. Egreſſuri in publicum maſticent zedoariam, angelicam in aceto præinfuſam, cortices citriorum ſumme vtiles, aut ore contineant Trochiſcos ſequentes:

℞ Cortic. citri ʒ II.
Zedoar.
Angelicæ præpar. an. ʒ I ß.
Lig. aloes,
Ireos an. ℈ II.
Sem. citri excortic.
Caryophyll.
Nucis cond. a. ℈ I.
Moſchi,
Ambræ an. gr. II.
Sacchar. cand. ℥ I.

cum mucilagine Tragac. & aq. roſar. addito in fine oleo Macis, fiant Trochiſci parui inſtar bechiarum. Iis qui moſchum abhorrent, abſque moſcho & ambra pa-

III. *Antidota pro corde.* rentur. De tertio: Intermediis diebus quibus purgantia non aſſumuntur, antidotis præſeruatiuis vtẽdum eſt, quæ cor, quod inprimis petitur, & reliqua membra principalia aduerſus peſtis virulentiam muniant & tueantur: quale eſt hoc electuarium, de quo quotidie mane ſumatur instar auellanæ, hyeme è vino albo tenui, æſtate vero ex pauxillo vino cum aqua roſarum, aut acetoſæ permixto:

℞ Diptami cretic.
Terræ ſigill.
Boli armen. præpar.
Myrrhæ,
Abſinth.
Rutæ,
Scabioſæ,
Pimpinell.
Acetoſæ,
Zedoar. an. ʒ *i*.
Rad. Ariſtol. vtriuſq;
Tormentill.
Baccar. lauri. an. ʒ *i* ß.
Nucum iugland. nec rancid.
num. v*i*.
Caricar. ping. n. x*i*.

Mi-

Mithrid.
Theriac. el. a. ℥ *1*.
Croci,
Camphoræ a. ℈ *1*.
Vnicornú,
Margarit. alb. non perforat.
Oſſ. è corde ceruì,
Cornu cerui vſti a. ʒ *1* ß.
Sem. citri excortic. ℥ ß.
Macis ʒ *1*.

Trita ſubtiliſſime excipiatur ſyrupo acetoſitatis citri, & redigantur in formam electuarii. Huius generis ſunt etiam Tabulatum Imp. Ferdinandi, piiſſimæ memoriæ, electuarium meum de ſuccis, ſalutis, & liberantis, quæ omnia ſumma fide præparata Veſtræ Magnificẽtiæ nanciſci poterũt Vratiſlauiæ apud Sebaldum Lauream Myropolam in foro gallinario. Cum autem cor inprimis ab occulta veneni vi petatur, antequam domo quis egrediatur, ſub ſiniſtra mammilla hoc vnguentum illinendum eſt:

℞ Theriac. opt. ʒ *111*.
Croci,
Camphoræ an. gr. xv.

Cum ſ. q. ſucci limonum & aceto roſato f. linimentum. Aut ſupra cordis regionem geſtetur ſacculus ſequens:

℞ Flor. roſar.
borrag.
bugloſſ.
Sandal. omnium,
Been vtriuſque,
Nucis cond.
Lig. aloes,
Croci,
Zedoar.
Diptami alb. an. ℥ ß.
Ocymi citrati,
Meliſſ.
Cortic. citri. an. ℈ 1.

trita in pulverem condantur ſacculo è ſerico rubro interſtincto; qui calefactus ſupra latere calente, prius cum aqua roſar. & aceto aſperſo, tepide cordi apponatur. De quarto: Vltimum ſed præcipuum præſeruationis caput, eſt animus bonus & imperterritus, quem alii continuis ingurgitationibus; alii aliis rationibus & mediis Chriſtiano homine indignis ſibi parare ſatagũt: Experiẽtia tamen con-

IIII. *Animi præſentia.*

conſtat nimio metu & animi anguſtia, deſperationeve periculum nõ imminui, verum potius attrahi atque augeri: propterea cuiuis Chriſtiano talia media, infectionis peſtiferæ tempore, quærenda, quibus pie & tuto liceat animũ à nimio metu, & triſti cogitatione abducere, ne cor omnium affectuum ſedes talibus curis debilitetur, faciliusq; à veneno afficiatur, aut ipſum peſtiferum virus inſtar ſuccini, attritum ad ſe attrahat. Miſericors & clemens Deus noſtri miſereatur, & gladium iuſtæ vindictæ, miſericordiæ oleo temperet.

IOHAN. CRATO
À KRAFTHEIM, MED. &c.

CONSILIVM XVIII.

In alopecia, pro quodam nobili.

ALOPECIA diuturna in cute denſa & glabra, quæ aſperiori frictione, & fotu nihil rubeſcit, difficulter curatur. Eſt tamen in iſta deformitate potius anceps, quam nullum remedium adhibendum. In victu abſtineat à leguminibus, lacticiniis, & quæ ſunt idonea corruptioni. Cibi ſint omnes boni ſucci. Vinum moderatiſ-

ſime bibat. Si decoctum aquæ, vel bonæ cereuiſiæ nihil ventriculum offendit; potius ea vtatur. Purgationes corporis neceſſariæ eſſent, ſed cum hæmorrhoides immodice fluant, ab iis temperandum. Aliàs affluxu humorum eo præcipitatorum magis irritarentur. Poſſemus tamen vti, ſi neceſſitas poſtularet, rhabarbaro, myrobalanis, quæ vim leuē adſtringendi habēt. Et caput ſeorſim errhynis atque apophlegmatiſmis à præſenti Medico curetur. Confert ad hoc ſequēs medicamentum;

℞ Pyrethri ʒ j. ß.
Maſtich.
Staphyſagr. an. ʒ ß.
Zinzib.
Nucis conditæ, an. ℈ 1.
Piperis ℈ ß.

Miſc. cum oxymel. & f. electuarium molle. Hoc inungat ſuperiores faucium partes matutine, & pituitam exſpuat. Os eluat ſequenti:

℞ Hiſſopi m. j.
Zinzib. ʒ ij.
Sinapi ʒ j. ß.

Decoqu. in vino & aqua, & adde parum mellis

mellis pro collutione oris. Caput deinceps diligenter abluatur facto lixiuio ex ſtercore gallinarum in cineres vſto, & abradatur, deinceps herba vrticæ fricetur. Inungatur poſtea iſta miſtura:

℞ Auellanar. vſtar. ʒ III.
Sinapi contuſi ℥ ß.
Mellis opt. ℔ I.

Miſceantur lente, & fortiter eo caput confricetur bis in die. Tertio quoque die abluatur cum prædicto lixiuio, in quo decoquatur herba, quæ capillus veneris nominatur. Irrigatur caput deſtillato è mellis ℔. I. ladani ℔. ß. muſcarum vulgariũ m. I. Et hac aqua ſæpe caput humectetur. Caput deinceps leporis aſſati & contuſi, cum axungia vrſina miſceatur, atque eo inungatur. Remedia hæc diu & ſæpe repetenda ſunt: & curatio, ſi primum non ſuccedat, iteranda. Ad fortiora etiam medicamenta deueniendum.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.
MED. &c.

CONSILIVM XIX.

In rubore faciei, pro quodam nobili viro.

INtentiones, vt appellant, ſeu ſcopi in præſeruatione & curatione ruboris faciei, duo videntur, quorum priorem cauſa interna, videlicet maſſæ ſanguinis, alterum locus affectus faciei, ſeu potius cutis illius temperatura conſtituit. Color enim, vt Hippocrates ait, humoris index eſt. Itaque cum effloreſcentia illa humores aduſtiores & acriores atque impuriores eſſe oſtendat, expurgandi atque contemperandi indicatio oritur. Si ſanguis in toto abundare videtur, detrahẽdum eum eſſe conſequitur, ſed cum miſſio ſanguinis feruorem tantum impediat, & in corpore aduſti humores remaneant, ii medicamento vacuante expurgandi. Id rectiſſime per ſenæ dilutum fiet, ſi infundantur vino bene cum aqua meliſſæ atque cichorii contemperato. Folia quidem initio in vino meraciori infundi poſſunt, deinde aqua meliſſæ, vel cichorii, ne caliditas epatis augeatur, contemperandum.

Scopi duo in rubore faciei.

Humorum contemperatio.

In

In æſtate, vel tempore verno, rectius eſt ſerum lactis foliis ſenę cum ſummitatibus meliſſæ, vel floribus cichorii infundere. Hoc medicamento aliquoties repetito ſatis perpurgari poſſe humores arbitror. Contemperabuntur autem rectiſſime victus ratione. Itaque ſalſa & aromatica in victu vitāda, etiam ea, quæ facile corrumpuntur, & vitioſum ſanguinem, ac multos fumos & vapores generant, vt lacticinia, præſertim cum carne ſuilla aut piſcibus in vno paſtu ingeſta. Cibum vero ſimpliciſſimum eſſe oportet. Nam varietatem ciborum maxime ad hanc affectionem facere omnibus Medicis conſtat. Vinum etiam probe diluendum, & præſertim decocto, aut cichorii aqua eſt. Refert enim eruditus quidam Practicus, ſe nouiſſe celebrem Medicum, cui naſus & facies tota rubore fœdo & puſtulis deformata erat, eum his duobus auxiliis curatum; quod quinque menſibus, verno videlicet vno, æſtiuis tribus, & vno autumnali continuo vinum decocto cichorii diluerit, & ante paſtum horis matutinis fructu roſæ caninæ, cydoniati more cum ſaccharo factæ,

Serum lactis cum fol. Senæ.

Qui cibi vitandi.

Holler. de morb. inter p. 285.

Vinum cum cichorii decocto.

vſus ſit. Vinũ decocto cichorii inſuauius reddi non eſt dubium. Vt hoc incommodum effugiamus, poſſes pro primo hauſtu potus decoctum cichorii ſeparatim bibere, & deinceps vino vti, atq; etiã aſſumpta

Elect. cynosbati. condita carne cynosbati, ſeu fructu roſæ caninæ prandium atq; cœna claudi, præſertim cum eiuſdem facultatis ſit, cuius cydonia, & non ſolum ad reprimẽdos vapores, & humores contemperandos magnam vim habeant, ſed & calorẽ renum, ne calculos generet, infringant, & eam laxiorem, vt facilius calculum excludant, id quod experientia obſeruatum eſt, red-

II. Scopus. dant. Altera intentio ad cutẽ, ſeu carnem faciei, cui ita cutis tenuiſſima impacta eſt, vt inſeparabilis propemodum videatur,

Topica. directa eſt. Hæc vero cum omnibus aeris mutationibus perpetuo ſit obuia, atque propter tenuitatem in ea minore reſiſtentia: non mirum ſi facilius imbecillitatem atq; intemperiem contrahat. Itaq; in primis vtile exiſtimatur, interdũ faciem no-

Sanguis leporinus. ctu illinere ſanguine leporino, & mane aqua fragorũ, vel aqua è floribus verbaſci cum ſucco limonũ deſtillata abluere. Ad abluen-

abluendum vti ſeminibus melonum, cum nucleis perſicorum contuſis, vel ſumere radices Aronis, & pulueriſatas miſcere farinæ triticeæ, atq; ita in furno inſtar panis coquere, & ex hac paſta facere puluerem, eoq; cum aqua fragorũ, vel ſcrophulariæ deſtillata faciem abluere. Vtile etiam eſt rubeatæ faciei caſeum recentem imponere. Si vero puſtulis facies deformata ſit, exprimatur menſe Maio ex ſcrophularia herba cum radice lota ſuccus, & cũ oleo amygdalarum dulcium miſceatur, atque inſoletur, eoque facies inungatur. Vel fiat vnguentum ex eadem herba hoc modo: Accipiatur ſcrophularia cum radicibus bene lota, & incidatur, ac addito butyro maiali optime depurato coquatur & exprimatur, atq; expreſſum in vitro vſui ſeruetur. Hoc vnguento etiam vlcera, lepræ ſimilia, inuncta ſanãtur. Vtuntur quidam metallicis vnguentis ex ceruſſa, lythargyro, ſulfure, & mercurio confectis. Verum ad iſta temere deueniendum non exiſtimo. Hæc vero à Deo præpotenti fortunari opto. *Pro puſtulis in facie.*

Ioh. Crato à Kraftih Med. &c.

k 4

CONSILIVM XX.

De furfuribus, ſcabritie frontis, rubedine faciei, & excoriatione digiti, pro quodam nobili.

HIPPOCRATES bene dicit: Nihil paruum, nihil contemne, & principiis obſtandum ſapientes monent. Hæc autem omnia, ab vna & eadem cauſa fiũt, videlicet, intemperie calida epatis transmittente vapores acres ad caput, & progenerante ſalſuginoſum ſanguinem & ſeroſum. Curatio vero eſt cauſæ ablatio. Ea igitur adimenda. Id fit I. Cauendo ne materia idonea his exhalationibus & humoribus in victu ingeratur. II. Vt epatis intemperies corrigatur. III. Vt affectarum partium, quaſi reſiſtentia adiuuetur. Victus ſit eiuſmodi. Caueat ante omnia ea, quæ ſalſa ſunt & aromatica, ſitq; quam ſimpliciſſimus victus. Nocent allium, cæpæ, quia iecur inflammant, & caput replent. Olera etiam hîc non laudo. Fugiant omnia fœtida. Exercitia fiant ante cibum. Tria autem dicit Hippocrates eſſe ſaluberrima: laborare abſque defatigatione, cibo

Affectus multi ab vna cauſa.

Cibi vitãdi.

Tria ſaluberrima.

cibo nõ impleri,& veneri moderari. Muniatur ventriculus, nec crudus ſit. Geneſis deſignat cruditates & humores multos,cum in Venere & cancro luna ſit.Item cauda Draconis eſt in aſcendente, & Saturnus in piſcibus,oppoſitus octauæ. Caue etiam medicamenta fortiter purgantia. Victus tutiſſima medicatio. Recte in æſtate vteris floribus cichorii ſaccharo conditis, vel ſaccharo roſaceo, aut ſpeciebus aromatici roſati. Roborant enim mẽbra. Cauenda autem, quæ nimis ventriculum calefaciunt. Localia autẽ ſunt hęc: *Localia.* Ad furfures multa ſcribũtur remedia, ſed cum periculum ſit, ne cerebrum alteretur, caute exiſtimo eſſe vſurpanda. Caput purgetur aliquando ſiccis furfuribus hordei. Sunt enim lotionis vice, & bene caput mundant. Si his ablatis vlcuſcula remanent, illine caput oleo ex vitellis ouorum. Lenit enim aſperitatem cutis,& ſanat vlcuſcula, & colorem capillorum, & cutis vitia expurgat. Etiam frons eo vngatur. Dum cutis à digito diſcedit,ne tangat caput, aut confricet illo. Lædit enim alia etiam membra. Sanatur autem exco- *Excoriatio.*

riatio, ſi in aqua calida diſſoluatur ſeuum hircinum, & eo aliquoties digitus lauetur. Deinde vngatur vnguento ex oleo tartari, & lytargyro præparato facto. Ad rubedinem vſus aquæ fragorum vtilis. Prodeſt etiam ſi lymphatum vinum aq. cichorii æſtiuis diebus bibatur, vel ſi mane cum decocto iure pulli, aut gallinæ radices cichorii ebull. & bibatur. Laudāt quoque conditum fructus roſæ caninæ ante paſtum mane, vel ante cœnam ad magnitudinem caſtaneæ. Conficitur cum ſaccharo, vt cydoniatum. Hoc calculoſis etiam prodeſt. Excoriatio digiti ſanatur vnguento roſato.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, MED. &c.

CONSILIVM XXI.

De pruritu in capite, pro quodam nobili.

EXISTIT hic ab acrioribus vaporibus exhalantibus à ſanguine bilioſo, vel ſeroſis partibus ſanguinis. Cumque obſtructiones fiunt, & materia non poteſt exhalare,

lare, feruntur per cutim, & horrores excitant, & calorem cordis augent, vt febris accendatur. Quia vero tantus eorum prouentus non eſt, quantus fuit olim, ideo minus ſæpe febris adeſt. Curatio eſt hæc, quæ cauſam aufert. Vitanda quæ maſſam calidiorem reddunt, & vapores acres excitant, vt vinum potes, aromatica, allium, cepæ. Varietas etiam ciborum nocet. Medicamentis ſe non fatiget. Vtatur ſaccharo roſaceo, & conſerua è floribus cichorii, & bibat mane decoctum cichorii ex iure macro. Hæc enim contemperant humores. Non olera edat, nec lacticinia, propter oculos. Caput purgandum eſt per nares. Vtile etiam ſæpe lauare caput lixiuio violaceæ herbæ, poſtremo frigidam ſuperinfundere, & abſq; frictione, & calefactione multa detergere. Non eſt reuera morbus, quia actionem non lædit. Caue obſtructiones ne fiat febris, id quod optime decoctum cichorii, de quo ſupra monui, præſtare poterit. *Sacchar. roſac.*

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, &c.
MED. &c.

CONSILIVM XXII.

In affectu manuum, humerorum dolore, ac tumore pedum, pro quodam magnifico domino.

à M. W. W. Latinitati donatum.

DORSO nihil amplius applicet, aut ſi omnino abſtinere nolit, ad dorſi ſpinam cucurbitulas affigat ſine ſcarificatione, vt vehementer attrahant. Pro manibus accipiat has herbas:

℞ Saluiæ,
Origani,
Roriſmarini,
Iuæ artheticæ,
Betonic. an. m. iij.
Stœchad. arab. m. j.

coquantur in vino & aqua, & fomētur ex eo manus tecto vaſe matutine per horam integram. Poſtea vngat hoc vnguento:

℞ Cochlear. nigrar. vrantur in olla, & collectæ ex his humiditatis pinguis ℥ j. ß.
Pingued. ardeæ,
canis domeſtic.
taxi an. ℥ j.
Seui hircini,

cerui-

ceruini, an. ʒ iij.

Mucillag. rad. altheæ per ſpiritum vini extract.

Saponis veneti diſſol. in ſucco altheæ ℥ ß.

Olei lumbricor. ℥ ij.

Puluer. lumbricor. ʒ vj. Miſc. f. vnguentum.

Si poſt huius vſum continuatum per quatuordecim dies non remiſerit, vngat ſe magnificentia veſtra hac aqua:

℞ Calam. aromatic.

Galangæ an. ʒ iij.

Garyophyll. ʒ ij.

Flor. lauendulæ,

rorïſmar.

ſaluiæ an. ʒ j. ß.

Lumbricor. ℥ j.

Vini ſublimati opt. correcti ℥ viij.

ſtent per 14. horas in loco calido in vitro, deinde optime exprimantur. Quoties manus lauare vult magnificentia veſtra, coquat radices vrticæ & cuminum in aqua, addat ſalem, & pro ſapone, diſſoluat ſaponem in oleo iuniperi, & lac erucæ addat. Cum vero & humeri doleant, etiam

has partes aqua præſcripta à dorſo vſque illinat & fricet, nec vnguentum antea poſitum inutile eſſet, modo ne crebro vtatur; quia nō dubito ſolo vſu aquæ malum hoc ceſſaturum. Ad tumorem pedum proderit hæc aqua, in qua pannus madefiat, & mane ac veſperi imponat pedibus:

℞ Baccar. lauri,
Alumi. Rochæ,
Thuris an. ℥ ß.
Sulphuris ʒ ij.

Bull. in ℔ ij. aq. pluuialis ad conſumpt. tertiæ partis: mane autem antequam aqua iſta vtatur, excipiat vaporem ex harum herbarum decocto:

℞ Origani,
Abſinthii,
Artemiſiæ an. m. I. vel II.

Coquatur in æqualibus partibus aquæ & vini, & vaporem excipe pedibus mane. Quæ remedia, vt DEVS fortunet ſerio opto.

IOHANNES. CRATO
A KRAFTHEIM, MED. &c.

CONSILIVM XXIII.

De tumoribus articulorum.

In

IN genere tumorum præter naturam reponuntur illi, qui circa articulos accidere ſolent, quorum quoniam exactus eſt ſenſus, graues præ cæteris afferunt dolores, quæ circa articulos intemperies accidũt, qui morbus Græcis ἀρτρῖτις, Latinis articularis morbus appellatur; qui tamen pro patiẽtium locorum varietate, diuerſa ſortitur nomina, cum tamen vnus ſit & idem affectus. In pedibus enim podagra, in genu gonagra, in articulo femoris dolor iſchiadicus, in articulis digitorum manus chiragra appellatur. Sed quãuis vno & eodem modo denominari conſueuerint, non eſt tamen vna & eadem materiei fluẽtis natura. Nam aliæ arthritides à ſatis frigido humore proficiſcuntur & craſſo, quædã vero frigido humori, vel bilioſum ſanguinem, vel bilem, vel ſalſam pituitam admixtam habent, vt iam ſint miſti quidam affectus, qui variam tamẽ in ratione victus, medicamentis, ſanguinis miſſione & localibus præſidiis curationẽ poſtulẽt. Sed hanc curationẽ præcedit, tum cauſæ efficientis cognitio, tum etiã humoris, qui ad particulam tranſmittitur, naturæ. Sed cum ſciam varias eſſe ſcriptorũ ſententias

Articulori affectus.

Materia illuẽtis diuerſa.

circa membra, à quibus fluxio in partes affectas tranſmittitur: mihi tamen nõ eſt propoſitum contra eorum ſentẽtiam diſputare: ſed meam tantummodo ſententiam vobis aperire, vt poſtea eam comparetis aliorum placitis, vobiſcumque per otium expendere liceat, & experimento etiam comprobare. Sed his prætermiſſis ad rem me confero. Materiam morbi articularis eſſe arbitror crudum humorem, qui ventriculi imbecillioris vitio generetur, vel propter eorum, qui afficiũtur immoderatam victus rationem, quod nimio potu & cibo vtantur, quam quòd poſſit ab innato calido facile diſtribui, & in probum ſanguinem tranſmutari. Qui enim lautius viuunt, nil aliudq; cogitant, quam vt ventri & veneri indulgeant, illi plerunque in arthritidẽ procidere ſolent. Nunquam enim eiuſmodi homines præcedẽtis menſæ alimentum concoxere, quod denuo ad menſam redeunt: hinc magna crudorum humorũ generatur copia, quæ ſi in ventriculo moram faceret, eidem intemperies & dolores afferret: ſi vero in inteſtinis colligeretur, colicis affectibus frequen-

Materia ar- articularis quot & vnde.

frequenter infeſtarentur. Si vero ad articulos de quibus eſt ſermo, tamquam ad imbecilliores partes deferatur, tumorem cum dolore excitat. Maximam præterea morbo cauſſam tribuit, qui frigido potu per æſtatem obleǙatur, quo exiguus eius conſtitutionis calor innatus, frigidiſſimo exiſtente ventre, ſuffocatur, & penè extinguitur, vt vix minimum alimenti concoquere valeât. Cum verò venæ crudis humoribus & flatibus plurimum repleantur. iſti ad venerem valde fiunt procliues, præcipue ob illam ingluuiem, qua venæ replentur nimis, præcipue ſi, vt fieri ſolet, calidum iecoris temperamentum nacti fuerint, indeque accidit, vt ſuperfluum excernere per venerem continua titillatione irritentur, ad veneremq; valde procliues effecti frequentiſſime ad ſatietatem, quantum vires patiuntur, eam exercent, hinc ventriculus imbecillior redditur, caput ſimul afficitur, iecur & renes calidiora redduntur, & quod in venere abſumunt, quærunt denuo in menſa reſtituere, & erratum priori deterius committunt. Tandem quibuſdam accidit, vt

Potus frigidus æſtate.

Veneri.

Diſpoſitio hæreditaria. nullo eorum vitio, quamuis moderatè viuant, à primo tamen ſpermate hæreditariam à parentibus & maioribus ſuis diſpoſitionem acquiſiuerint, propter membrorũ principalium imbecillitatem. Sum igitur in ea ſententia, vt exiſtimem præcipuam ſedem horum crudorum humorum, & membrum præcipue mandãs, & in quo efficiens reſidet cauſa vẽtriculum eſſe, cui interdũ iecoris caliditas bilioſum ſanguinem generãtis ſuppetias ventriculo adfert. Vix enim datur humor ſyncerus, ſed vna cum crudioribus ſuccis, & frigido humori aliquid calidioris ad vehiculum immiſcetur, tractu tamen tẽporis, morbo diutius perſeuerãte, totaq; maſſa ſanguinis vitioſis ſuccis referta, non negauerim quin caput, & vniuerſa quoque membra male afficiantur, & fluxionibus hiſce, & articulorum dolorib. materiam tribuere facile non poſſint. Laborante enim ventriculo, tanquã familiæ œconómo, fieri non poteſt, quin reliqua membra male afficiantur, cum iecur ſanguificationis officina vẽtriculi erratum corrigere nequeat. Quoniam morbi cognitio

cura-

curationem antecedit, in arthritide propterea per propria quædã ſigna materiei affluentis naturam dignoſcere oportet. Nam etſi, vt dictum eſt, materia magna ex parte ſit humor crudus & frigidus à prædominio: admixtos nihilominus plerũq; habet alios humores, eoq; magis vbi dolor vehemẽs extiterit, eius occaſione attrahuntur cæteri humores, quamuis neque ſuperflui, neq; peccantes eſſent. Vbi igitur materia fere tota frigida eſt, ex eo facile vobis innoteſcet, ex natura nimirum doloris. Nam interrogantibus vobis ægrum de doloris qualitate, reſpondebit tenſiuum & grauatiuum eſſe, qui etiam aliquando lacerans & contundens apparet. Gaudent partes affectæ calido, pars ipſa eſt concolor, per noctem grauius, & in conſtitutionibus frigidis & humidis affliguntur. Tumor in parte eſt ſatis conſpicuus, vbi præcipuè tenuior eſt materia cruda, febris interdũ nulla eſt, morbus tamen diuturnior eſſe conſueuit. Vbi vero materia calida, vt bilioſus ſanguis bili permixus, ſimul affluxerit, dolore afficiuntur acri, pungitiuo, gaudet locus

Materia mixta.

Materia frigida.

Materia calida.

affectus frigidis, interdiu magis affliguntur, quam per noctem, tumor exiguus, febris adeſt, partis color eſt mutàtus. Nã rubor partem occupat, quaſi eryſipelate affecta eſſet, interdum ad citrinum vergens. Eius, qui afficitur, temperatura bilioſa fere conſpicietur, & in calidis conſtitutionibus magis ſuas exacerbationes & circuitus experiuntur. Cognita morbi natura, ad ipſam curationem accedēdum eſt; In frigida enim fluxione ita progredi oportet. Inſtituenda primum tenuis victus ratio, & attenuans, qua ad cruditates abſumendas nihil opportunius excogitari poteſt. A vino abſtinēdum eſt. Nam quamuis in frigida materia conuenire videatur: ſui tamen calore & tenuitate partium vitioſis ſuccis vehiculũ præbet, vt in affectas particulas facilius defluant. Quicunq; enim eiuſcemodi affliguntur affectibus ſeu fluxionibus, doloribus, ipſa edocti experientia compererunt vnicum eſſe doloribus ſedandis præſidium ſi à vino ſibi temperent, abſtineant, & tenuiſſimo victu vtantur. Quod vero ad ſanguinis miſſionem attinet, ſi corpus plethoricum

Curatio in materia frigida.

Vena ſectio.

cum

cum ſit, vires ſint validæ, quamuis materia peccans ſit frigida, ſi dolor valde vrgeat, aperienda omnino eſt vena, non tamen ſanguinis magna copia haurienda eſt, ſed quantum ætas, tempus anni, robur virium, conſuetudo, morbique magnitudo poſtulare videntur. Quod attinet ad pharmaciam, valde vtile eſt ſingulis diebus acria iniicere clyſteria, quæ hieram habeant, oxymel, Diaphœnicum ipſum, vt pituitã crudoſq; ſuccos in ventriculo & inteſtinis contentos per ſedem educamus. Quibus etiam facilis eſt vomitus, affectis præcipue inferioribus partibus, maximo vſui eſt, per vomitum expurgare, præparareq; interim peccantes humores iuſculis & ſyrupis opportunis. Deinde apparente humorum coctione aliqua catapotia exhibere, cuiuſmodi ſunt de tribus cum Rhabarb. ad ℈ iiij. vel cochias, pill. aggregat. de hiera cum agarico, & huiuſmodi. Mitto eas, quæ de hermodactylis inſcribuntur. Nam vt pernicioſas reiicio, propter hermodactylos, in quib. venenoſi aliquid reperitur, & conſulo abſtineatis ſemper à ſuſpectis medi-

Pharmaca.

Vomitus.

caminibus, vbi præcipue eſt aliorum copia, inquib. nihil eſt diſcriminis. Vniuerſalibus rite adminiſtratis tam in frigida, quam in calida admixta materia ad localia confugiendum eſt, quibus doloris vehementiam mulceamus. Eſt enim dolor accidens ſeuum, totam ad ſe curationem trahens, & efficiētis cauſſæ rationem habens. In quo auferendo triplex intentio proponitur, vt in cæteris etiam fluxionibus. Repellere enim oportet quod influit, quod influxit reſoluere, partemq; affectam corroborare, quod facile infra ſcripto præſtabitis cataplaſmate, quod bis terue de die mutantum eſt:

Topica remedia & in his triplex intentio.

℞ Abſinth. ſicci pulu. ſubtil.
Roſar. rubear.
Violar. an. ℥ i.
Fl. chamomill. pul. ℥ i.
Pulpæ paſſul. vino nigro & auſtero irrotat. ℥ iiii.

Cum vino auſtero nigro ſumetur cataplaſma molle, ſicut electuarium, cui addetur:

Ol. chamæmel.
Ol. amygd. dulc.

roſac.

roſac. compl. an. ℥ß.
& ceræ albæ q. ſ. pro oleo incorporãdo. Poſt compoſitionem in catinum imponatur, baculoq; agitetur, donec omnino ſit refrigeratum. Ita enim acquirit quendam lentorum, quo facile adhæreat parti affectæ, molliterq; inſideat, nec facile in puluerem reuertatur. Procedente vero tempore vbi dolor remittit loco vini auſteri conficiendum erit cataplaſma cum vino dulci, aucta etjam florum chamæmeli doſi. Poſtremo ipſa fluxione ſedata Diapalma corio illinitum ſuperponendum eſt; vt humorum reliquiæ abſumantur. Vbi autem materia calida fuerit, & ſanguinis miſſio copioſior requiritur, biliſq; ipſa peccans expurganda, vel per vomitum, vel per deiectionem, caſſia conuenit cum ſpecibus hieræ, mel. roſ. ſol. adiecto Rhabarbaro, vt ſint ℥ iiii mellis, ʒ i Rhabarb, Cataplaſma vero huiuſmodi abhibendum eſt: *In materia calida quid agendum.*

℞ Roſar. rub. pulu.
Fol. plantag. pulu Violar. a. ℥ i.
Farinæ hordei ℥ iii.
Pulpæ paſſul. irror. aq. plantag. ℥ iiii.

Cum aq. plantag. f. cataplaſma, vt ſupra dictum eſt. Cui add. ol. violac. roſac. compl. a. ℥ ß.

Addita cera, vt diximus, cæterisq; in compoſitione obſeruatis. Hæc duo tradita medicamenta normam quandam vobis præbere poſſunt, vt horum exemplo pro opportunitate aliquid addere, vel imminuere liceat. Certũ enim apud nos eſt, & lõgo vſu comprobatum, nihil his opportunius adhiberi poſſe. Illud tamẽ poſtremo animaduertatis, vt tepida adhibeantur, & in materia calida exigua ſit cataplaſmatis quantitas. Frequentius tamen permutetur, ne ſuper parte exiccatum, alteratumq; potius obſit, quam quod dolorem mulceat. Sed de his iam dicta ſufficiant.

IVL. CÆS. ARANTIVS BONONIENSIS. MED. &c.

CONSILIVM XXIIII.

De catarrhis puerorum ſtrangulationem minitantibus, cum epilepſia.

Ad D. C. P. Med. celeberrimum, &c.

SScribis infantes apud vos catarrhis ſtrangulationem minitantibus ſæpenu-

penumero laborare, atq; ex iis nonnullis epilepticis paroxyſmis corripi, ac peti à me rationem medendi, qua leuari hoc modo miſelli poſſint. Tametſi autem mihi tantum non arrogem, vt ad hæc pro rei exigentia reſpondere poſſim: communicabo tamen tibi ea, quæ mihi ſunt cognita & obſeruata, vt intelligas me tuis votis deeſſe nolle. Principio noſti catarrhos infantum variis ex cauſis oriri, atque ſingulas cauſas ſua remedia poſtulare, quæ ex probis autoribus petenda ſunt: tamen ſi volumus eiuſmodi deſtillationes modice curare, neceſſe eſt vt ante omnia matribus ſeu nutricib. proſpiciamus, qua debita & ratione gubernentur, & vt lac ipſarum probe corrigatur. Nam ſolent magna ex parte pueruli male habere ob nutrices, & malum in ſex rebus non naturalibus regimen. Poſtea etiam ipſos infantes cōſideramus, an videlicet humor deſtillans frigidus fuerit, vel calidus, atq; ita contrariis medelis ipſis ſuccurrimus. Fluxione itaq; frigida exiſtente, exhibemus vnam atque alteram guttam ſyrupi de glycyrrhiza, aut aliquid Looch de paſ-

Catarrhi infantum ex cauſis variis

Nutrices.

Infrigida materia.

ſulis, in modica aqua ſcabioſæ diſſolutum Capitis etiam commiſſuræ puluerem ex ſandaraca factũ inſpergimus. Si vero calidum fluxum eſſe deprehẽdimus, guttam vnã ſiue duas ſyrupi vel iulepi violarum propinamus, aut ipſum violarum ſuccum aut facimus puluerem ex penidiis, gummi arabico, Tragacanth, & glycyrthizæ tritis, an. q. ſ. & lacti nutricis miſcemus, donec ad eclecmatis formam veniat, atque de eo parumper degluciendum porrigimus. Si vero ad vigorem vel ſtatũ mali ventum eſt, ſoleo ego exhibere ſperma ceti quantitate piſi in lacte muliebri diſſolutum, & iubeo inſtillare in os pueri poſtea moneo vt ſumno committatur. Hoc remedio multis profui, quos etiam fere pro deploratis habuerunt mulieres. Nã fluxiones intercipit, atq; ſuffocationis paroxyſmos mitigat. Sed tamen exhibere non ſoleo, niſi cæteris non iuuantibus. Epilepſię acceſſum ſequentibus remediis arcere ſolemus. Appendimus iuxta Galeni & medicorum cõſilia, grana pęoniæ excorticata collo, & brachiis puerorum. Smaragdum etiam integrum, & mini-

In calida materia.

Sperma ceti,

Pro epilepſia.

minime læſum cordi applicare ſolemus. Quidam etiam corallia rubra, & alcis vngulam ita vſurpare ſolent. Ad intra vero conſeruam pæoniæ, aut betonicæ exhibemus, aut facimus deſtillationem harum conſeruarum in aqua florum tiliæ, & de ea nonnunquam vnam atque alteram guttam inſtillamus. Puerulis etiam bimis & maioribus natu de ſequenti puluere porrigimus.

℞ Rad. pæoniæ ℥ i.
ſerpentariæ ℥ ß.
Viſci querc. iuſtæ tēpore collect. ʒ ß.
Croci oriental. ℈ i.
Corall. rub. ʒ ß.
Rad. & ſem. Dictamni noſtri a. ℈ i.
Fol auri puri ſubtil. in ciſ. n. iii.
Vnicornu veri ℈ i.
Margarit, oriental. nō perforat. ʒ ß.

Pulueriſanda pulueriſentur ſubtilit. miſceantur & f. puluis. Δόσις infanti quantitas piſi vnius vel duorum cum lacte nutricis. Maioribus natu tripla quantitas cum aqua betonicæ, florum tiliæ, rutæ exhiberi poteſt. Et hæc quantum ad præſeruationem. Paroxyſmum iam præ-

ſentem releuant peſſuli ex bombyce fa-
Peſſuli. cti intincti in ſuccum vitæ, in quo aliquid caſtorei fuerit diſſolutum, aut ſuccus per ſe vitæ puerorum naribus illitus, acceſſionem in morbo mitigat. idem facit caſtoreum odorâtum. Auerſiones quoque fieri poſſunt frictionibus & ligaturis, ſi ætas permiſerit. *Cauteria actualia.* Vidi apud Italos cauteria actualia ad coronalem ſuturã capitis applicata fuiſſe bimulis, & trimulis, atque contuliſſe. Ad mitigandum paroxyſmum puluere priore etiam vti poſſumus. Item ſequenti condito, quod:

℞ Gr. & rad. pæoniæ excortic. a. ℈j.
Cornu cerui vſti,
Coaguli lepor.
Rad. tormentill.
Viſc. quercin. iuſto tempore collecti a. ℈ß.
Nucis cond.
Cubebar. an. gr. v.
Syr. Diamuſc. dulc. ℈ß.
Sacch. albiſſ. ℥ß.

Cum ſyrupo de ſtœchad. q. ſ. f. conditum molle. Δόσις duorum piſorum lactẽtibus, ſenioribus iuxta ætatem exhiberi poteſt.

Habes,

Habes, vir clariſſime, remedia mea, quæ ego in deſtillationibus puerorum, atque adeo in leuandis acceſſionibus morbi caduci vſurpare ſoleo. Et quanquam non dubito quod cum Medicis tuis iis potiora habeas, volui tamen tibi gratificari, atque mea communicare. Quæ ſi tibi ſatis fecerint, bene ſe res habet, olim meliora ſuperaddam. Vale, & meam illam tenuitatem æqui bonique conſulas. Dreſdæ 12 Cal. Aug. anno 1556.

IOHANNES NEFIVS, ELECT. SAXONIÆ MED. &c.

CONSILIVM XXV.

De vermibus, variolis & Morbillis puerorum: Ad eundem.

SQuod ad petitionem tuam attinet, nimirum, vt tibi communicem, quæ in curatione vermium, variolarũ & morbillorum ſalubria obſeruaui, hoc tibi perſuadeas velim, me nihil habere his in rebus quod negare tibi poſſim, aut debeam. Et primum quod ad curationem vermium ſpectat, noſti duplicẽ eſſe vermium curationem: Præſeruatiuam & cura-

Vermium duplex curatio.

tiuam. Horum curãdi methodum apud probatos autores inuenis, proinde nihil ſcribere de ea volo. Hoc tamen moneo, vt concocta materia morbi, corpus aut Rhabarbaro, aut agarico, aut aloe lota euacuetur. Poſtea ad empirica trãſimus. Pro adultis igitur ſæpe hoc puluere ſum vſus:

℞ Sem. ſantonic. ℥ i.
Fol. ſenæ el. ℥ ß.
Centaur. ʒ iii.
Rhabarb. opt. ʒ i.
Cornu cerui vſti,
Rad. dictamni noſtri.
Sem. lupinor. ʒ i.
cinæ ℈ iiii.
Fol. athanaſiæ ʒ i.
Pulueriſentur, & miſceantur.

Δόσις in adultis ʒ ß cum aqua graminis, vel acetoſæ, mane, & hora tertia pomeridiana.

Puluis pro pueris.

℞ Sem. cinæ,
corallin. a. ʒ ß
Rhabarb. el. opt. ʒ ß,
Terantur in puluerem. Δόσις ℈ i vel ℈ ß.

pro

pro ætate pueri cum iure pulli, vel aqua acetoſæ. Et quoniã magna ex parte pueri ob amarorem medicamenta faſtidire ſolent, facio tales placentulas, quæ:

℞ Sem. cinæ ʒ ii.
Cornu cerui vſti ʒ i.
Sacchar, alb. in aq. abſinth. diſſol. ℥ iii.
Fiat confectio in placentulis.

Sequenti vnguento inunge vmbilicum Quod ſi vero vnguenrum hoc conferre non videtur, adiunge ſequens emplaſtrum, quo ſæpiſſime in pueris vtor:

℞ Ol. petrolei nigr. ℥ ß.
Ceræ nouæ ʒ i ß.

Miſc. diſſoluendo, & f. vnguentum.

℞ Pul. lumbricor. ʒ i.
Colocynthid.
Abſinthii.
Petrol. nigr.
Aloes epaticæ an. ʒ i.
Mirrhæ ℈ ß.
Ol. abſinthii,
Fellis tauri an. q. ſ.

Fiat emplaſtrum in mortario calido, de quo recipe pro vna vice ʒ vi. vel ℥. i.

extendatur ſuper corio figurę chartæ patentis. Vnguentum pro adultis pariter & adoleſcentibus præſcribo tale:

℞ Ol. amygd. amar.
de abſinth. an. ℥ i ß.
Aloes epatic.
Rad. Dictamni noſtri,
Sem. centonic.
nigell.
caulium an. ℈j.
Ceræ q. ſ. f. vnguentum molle, quo inungatur totus venter. ſæpe contulit. Victus rationem præſcribo ex traditionibus autorum probatorũ, quod & tu facere poteris. Et tantum de cura vermium in genere. Quod vero ad curationem morbillorum & variolarum attinet, ſequor communes præſcripiones Medicorum, exhibendo quæ ebullitionem flauæ bilis, aut etiam ſanguinis mitigant. Et ſi video naturam pigram eſſe in expellendis & emittendis, aut variolis, aut morbillis, exhibeo decoctum deſcriptum ab Auicenna capite de morbillis & variolis, quod habet carices, ſiue ficus citrinas, lentes excorticatas, & tragacantham, & facio

Curatio morbiliorum.

facio vt quater, vel quinquies mane & ſe-ro ſumãt, & ſen[illegible] magnum commo-dum. Ab omnibus epithema[illegible] & vn-guentis abſtin[illegible] m autem curam [illegible] pelli, quod & tu fac[illegible]. Puerulis vero, qui decocto vti nequeunt, propino mane & veſperi hauſtum aquæ feniculi. Hæc e-nim non parum facit ad expulſionem va-riolarum & morbillorũ. Hæc habui, quæ tibi communicare volui, vt facerem peti-tioni tuæ ſatis. Faxit Deus, vt pro votis tuis tibi reſpondeant. Bene vale. Dreſdæ 12. Calend. April. anno 1561.

Aqua fæniculi expellit variolas & morbillos.

IOHAN. NEFIVS,
MED. &c.

CONSILIVM XXVI.

In periodico dolore capitis, pro quadam nobili matrona.

IN diuturno & periodico capitis dolo-re, qui ſingulis octo diebus grauius in-feſtat, & in occipitio, eoque loco, vbi col-lum capiti adnectitur, vſque ad verticem terebrando moleſtat, ad tempora etiam & ſiniſtram præcipue aurem progreditur,

cum nauſea & cardiogmo, pro honeſta matrona cõſilium petitur. Itaq; cum ſymptomata ad ſuas cauſas ſint reducenda, primum, vtrum caput per ſe affectum ſit, an vero per conſenſum aliarum partium videndum. In diuturno morbo per ſe affici, & quidem à craſſo & pituitoſo humore frigido neceſſe eſt. Per conſenſum autem laborare nauſea & cardiogmo, qui in orificio ventriculi, quod veteres cor appellarunt, aliquem acrem humorem colligi, & vapores ab hoc excitari, atque in caput aſcendere, ibiq; pituitoſam materiam concitare, & neruoſas partes moleſtare oſtendunt. Fortaſſe etiam à matrice vapores tranſmittuntur. nam iſti occipitio moleſti eſſe ſolent. Periodicationis cauſæ ſunt, vel materiæ collectio, vel caucauſa aliqua externa concitans & commouens materiã, vt vel balnea, vel tegumenta capitis, vel diuturna commoratio in ſacris die Dominico, & cibi abſtinentia, vel victus ratio. Quæcunque vero cauſa ſit, vt in omnibus morbis diuturnis, ita maxime in hoc ea victus ratio tenenda, à qua minimum pituitæ, & acriorum etiam atque

Caput per ſe vel per conſẽ-ſum afficitur.

Cauſa periodorum.

que

que corruptorum humorum proueniat. Deinde ne materia colligatur, alternis dieb. ſumat has pilulas: hac enim ratione reſpicitur etiã ad menſium retentionem:

℞ Aloes roſatæ ʒ i ß.
Sp. el. de gemmis ʒ ß.

Cum ſyr. roſac. ſolut. reformentur pillulæ, pro qualibet drachma x xi. Aſſumat ſeptem, hora dimidia ante cœnam. Vtatur etiam ʒ i pill. de ſuccino, bis in menſe: & ſumat eas poſt primum ſomnum:

℞ Pul. ſuccin.
maſtich, an. ʒ i i.
aloes ʒ v.
agaric. ʒ i ß.
Ariſtol. rot. veræ ʒ ß.

Cum ſyr. de ſucco betonic. q. ſ. f. maſſa. In harum pillularum vſu perſiſtendum. Nã cũ morbus diuturnus ſit: vt paulatim & diu curetur, oportet. Quod ſi harũ pillularum vſus parũ prodeſſe videbitur, ineunte Maio de ſentẽtia Medici præſentis ſanguis mittatur, & corpus totum expurgetur. Deinde 15 diebus decoct. guaiaci cum ſarſa bibat, ac rectam victus rationem ſeruet:

℞ Lig.guaiac.℔ I.
Sarſæ ℥ III.
Aq.℔ XII.coq.ad medias.

Caput etiam ſeparatim purgetur & roboretur. Primum apophlegmatiſmo, hoc modo:

℞ Origan.
Maioranæ,
Roriſmarini,
Roſar.rub.an.p. I.
Zinzib. ʒ II.
Pyrethri ʒ III.

Decoq.in q.ſ.aquæ puræ l.a.

℞ Colaturæ ℔ I.
Aceti roſac.acerrim.℥ II. Miſc.

Iſto vtatur tanquam gargariſmate mane. Naribus autem attrahat decoctum guaiaci, in quo maiorana ebullierit. Vtatur matutine lotionibus pedum ex decocto betonicæ. Frictiones matutinas ſcapularum & brachiorum, atque dorſi non negligat. Raphanũ inciſum minutim, dum dolor vrget, occipitio applicet. Caput etiam interdum ante cœnam, nec deinceps aeri ſe exponat, lauet. Et in lixiuio guaiaci raſuram decoquat. Hæc vt à præpotenti Deo

ti Deo fortunentur benigne, precor. 6. Apríl. anno 1580.

IOHAN. CRATO
A KRAFTHEIM, MED. &c.

CONSILIVM XXVII.

In paralyſi dextri lateris, pro quadam honeſta matrona.

DE filiæ aduerſa valetudine vehementer doleo, & præſertim de hoc, quod malum tam multiplex & contumax eſt. Nam dextrum latus quodammodo reſolutum eſſe ſcribitur, cum in ea parte nec pedi inſiſtere, nec brachio vti poſſit, atteſtante quoque capitis medietate dextra, deinde fomes præcipuus mali eſt vterus, qui in dextrum latus ſe inclinauit, eſtque durus, premens femur, & interdū ſe commouēs, ac tempeſtatem miſerabilem excitans, quæ tandem in ſpaſmum epilepſiæ ſimilem deſinit. Afficitur ab his malis cor, vt ſubinde refocillādum ſit. Satis erat malorum, niſi etiam ſiniſtræ partis tremor accederet, & grauia illa ſymptomata, tam extra paroxyſmum, quam in ſpaſmo etiam, quæ in cor & caput redundant. Ego

ſane quantum ex iis quæ ſcribuntur, colligere poſſum: video propinquam morbi cauſam in capite & ſpinali medulla conſiſtere, à quibus prodeũt nerui, qui manus & pedes regunt. Remotiorem vero in vtero, quæ vbi ſe cõmouet, affliguntur cor, caput, renes, extrema, &c. Prodit autem ab his fomitibus, vel vapor mordax, vel materia inimica & venefica, quæ primum membra principalia infeſtat, poſtea cum ad ventriculos cerebri peruenit, contrahit ſe cerebrum exturbandi illius noxii cauſa, atque ſic etiam concutiuntur & contrahuntur nerui. Quid agendum videatur ſignificabo breuiter & diſtinctè, quãquam ad multa me conſiderationem vertere oportet. Primum ſi curari hoc malũ debet, neceſſe eſt vt auferatur cauſa nempe materia illa, vnde fouetur morbus. Vt autem aliquod fieret curationis initium, miſi illi proxime pillulas: (nam citius commode fieri non potuit) vt iis aſſumptis minueretur materia. Has vſurpatas eſſe, & ipſas quoq; ſuo officio functas lubenter cognoui. Et conſulo etiam vt denuo parentur. Nam nullum præſentius

Cauſa mali.

in

in hoc morbo remedium eſt, quàm euacuationibus vti lenibus & crebris. Sed quia hic materia contumax & rebellis eſt, neceſſe eſt, aliqua fiat materiæ pręparatio, quo facilius à purgãte medicameto trahi & educi poſſit. Proinde digeſtiuũ (vt vocant) parandum erit, nempe potio, quæ materiam illam in capite & vtero attenuet & molliat. In quem vſum conſcripſi herbas & radices ſignatas litera A. vt primum media pars coquatur aqua, ad tertiæ partis conſumpt. Deinde vbi decoctum colatum & expreſſum fuerit, addi aliquid de ſyrupo poteſt, quem nomimino *ſaſſt* B. Exempli gratia: ℞ decocti ℥ iii.ß. ſyrup. ℥ i. Miſc. f. hauſtus. (Pharmacopola hæc omnia melius parare poterit, cum materia potionis, nempe A. B. mittatur)

℞ Herb. primulæ veris m. i.
betonic.
meliſſ.
chamædr. veræ,
ceterach. a. m. ß.
Rad. fenicul. ʒ v.
calam. aromatic.

Radic. pæoniæ,
Irid. Illyr. a. ʒ iij.
Cortic. rad. fraxin.
cappar. a. ʒ ij.
Sem. fenicul.
aniſ.
citri,
card. bened. a. ʒ ß.
Fl. ſtœchad. ʒ j. ß.
cichorii p. ij.
Paſſular. enucleat. ℥ j.
Caricar. ping. inciſ. num. vi.
Conquaſſata detur in charta. A.
℞ Syr. de ſtœchad.
de betonic. a. ℥ j. ß.
Oxymel. ſimpl.
Scillitic. a. ℥ ß.
Miſc. ſgr. *Saſſr.* B.

De hac potione bibat mane calide talem hauſtum quotidie, donec aliquid de potione reliquum fuerit. Ac tum redeat ad pillulas, quæ materiam ſic præparatam, vnde oportet, educent. Altera pars herbarũ & ſyrupi reſeruetur, vt poſt aliquot dies ſimiliter vſurpentur. Nam hoc contumax malum non facile ſe abigi patitur, præſer-

præſertim cum materia vehemẽter membris impacta eſt. Ideo autem potionem paratam mittere nolui, ne ius eius periret in itinere à frigore & concuſſione, aut ne ſitum contraheret. Pillulas paulo fortiores redditas notaui litera C. ac nihilominus totidẽ, quot antea paraui. Nolim autem eam obrui vſurpandi frequentia, ſed habenda eſt etiam viriũ ratio, & iuxta has moderandum eſt tempus vſurpationis:

℞ Maſſæ pill. de hiera cum agaric. ℈ ij.
ſine quibus,
fœtidar. a. ʒ ß.
cochiar. ʒ j.
f. cum aq. saluiæ pill. num. lx. C.

Hactenus de ratione auferendi materiam per præparationem & purgationem. Sequitur nunc quid præterea agendum. Laborant hîc primum ventriculus, vt indicat deiecta appetentia, & caput ob conuulſionem. Itaq; opus eſt in his partibus corroboratione, exiccatione, materię veneficæ repreſſione, & præſeruatione à cõuulſione & epilepſia. In hunc vſum conſcripſi duo excellentia remedia, nempe, conditum, D. & puluerem, E.

℞Conſer. pæoniæ,
anthos an. ℥ ß.
betonic.
lauendulæ, an. ʒ ii.
bugloſſ. ʒ iii.
Mithrid. opt. ʒ iß.
Pul. ſem. card bened.
fenicul. a. ʒ ß.
Rad. pæoniæ ℈ ii,
Pul. fl. ſtœchad. ℈ ß,
Nucis conditæ ʒ j.
Calam. aromatic. cond. ʒ iii.
Zinzib. condit. ʒ vi.
Cortic. citri condit. ℥ ß.
Cinnam. inciſ. ℈ i.
Inciſis conditis miſc. reliqua, f. conditum. D
℞Spec. Diaxyloal. ʒ i.
diamuſc. amar.
diagalang. a. ʒ ß.
Pul. viſci quercini,
Rad. pæoniæ an. ℈ iiii.
irid. Illyric.
galangæ.
calam. aromatic. a. ℈ ii.
Nucis conditæ ℈ i.

Lig.

Lig.aloes ℈ß.
Sacchar. albiſſ. ℥ß.
Pul. miſc. f. puluis, E.

De condito ſumat quantitate iuglandis manè. De puluere pondere vngarici, vel ſuper pane toſto, vel in pauca cereuiſia calida. Fiat hoc alternatim, & interdum etiam ſuſpendatur remediorum vſus, vt naturæ etiam ad ſe erigendam aliquid ſpatii relinquatur. Egregium etiam antidotum eſt mitridatium, ſi ſæpe vſurpetur, hoc modo, vt inde parētur tres pillulæ, paulo maiores piſis, & mane deglutiantur. Conſumit id reliquias materiæ ſpaſmi, & calorē naturalem à vitioſa materia oppreſſum excitat. eam ob cauſſam mittetur aliquid in pixide ſignatum F. *Spina reſoluta.*

℞ Mithridat.opt. ℥ii. F.

Sed ſuperſunt adhuc duo grauia. Spina enim medullaris in dextra parte quodammodo reſoluta eſt, cum nec pes, nec brachium ſit in officio, & tremor alterius lateris, ſignificat eiuſmodi imbecillitatem neruorū, vt alteri etiam ſiniſtrę parti metuendū ſit. Proinde vnguētum paraui, G. quo inungēda eſt calide ſpinæ dextrę pars

mane, quanquam etiam nonnihil ſiniſtra pars, ſed dextra tamen præcipue, vbi maius malum. Imponatur linteum calidum duplicatum:

℞ Ol. coſtini,
lumbricor.
maſtich. a. ℥ j.
vulpini ʒ iij.
nardini ʒ ij.
iuniperin. ʒ j.
Ammoniac. in vino diſſol. ʒ j.
Caſtorei ʒ ß.
Aq. vitæ rectificatæ ʒ j. ß.
Terebinthin. ʒ ij.
Ceræ ℥ ß.
Miſc. f. ſ. a. linimentum. G.

Matrix grauata. Poſtremo matricem apparet vehementer grauam materia aliqua, ſiue ea flatulenta ſit, quæ tendat, ſiue ex alia aliqua materia retenta, quæ indurauerit. Ex hoc loco oritur illa impetuoſa tempeſtas, quæ totam vicinam, renes, cor, ventriculum, ac demum caput & latera exagitat. Ad hanc quietandam, emolliendam, diſcutiendam, emplaſtrum conſcripſi. H. quod mittitur in veſica, vt ſuper corium extendi, &

di,& ſindone obduci poſſit, pro magnitudine tumoris aut duritiei. Id pharmacopola apud vos, ſi ipſi non vultis, expedire poterit. Erit autē ſæpe & diu geſtandum, quia durities illa non patitur ſe protinus emolliri. Sed ſemper in his & aliis ſpectādæ ſunt & vires,& impreſſio medicamenti,& interdum, vbi nimis creber vſus moleſtus eſſe; aut etiam incommodi aliquid adferre cœperit, deſiſtendum aliquantiſper ab vſu:

℞ Emplaſtri matricalis,
de melilot.a.℥ II. Miſc. H.

Proderit etiam frequenter odorare caſtoreum,tam vteri quam cerebri cauſa. Atq; hæc de de morbo filiæ,quem dominus IESVS procul abſcedere iubeat, ipſamq;, vt paralyticum in Euangelio ad neruorum integritatem perducat. Francofurti, 13. Febr.anno 1579.

CASPAR HOFMANNVS,
MED.&c.

CONSILIVM XXVIII.

In conuulſione flatulenta, pro honeſta quadam matrona grauida.

FOEMINA iſta mihi videtur laborare conuulſione flatulẽta, quæ σπασμὸς φυσώδης dicitur. Ea eſt inuoluntaria neruorũ muſculorumque verſus originem ſuam (h.e. cerebrum) contractio, qua crura vel extenduntur, vel in ſe contrahuntur confluentibus ad neruorum propagines vaporibus craſſis & lentis. Fuit fortaſſe in ipſius corpore longo iam tempore malorum humorum collectio & cõgeſtio, qui nũc ad commotionem nacti ſunt aliquod incitamẽtum, poſtquam grauida eſſe cœpit. Quæritur quid agendum? Dicam de ſingulis ordine. Primo euacuationi hic locus nullus eſt, quia grauida. Conſulendum igitur ante omnia capiti, vt fons eſt cõuulſionis. Conſcripſi igitur ad cerebri, & fœtus quoq; coroborationem conditum ſapidũ A. de quo vtatur mane quantitate caſtaneæ, vel iuglandis, circa horam ſeptimam. Id caput optime roborabit, & morbum arcebit.

Grauida non euacuanda.

Cerebrum & fœtum corroborans.

℞ Conſer. fl. pæon.
anthos,
betonic
bugloſſ. an. ℥ iij.

rosar.

roſar. ℥ ß.
Rad. bugloſſ. condit.
Chebul. condit. an. ʒ v.
Nucis conditæ, indicæ conditæ ʒ ij.
Calam. arom. condit.
Citri condit. a. ʒ iij.
Sp. dianthos,
Sem. pæoniæ an. ℈ j.
Macis inciſ. ℈ ß.
Cinam. inciſ. ℈ j.
Inciſis conditis f. cum ſyr. de ſtœchad. conditum. A.

In eum quoque vſum vti poterit ſucco B. qui inprimis vtilis in hoc affectu, vt mane duo cochlearia ſumantur vna aut altera hora ante cibi ſumptionem. Poterit vel alternis diebus, vel ſucceſſiue his duobus vti. †Deinde habenda eſt quoq; ventriculi ratio, ne quid inde noxii euaporet in caput, & hoc malum excitet, in quem finem parari poſſet ſacculus ſtomachalis C. & mane calidus ventriculo imponi calefactus ſuper latere feruente conſperſo aqua abſinthii hora vna ante cibi ſumptionem. Nam cum cibi ſumendi tempus eſt, auferre ſacculum oportet. *Sacculus ſtomachalis.*

† ℞ Syr.de ſtœchad. ℥ II.
Aq.cinnamom. ʒ VI.
Miſc.gr.ſgr. *Saſſt.* B. †

℞ Fol.betonic.
mentliæ criſpæ,
abſinthii,
origani a.m.I.
roſar.rub.m.ß.
Galangæ,
Calam.aromat.an.ʒ II.
Pul. Maſtich. ʒ I. ß.
Corall.rub. ʒ I.
Sem.cimin. ʒ I.ß.
Ex conquaſſatis f. ſacculus ſtomachalis. C.

Quod vero ad ipſum morbũ præſentem, ſeu paroxyſmum attinet, ſcripſi vnguentum D. quo calide inungenda eſt crux & flexura ſub genu, aut ſi quæ alia loca tendi animaduertuntur. Id fiet rarius aut frequentius pro animaduerſo inunctionis effectu. Bene fecit aliis in ſimili caſu. Et hæc omnia talia ſunt, vt nullus periculi metus quo ad ipſam & fœtum ſubſit:

℞ Ol.lumbricorum ʒ VI.
amyg.dulc.

lini

Linia. ʒiii.
Vnguenti dialtheæ ʒi.
Medullæ crurum vitul.
Seui hircin.a.ʒiß.
Rad. altheæ,
Pul.agrimon.
lumbricor. an. ℈i.
Ceræq.ſ.
f. vnguentum.D.

Subiiciam adhuc facile parabilia, ſed experta: ſi matricaria herba florib. chamomillæ ſimilis, odore non prorſus ingrato, tundatur, vt fiat ſucculenta, & imponatur ceruici, egregium eſt in hoc morbo experimentum. Poſſet abituræ cubitum imponi, vt circumuoluto ceruicali arceretur frigus. Interdum poſſet ceruici imponi verbena vel ſola, vel cum matricaria, vel inter duo linteola ligata, vel ſacculo inſerta. Hæc profutura illi non parum exiſtimo, quæ profecto exaraui in ſumma otii penuria. Et porro ſi quid opus erit officium, operam, ſtudium meum, quantum à me fieri poteſt, polliceor. Francofurti, 10 Sept. an. 1578.

Poſt ſcriptum.

Medicamenta tranſmiſſa tutiſſima ſunt. Nam grauidis multa adhibere non caret periculo, Ac ſi vſus horum nunc nõ erit, non propterea peribunt hæc remedia, ſed reſeruentur. Erunt enim ad confortandum vtilia. Moneo nunc in omnem euentum de quibuſdam ſi acciderent. Si quid ſpaſmatici videretur adeſſe, collum oleis his inũgi poteſt, quæ in veſtro pharmacopolio habentur:

℞ Ol. amygd. dulc.
Lilior. alb,
Chamomill.
Anethini an. ℥ i. miſc.

Si quid epileptici, conteratur digitis ruta, hiſſopus, vt odoret. Si ſucculenta non ſunt, poſſunt humectari pauco aceto. Odorari etiam caſtoreum vtile eſt. Ad ſuffocationem matricis quid agendum ſit ſcripſi antea. Hoc quod ſequitur, infantes recens natos ab epilepſia præſeruare ſolet, Antequam infanti primum lac datur, terantur aliquot amygdalæ cum lacte muliebri, inſpergitur paululũ ſacchari, & exprimuntur omnia per linteolum mun-

Pro infantiũ epilepſia.

mundum, ita fit ſuccus inſtar lactis, qui in cochleari ſtatim ab initio datur, antequã quicquam alterius lactis ſumat. Hæc inſuper nunc in mentem venerunt. Oro autem Deum vt feliciſſime pariat, nec quid quam remediorum vſurpare cogatur.

CASPAR HOFMANVS,
MED. &c.

CONSILIVM XXIX.

In dolore ſtomachi, febre colliquante, virium imbecillitate, & animi deliquio, pro quadam nobili fœmina.

VT de propoſito caſu rectius iudicium ferri poſſet, vtile eſſet ſcire tẽperiem nobiliſſimæ iſtius fœminæ, item qua ætate, & quo habitu corporis foret, gracilior ne, an craſſior & pinguior. Sed quoniam iſta indicata non ſunt, de eo quod principale eſt, inquiramus. Quantũ vero intelligim' præcipua ſymptomata ſunt, dolor ſtomachi, itẽ febris quaſi colliquãs, & extenuãs corpus, fereq; poſt ſumptum cibũ inuadẽs, præterea virium imbecillitas, & quod huic, ore præſertim vẽtriculi debili acutiq; ſenſus exſiſtente, ſuccedere ſolet,

animi deliquium. Inter exeuntia mutata eſt vrina, quæ contentũ farinaceum modo flaui, modo rubei coloris habet. Exiſtimat Medicus, cuius iudicium ſimul tranſmiſſum eſt, in liene, aut regione lienis apoſtema latere, idque ex pure, nonnunquam etiam ſanguine vna cum vrina profluente colligit, cuius tamen nobilis ipſa fœmina in poſt ſcripto ſuo non meminit: ſed tantum refert farinacea quædam à longo iam tempore in vrinis ſubſidere. Quod ſi verus abſceſſus eſt, phlegmonem neceſſario præceſſiſſe oportet, cuius quidem ſigna nequaquam obſcura ſunt. Aparuiſſet igitur tumor aliquis in lienis regione, item dolor in ea parte, & reſpiratio ſenſibiliter læſa fuiſſet. Horum nihil ex nobilis fœminæ indicatione colligitur. Aliam igitur morbi ſedem eſſe, ex qua enarrata ſymptomata promanant, concludimus. Etenim ſi Hippoc. & Gal. credimus: Quoties cũ vrina furfuracea aut farinacea, vel alia huius farinæ prodeunt, certum eſt in vrinariorum vaſorum aliquo morbum ineſſe. Sunt autem vaſa illa vel renes, vel veſica, vel etiam vrete-

4. Aph. 77. Furfuracea in vrinis quid indicẽt.

rete-

reteres. Si renes per ſe & principaliter affecti eſſent, dolor haud dubie altius aſcẽderet, & alterutrum crurum ſimul occuparet. Sin veſica laboraret, in pube ipſa, & anteriori corporis parte moleſtia magis ſentiretur. Sed hic dolor ad ſiniſtrum latus vergit, mediumq; pæne locum inter renes & veſicam occupat. Statuere igitur aliter ex his notis, & indiciis non poſſumus, quam exulcerationem in ipſis conſiſtere vreteribus, & ſiniſtro quidem inprimis, quæ facile, ſiquidem tam diu durat & renibus & veſicæ velut cõtagione quadam communicari poteſt, quamuis hoc loco plurimum ſcire intereſſet: Nunquid nobilis iſta fœmina ſeu renum, ſeu veſicæ calculo, nunquam antehac laboraſſet? Faceret enim iſtud non parum ad morbi exquiſitiorem cognitionem, adeoq; curationem ipſam. Dolorem ſtomachi, de quo conqueritur, à peculiari cauſa foueri exiſtimamus, quemadmodum manifeſte ex ipſius nobilis fœminæ relatione conſtat, quando illum, altero ceu præcipuo morbo non remittente, remiſiſſe tamẽ affirmat. Non igitur ab alio

℞ Conſer. pæoniæ,
anthos an. ℥ ß.
betonic.
lauendulæ, an. ʒ i i.
bugloſſ. ʒ i i i.
Mithrid. opt. ʒ i ß.
Pul. ſem. card bened.
fenicul. a. ʒ ß.
Rad. pæoniæ ℈ ii,
Pul. fl. ſtœchad. ℈ ß,
Nucis conditæ ʒ j.
Calam. aromatic. cond. ʒ i i i.
Zinzib. condit. ʒ vi.
Cortic. citri condit. ℥ ß.
Cinnam. inciſ. ℈ i.
Inciſis conditis miſc. reliqua, f. conditum. D

℞ Spec. Diaxyloal. ʒ i.
diamuſc. amar.
diagalang. a. ʒ ß.
Pul. viſci quercini,
Rad. pæoniæ an. ℈ i i i i.
irid. Illyric.
galangæ.
calam. aromatic. a. ℈ i i.
Nucis conditæ ℈ i.

Lig.

Lig.aloes ℈ß.
Sacchar. albiſſ. ℥ß.
Pul. miſc. f. puluis, E.

De condito ſumat quantitate iuglandis manè. De puluere pondere vngarici, vel ſuper pane toſto, vel in pauca cereuiſia calida. Fiat hoc alternatim, & interdum etiam ſuſpendatur remediorum vſus, vt naturæ etiam ad ſe erigendam aliquid ſpatii relinquatur. Egregium etiam antidotum eſt mitridatium, ſi ſæpe vſurpetur, hoc modo, vt inde parētur tres pillulæ, paulo maiores piſis, & mane degluțiantur. Conſumit id reliquias materiæ ſpaſmi, & calorē naturalem à vitioſa materia oppreſſum excitat. eam ob cauſſam mittetur aliquid in pixide ſignatum F. *Spina reſoluta.*

℞ Mithridat.opt. ℥ii. F.

Sed ſuperſunt adhuc duo grauia. Spina enim medullaris in dextra parte quodammodo reſoluta eſt, cum nec pes, nec brachium ſit in officio, & tremor alterius lateris, ſignificat eiuſmodi imbecillitatem neruorū, vt alteri etiam ſiniſtrę parti metuendū ſit. Proinde vnguētum paraui, G. quo inungēda eſt calide ſpinæ dextrę pars

mane, quanquam etiam nonnihil ſiniſtra pars, ſed dextra tamen præcipue, vbi maius malum. Imponatur linteum calidum duplicatum:

℞ Ol. coſtini,
lumbricor.
maſtich.a. ℥ j.
vulpini ʒ iij.
nardini ʒ ij.
iuniperin. ʒ j.
Ammoniac.in vino diſſol. ʒ j.
Caſtorei ʒ ß.
Aq. vitæ rectificatæ ʒ j.ß.
Terebinthin. ʒ ij.
Ceræ ℥ ß.
Miſc.f.ſ.a.linimentum. G.

Matrix grauata. Poſtremo matricem apparet vehementer grauam materia aliqua, ſiue ea flatulenta ſit, quæ tendat, ſiue ex alia aliqua materia retenta, quæ indurauerit. Ex hoc loco oritur illa impetuoſa tempeſtas, quæ totam vicinam, renes, cor, ventriculum, ac demum caput & latera exagitat. Ad hanc quietandam, emolliendam, diſcutiendam, emplaſtrum conſcripſi. H. quod mittitur in veſica; vt ſuper corium extendi,&

di,& ſindone obduci poſſit, pro magnitudine tumoris aut duritiei. Id pharmacopola apud vos, ſi ipſi non vultis, expedire poterit. Erit autē ſæpe & diū geſtandum, quia durities illa non patitur ſe protinus emolliri. Sed ſemper in his & aliis ſpectādæ ſunt & vires,& impreſſio medicamenti,& interdum, vbi nimis creber vſus moleſtus eſſe; aut etiam incommodi aliquid adferre cœperit, deſiſtendum aliquantiſper ab vſu:

℞ Emplaſtri matricalis,
de melilot.a. ℥ II. Miſc. H.

Proderit etiam frequenter odorare caſtoreum,tam vteri quam cerebri cauſa. Atq; hæc de de morbo filiæ,quem dominus IESVS procul abſcedere iubeat, ipſamq;, vt paralyticum in Euangelio ad neruorum integritatem perducat. Francofurti, 13. Febr.anno 1579.

CASPAR HOFMANNVS,
MED. &c.

CONSILIVM XXVIII.

In conuulſione flatulenta, pro honeſta quadam matrona grauida.

Digitized by Google

FOEMINA iſta mihi videtur laborare conuulſione flatulēta, quæ σπασμὸς φυσώδης dicitur. Ea eſt inuoluntaria neruorū muſculorumque verſus originem ſuam (h.e. cerebrum) contractio, qua crura vel extenduntur, vel in ſe contrahuntur confluentibus ad neruorum propagines vaporibus craſſis & lentis. Fuit forraſſe in ipſius corpore longo iam tempore malorum humorum collectio & cōgeſtio, qui nūc ad commotionem nacti ſunt aliquod incitamētum, poſtquam grauida eſſe cœpit. Quæritur quid agendum? Dicam de ſingulis ordine. Primo euacuationi hic locus nullus eſt, quia grauida. Conſulendum igitur ante omnia capiti, vt fons eſt cōuulſionis. Conſcripſi igitur ad cerebri, & fœtus quoq; coroborationem conditum ſapidū A. de quo vtatur mane quantitate caſtaneæ, vel iuglandis, circa horam ſeptimam. Id caput optime roborabit, & morbum arcebit.

Grauida non euacuanda.

Cerebrum & fœtum corroborans.

℞ Conſer. fl. pæon.
anthos,
betonic
bugloſſ. an. ℥ iij.

rosar.

roſar.℥ß.

Rad. bugloſſ. condit.

Chebul. condit. an. ʒv.

Nucis conditæ, indicæ conditæ ʒij.

Calam. arom. condit.

Citri condit. a. ʒiij.

Sp. dianthos,

Sem. pæoniæ an. ℈j.

Macis inciſ. ℈ß.

Cinam. inciſ. ℈j.

Inciſis conditis f. cum ſyr. de ſtœchad. conditum. A.

In eum quoque vſum vti poterit ſucco B. qui inprimis vtilis in hoc affectu, vt mane duo cochlearia ſumantur vna aut altera hora ante cibi ſumptionem. Poterit vel alternis diebus, vel ſucceſſiue his duobus vti. †Deinde habenda eſt quoq; vẽtriculi ratio, ne quid inde noxii euaporet in caput, & hoc malum excitet, in quem finem parari poſſet ſacculus ſtomachalis C. & mane calidus ventriculo imponi calefactus ſuper latere feruente conſperſo aqua abſinthii hora vna ante cibi ſumptionem. Nam cum cibi ſumendi tempus eſt, auferre ſacculum oportet. *Sacculus ſtomachalis.*

† ℞ Syr.de ſtœchad. ℥ II.
Aq.cinnamom. ʒ VI.
Miſc.gr.ſgr. *Sapſt.* B. †

℞ Fol.betonic.
mentliæ criſpæ;
abſinthii;
origani a.m.I.
roſar.rub.m.ß.
Galangæ;
Calam.aromat.an.ʒ II.
Pul. Maſtich.ʒ I.ß.
Corall.rub.ʒ I.
Sem.cimin. ʒ I.ß.
Ex conquaſſatis f. ſacculus ſtomachalis. C.

Quod vero ad ipſum morbũ præſentem, ſeu paroxyſmum attinet, ſcripſi vnguentum D. quo calide inungenda eſt crux & flexura ſub genu, aut ſi quæ alia loca tendi animaduertuntur. Id fiet rarius aut frequentius pro animaduerſo inunctionis effectu. Bene fecit aliis in ſimili caſu. Et hæc omnia talia ſunt, vt nullus periculi metus quo ad ipſam & fœtum ſubſit:

℞ Ol.lumbricorum ʒ VI.
amyg.dulc.

Lini a. ℥iii.
Vnguenti dialtheæ ℥i.
Medullæ crurum vitul.
Seui hircin.a.℥iß.
Rad. altheæ,
Pul.agrimon.
lumbricor. an. ℈i.
Ceræ q.ſ.
f. vnguentum.D.

Subiiciam adhuc facile parabilia, ſed experta: ſi matricaria herba florib. chamomillæ ſimilis, odore non prorſus ingrato, tundatur; vt fiat ſucculenta, & imponatur ceruici, egregium eſt in hoc morbo experimentum. Poſſet abituræ cubitum imponi, vt circumuoluto ceruicali arceretur frigus. Interdum poſſet ceruici imponi verbena vel ſola, vel cum matricaria, vel inter duo linteola ligata; vel ſacculo inſerta. Hæc profutura illi non parum exiſtimo, quæ profectò exaraui in ſumma otii penuria. Et porro ſi quid opus erit officium, operam, ſtudium meum, quantum à me fieri poteſt, polliceor. Francofurti, 10 Sept. an. 1578.

Poſt ſcriptum.

Medicamenta tranſmiſſa tutiſſima ſunt. Nam grauidis multa adhibere non caret periculo, Ac ſi vſus horum nunc nõ erit, non propterea peribunt hæc remedia, ſed reſeruentur. Erunt enim ad confortandum vtilia. Moneo nunc in omnem euentum de quibuſdam ſi acciderent. Si quid ſpaſmatici videretur adeſſe, collum oleis his inũgi poteſt, quæ in veſtro pharmacopolio habentur:

℞ Ol. amygd. dulc.
Lilior. alb,
Chamomill.
Anethini an. ℥ i. miſc.

Si quid epileptici, conteratur digitis ruta, hiſſopus, vt odoret. Si ſucculenta non ſunt, poſſunt humectari pauco aceto. Odorari etiam caſtoreum vtile eſt. Ad ſuffocationem matricis quid agendum ſit ſcripſi antea. Hoc quod ſequitur, infantes recens natos ab epilepſia præſeruare ſolet, Antequam infanti primum lac datur, terantur aliquot amygdalæ cum lacte muliebri, inſpergitur paululũ ſacchari, & exprimuntur omnia per linteolum mun-

Pro infantili epilepſia.

mundum, ita fit ſuccus inſtar lactis, qui in cochleari ſtatim ab initio datur, antequã quicquam alterius lactis ſumat. Hæc inſuper nunc in mentem venerunt. Oro autem Deum vt feliciſſime pariat, nec quid quam remediorum vſurpare cogatur.

CASPAR HOFMANVS,
MED. &c.

CONSILIVM XXIX.

In dolore ſtomachi, febre colliquante, virium imbecillitate, & animi deliquio, pro quadam nobili fœmina.

VT de propoſito caſu rectius iudicium ferri poſſet, vtile eſſet ſcire tẽperiem nobiliſſimæ iſtius fœminæ, item qua ætate, & quo habitu corporis foret, gracilior ne, an craſſior & pinguior. Sed quoniam iſta indicata non ſunt, de eo quod principale eſt, inquiramus. Quantũ vero intelligim' præcipua ſymptomata ſunt, dolor ſtomachi, itẽ febris quaſi colliquãs, & extenuãs corpus, fereq; poſt ſumptum cibũ inuadẽs, præterea virium imbecillitas, & quod huic, ore præſertim vẽtriculi debili acutiq; ſenſus exſiſtente, ſuccedere ſolet,

reteres. Si renes per ſe & principaliter affecti eſſent, dolor haud dubie altius aſcẽderet, & alterutrum crurum ſimul occuparet. Sin veſica laboraret, in pube ipſa, & anteriori corporis parte moleſtia magis ſentiretur. Sed hic dolor ad ſiniſtrum latus vergit, mediumq; pæne locum inter renes & veſicam occupat. Statuere igitur aliter ex his notis, & indiciis non poſſumus, quam exulcerationem in ipſis conſiſtere vreteribus, & ſiniſtro quidem inprimis, quæ facile, ſiquidem tam diu durat & renibus & veſicæ velut cõtagione quadam communicari poteſt, quamuis hoc loco plurimum ſcire intereſſet: Nunquid nobilis iſta fœmina ſeu renum, ſeu veſicæ calculo, nunquam antehac laboraſſet? Faceret enim iſtud non parum ad morbi exquiſitiorem cognitionem, adeoq; curationem ipſam. Dolorem ſtomachi, de quo conqueritur, à peculiari cauſa foueri exiſtimamus, quemadmodum manifeſte ex ipſius nobilis fœminæ relatione conſtat, quando illum, altero ceu præcipuo morbo non remittente, remiſiſſe tamẽ affirmat. Non igitur ab alio

dependet, ſed ſeipſo conſiſtit. niſi forte quemadmodnm lapide in vreterum anguſtiis diutius hærente ventriculus ſimul compatitur, & nauſea atque ſubuerſione afficitur (cuius rationem Galenus in epidemiis eleganter reddit) tale aliquid hic etiā accidit. Febris, quæ nobilem fœminam ſimul exercet, & eam depaſcitur, ſine dubio eſt ſymptomatica, ex earum genere, quas lentas vocant, hecticę non diſſimilis, non tamen vere talis. ortum inde habere veriſimile eſt, quod ductus illi vrinarii non procul a magno venæ cauę & aortæ trunco abſint. Vnde facile per ampliſſimas illas vias vapor noxius aut putrilaginoſus ad cor deferri potuit, quo humores in illo cōtenti, aut cordis ipſa ſubſtantia læſa, febrilem calorem cōcipiens, deinde in vniuerſum corpus propagauit, & etiamnum propagat. Quia autem magnus feruor in venoſo genere exiſtit, & ſanguis ipſe craſſior, & excrementa reliqua, quæ prius aut ſordium forma alioqui per exulceratos vreteres expurgari & ꝓdire debebant, propter caloris excedentem vehementiam exaſſantur, & in ſubſtan-

In 6. epid. Febris lenta.

ſtãtiã farinæ conſimilē [illegible]iguntur. Apparet igitur ex allatis hač[illegible]is, principalem in hoc nobili ſubieč[illegible] morbum eſſe alterius vreterum ſeu vrinæ ex renibus in veſicam ductuum exulcerationem, quam febris ſymptomatica, & ipſa nequaquam deſpicienda, cõcomitatur. Vnde iam indicationes curatiuas ſecundum artis methodum elicere promptum eſt, has videlicet; Exulceratos quidē vreteres detergendos, expurgandos, & denique rurſus conſolidandos eſſe, febris autē adiunctæ vehementiam reprimendam, & ne illa vires deiiciat, corpuſq; extremè abſumat prouidēdum. Quæ ſane omnia nũ in hac ægrotãte, in qua malum pene in habitum trãſiit, obtinere atq; aſſequi liceat, ii iudicare poterũt optime, q̃ præſentes ſunt, & viriũ robur cum morbi magnitudine cõferre, aliaq; ſigna & ſymptomata, preterea apparētia, quæ nos abſentes latent, obſeruare queunt. Nihilominus tamē ad nobilis dominæ inſtãtiam, quæ nobis ad curationem opportuna vidētur, non grauatim paucis verbis nũc exponere aggredimur. In victus igitur ratione cõueniente, vt in *Diæta.*

omnibus aliis morbis chronicis, non exiguam ſanationis ſpem collocatam habemus. Quamobrem opera danda, vt aer ſit temperatus, vel ad frigiditatē, hoc potiſſimum anni tempore & durante febre declinet. Inter cibos eligat æger eos, qui boni ſunt ſucci, nec ita difficulter concoquuntur, atq; quam minimū excrementorum procreāt. Vitet autem omnia cruda craſſoſq; humores progignentia. Item: omnia acria, ſalſa, vehementer acida, & quæcunq; ratione caliditatis excedentis vrinam prouocant. Carnes gallinarum, pullorum, perdicum, auium montanarum, & contuſa horum recte exhibebuntur, nec non etiam oua ſorbilia, & ſimilia. Item panacella, quam vocant, & hordeatum & paſtulatum. In iuſculis, quæ aſſumit, alterationis gratia, incoqui poterunt folia maluarum, lactucæ, radic. cichorii, aſparagi, flores borrag. bugloſſ. violar. & alia huius generis ſexcenta. Piſces ſi ſint ſquammoſi & ſaxatiles, atq; iuſto modo apparentur, non omnino prohibemus. Pro potu laudamus aquā hordei cum glycyrrhiza & paſſulis. Poteſt etiam

iam cōcedi vinum rubrum clarum, quod tamen cum aqua hordei aut liquiritię dilui debet. Acidularum tam frequēs vſus qualem Medicus imperat, an in hoc affectu vſquequaque conueniat, valde dubitamus. Acorum certe, qui chalcāthi mineram reſipit, neruoſas partes (inter quas vreteres quoq; connumeramus) mordicando lędere, & frigus adiunctum vulneribus inimicum eſſe, ex Hippocratis oraculo didicimus. Motus & exercitatio, quantumuis non vehementiſſima, cum corpus plus æquo exagitent, humoreſq; in illo inordinate commoueāt, quietem vtiliſſimam eſſe cenſemus. Somnum quin etiam liberaliorem permittimus, ac ſi vigiliæ infeſtent, vt in cœna, & ſub horam decubitus emulſione ſeminis melonum, amygdalarum dulcium, & ingēte neceſſitate, papaueris quoq; albi, in aqua violarum facta vtatur, ſuademus. ita enim febris feruorem eadem opera ſimul contemperabimus. Aluus vt laxa ſeruetur, annitendum. Quod ſi hoc ſponte non fiat, paſſulæ vel pruna cocta reliquo cibo quadrantis horæ ſpacio præmittantur, &

ſi ne ſic quidem illa reſpondeat, clyſteres lenientes & molliẽtes iniiciendi, aut glãdes hanc ad rem idoneæ ſubdendæ fuerint. Quod reliqua præſidia attinet, venæ ſectionem, quam nũc fieri multa prohibent, inter initia debito modo adminiſtratam eſſe confidimus. Fortaſſe etiam euacuationes congruentes, præmiſſa humorum peccãtium legitima præparatione, decretæ ſunt. Quia tamen in corpore diſtẽperato facilime praui humores colliguntur: non erit opinione noſtra ſuperuacaneum, denuo illas, ſaltem deriuationis cauſa, repetere, non quidem cũ pharmacis fortioribus, & corpus iam antea debile plus æquo exagitantibus, ſed duntaxat cum mitioribus, &, vt iuniores appellant, benedictis, vtpote, ſi foliorũ ſenæ Alexandrinæ, v. g. ſemuncia cũ Rhabarbari electi drachma vna, vel ſcrupulis quatuor in decocto communi florum & fructuũ, aut aqua cichorei & borraginis per noctem infundãtur, atq; expreſſo liquori ſeſcuncia ſyrupi violati ſolutiui adiiciatur. Aut ſi bolus magis placet (quẽ in huiuſcemodi affectionib. nonnulli potionibus

bus & catapotiis longe præferunt) ex caſſiæ elect. Diaſebeſten, vel etiam catholici ſufficienti quantitate cõcinnetur. Poſtea ad vlceris ipſius curationem procedatur Cui quidem detergendo & mundando plurimum proderit, ſi ſingulis matutinis ſerum caprinum cum ſaccharo & ſyrupo violato aſſumatur, & mox poſt illud aſſũptum cõfectionis Diatragacanthi frigidi ſine cãphora (aut etiam, ſi grauiore odore ægra nõ offendatur, cum illa) rotulæ binæ aut ternæ deuorentur. Eidem intentioni ſeruit emulſio ex amygdalis dulcibus, ſeminibus quatuor frigidis cõtuſis in aqua hordei parata, cui addatur ſacchari roſacei aliq̃d. Pro expurgatione vlceris nihil eſt præſtãtius ipſa Terebinthina, quæ vel lota, vel cocta exhiberi poteſt. Lauatur quidẽ aliquoties in aqua maluarũ, aut violarum, & vltimo in aqua roſarũ, atq; deinceps ſaccharo aſperſo triũ aut quatuor ʒ pondere boli in morẽ deuoratur, vel etiam cum calido pulli aut caponis iuſculo deglutitur. Nunnulli magis decoctũ probãt, cui aliquid Rhabarbari, itẽ puluerem ſuccini atq; liquiritiæ admiſcent, & inde

pillulas mediocris magnitudinis conficiunt, quarū xi. aut xiii. circiter, horis duabus ante cœnam, vel mane hora quinta. aut ſexta aſſumere iubent. Satis autem eſt 3, aut 4, quolibet die terebinthina hoc modo parata vti, & reliquis diebus interiectis in iis pergere, quæ ante præſcripta ſunt. Vbi vero vlcus mediocriter mundatum & expurgatum eſſe ex purioribus vrinis apparuerit, tum demum conſolidationi incumbendum, & ad hūc finem propinādum lac caprillum recens emulctum, & adhuc à matre calens, cui mellis nonnihil (cum abſque hoc Gal. teſte periculoſum exiſtat) iniiciendum. Prodeſt etiam cum eodē lacte puluerem boli Armeni, Tragacanth. Gummi arabic. aut amyli ad drachmę vnius pondus commiſcuiſſe: vel horum loco Trochiſcorum de terra lemnia; de ſuccino, de halicacabo, vnum atq; alterum in aqua cichorii, vel alio liquore cōueniente diſſolutum ebibiſſe. Extrinſecus ad exiccādam & roborandam partem affectam, maxime ſub finem curationis, applicari poterunt ol. roſatum, cydoniorum, myrtillorum, cum

De Euchy. & cacochymia.

bolo,

bolo, ſantalis, farinis, & ſimilibus, prout tum præſens cõditio expoſtulare videbitur. Febris ipſa nullã peculiarẽ medicationẽ requirit: quãdoquidem ſymptomatis dumtaxat rationem habet, & præcedẽtia auxilia omnia ita à nobis cõformata ſunt vt ſimul febrili incẽdio, & corporis extenuationi opẽ ferant. Dolorem ſtomachi iam tũ remiſiſſe patiẽs ipſa teſtatur. Quæ vero ad virium refectionẽ pertinent: præterquam quod vulgo nota ſunt: etiam in tranſmiſſo Medici conſilio ſatis abunde comprehenduntur. Atq; hæc quidem de propoſito caſu, quẽ diligenter, quatenus ex indiciis nobis communicatis facere licuit, ponderauimus, noſtra eſt ſententia. In qua, ſi quæ forte deeſſe videbuntur, prudentis ea, & oculis omnia coram luſtrãtis Medici iudicio ſtudioſe relinquimus. Vtque profutura iſta ſperamus: ita fortunati etiam à præpotente Deo precamur ſimul & optamus. Perſcr. Viennæ Auſtriacorum *16.* Maii, anno *1582.*

Hieronym. Stromair, S. Caſ. Maieſt. Phyſ. Med. &c.
Petrus Monauius, Aulæ Cæſ. Med. &c.
Diomedes Cornarius. Sereniſſ. Archid. Maximil. Med. &c.

CONSILIVM XXX.

In cachexia, pro quadam magnifica Domina.

QVo in ſtatu magnificæ Dominæ valetudo & antea fuerit, & nunc ſit, quæ ſymptomata eam exerceant, quibus ex cauſis oriantur, quid ſpei ſit in poſterum, deniq; quæ, qualia, quo ordine medicamenta vſurpāda, & admouenda ſint, exponā paucis, vt quicunq; ſuccedet habeat meam, & de morbo, & de curatione ſententiam. Ordior à priore partium corporis cōſtitutione, vt inde appareat, quāta fuerit corporis ad hunc morbum pronitas. Ventriculo antehac fuit admodum frigido, appetente quidem multum, ſed parum concoquente, in eo quoq; multa apparet humiditas & aquoſitas, cum cruditate aſſidua, & pituita copioſa coniuncta. Quotidianus ille cruditatum prouētus, adigit eam ad quotidianos vomitus. Nam cum quotidie horis aliquot à cibo craſſis flatibus à pituita tepefacta exortis infeſtaretur, à compreſſionibus & anguſtiis non aliter, quam vomitu ſe liberare potuit.

Vomitus quotidianus vnde.

potuit. Ac quamprimum viſcidæ pituitæ copiam à ſe reiecit, notabile leuamentum ſentire viſa eſt, ſed interim tamen aſſiduis vomitibus vehementer attrita & debilitata eſt vis ventriculi, vt non in cauitate ſolum ventriculi pituita contineretur, ſed tunicæ quoque imbuerentur, & tandem permadeſcerent. Hæc ventriculi δυσκρασία cerebri etiam humiditatem promouit & auxit, vt Domina frequentibus catarrhis eſſet obnoxia, qui nunc in has, nunc in illas partes, nempe in maxillas, humeros, brachia, viam affectarunt, præcipue vero ad pectus & pulmones delapſi ſunt. Ac ante annum tam impetuoſe, tãtaq; copia fluxiones ad pectus irruerunt, vt ipſa ſuffocationẽ metueret, & ſequeretur valida tuſſis, & aſthmatica quædam diſpoſitio, cuius etiamnum ſentit reliquias, quandoquidem ad iuſtam curationem non tantum quantum requirebatur temporis impenſum eſt. Multum etiam flatibus, compreſſionibus & catarrhis acceſſit ex ſiniſtro latere, videlicet ex liene & matrice, aliter q̃ oportebat affectis, & conſenſu ſuo ventriculũ & caput

Vnde catarrhi frequentes.

turbâtibus. Contra autem epar iuſto fuit calidius, vt non ſolum caloris quaſi flammas eructaret in ſuperiores partes, (inde & genis ſemper fuit rubentibus, & facile æſtum circa caput ſenſit) ſed generaret etiam vſtorum humorum, rudimentorum vrinæ, & ſeri copiam. Et quia renes quoque non raro incaluerunt, & ad obſtructionem parati fuerunt, facta ſubinde eſt regurgitatio ſeri, inde repletio capitis, tinnitus auriũ, ſomnia tumultuoſa, &c. Hæc fuit in magnifica Domina prioris biennii conſtitutio. Atq; ego etiam quid ex hac corporis pronitate ſecuturum eſſet conſpicerem, ſcripto non vno complexus ſum omnem valetudinis ipſius rationem. nec quicquam maluiſſem, quam vt Domina tantum temporis integræ curationi impêdere ſuſtinuiſſet, donec membra ad integritatẽ, & ad laudabilem ſtatum reducta fuiſſent. ſed negotia obſtiterunt, & quæſitũ eſt ex Thermis remedium. Itaq; cum perſtaret ventriculi cruditas, & epar intemperatũ crudos humores attraheret, ipſæq; meſeraicæ obſtructæ non recte ſugerent chylum ido-

Regurgitatio ſeri.

Thermæ.

idoneum, tandem & ipſum epar paulatim refrigeratum eſt, & à potu thermarum ſulphurearũ & nitroſarum vitiatum eſt, vt ſanguificatio inſtitui non potuerit, ita ſecuta eſt cachexia, id eſt prauus & vitioſus corporis habitus ex copia prauorum humorũ. Poſtea vitiata vlterius concoctione ventriculi & ſanguificatione epatis, ſuccus, quo alendæ erant particulæ, degenerauit in naturam alienam, ineptam nutricioni, atq; ita ſane nunc ſe res habet. Nam etſi ſanguinis aliquid generatur: tamen is adeo humidus eſt & diffluens, vt membris neq; hærere, neq; aſſimilari poſſit. & conuerſio ipſa chyli non fit in bonum ſanguinem, ſed in crudum & pituitoſum albicantem, ſeu potius in lentam & concretã pituitam. In hoc ſanguificationis errore facta eſt diſtributio aquoſi humoris, ipſiusq; pituitæ per venas in muſculos, atq; adeo in omnia fere membra corporis, vt moles ipſa corporis, ſeu ſpongia humore imbuta increſcat, humiditate inhæreſcẽte mẽbris, & quaſi abſumpta. Ita ex dilutiore illo alimento corpus flaccidum, laxũ & pendulũ euaſit, &

tale eſſe pergit cum poſt appoſitionẽ nul-la vera agglutinatio, multo minus vera nutritio fieri poteſt. Morbũ igitur eſſe eã ſpeciem hydropis, quæ Anaſarca dicitur, nullũ eſt dubiũ, & teſtãtur id omnia ſymptomata. Nam pedes intumuerunt vltra genua, iſque humor increſcit veſperi, aut quando illa in ſella ſedens pedes decliues aliquando tenuit. Noctu ſubſidet tumor, & mane aliqua ex parte euanuiſſe videtur. Quin etiam tumor, ſi digitus imprimatur, relinquit impreſſi digiti ſeu cauitatis veſtigium. Vẽter quoque ad contactum craſſus eſt. Totũ corpus graue eſt, & quaſi diſſolutum & maciatum languet, ac nimiis etiã laboribus fatigatur & frangitur. Carnes ipſę quocunq; tãgas ſunt molles, laxę, pallidæ, quia imbutæ ſunt aquoſo humore, velut ſpõgia. Et quia effuſa eſt materia pituitoſa inter cutem & carnem, inde eſt calor illi deprauatus & pallidus. Functiones omnes corporis hebetes ſunt & languidæ, præſertim ventriculi & epatis ideoque cibum faſtidiunt. Nam nec venæ meſaraicæ, quibus ad epar alimenta trãsferũtur ſugunt & attrahunt ob debilitatem.

Anaſarca.

litatem. Atque ipſi quoque renes propter obſtructionẽ & imbecillitatem ſeroſã materiã abſtrahere nequeũt. Ita in corporis partibus inferioribus cumulantur & corrumpuntur excrementitii illi humores, ne quid interim de lienis & matricis affectibus dicã. Eſtq; huic morbo peculiare, quod etiã in ipſa animaduertitur, vt eodẽ etiam die, modo rectius, modo peius ſe habeat. Nec exigui momẽti eſt tuſſis valida, & pulmonis anguſtia, ſpirandi difficultas. Spiritus enim aceruatim trahitur, poſt cibũ maxime. Super omnia cõcurrit febris lenta cum pulſu vndoſo, crebro & pauco, atque febris noctu exaſperatur, & ipſa viciſſim reliqua omnia exaſperat. Inde noctu percipitur calor, ſitis, ariditas oris, calet & dolet caput ab effumatione calida, defluxio decumbit ad ſiniſtram partem capitis, & vigiliæ multæ. Infeſtat tamen etiam illam tuſſis illa impetuoſa totum corpus miſerabiliter concutiens, & raucedinem inducens. Deinde vehemens & orificii ventriculi, & ex his omnibus ingẽs virium debilitas. Ex his ita enumeratis apparet tota morbi ratio cum

Tuſſis valida.

ſymptomatibus & morbis, nec obſcuræ ſunt ex eo diſcurſu ſingulorũ cauſæ. Apparere etiam ex eo difficultatẽ arbitror, quod iam in habitum deducta ſit frigiditas, & partes oppreſſo calore & humido radicali minus habeant virium. Et durant adhuc fomites huius morbi, nempe, cruditas ventriculi & languor epatis. Præterea morbus habet adiunctã tuſſim validã cum vehementi cõpreſſione, quæ ſecuta eſt longã difficultatẽ ſpiritus, habetque febrẽ coniunctã, ita vt oporteat medicamenta, quæ tumori diminuendo adhibenda eſſent, calidã intemperiẽ augeant. Etſi igitur difficultates illæ curationi obiiciantur, tamen cum non vſque adeo durarit morbus, & ipſa nondũ ſenio confecta ſit, & vires adhuc habeat non penitus proſtratas, & ſumere etiã medicamenta velit, & ſumpta ſibi conferre ſenſerit, aliique multi hac ſpecie hydropis liberati ſint, nulli hic operæ parcendum eſt, vt fomites huius morbi corrigantur, & corpus onerante aquoſitate liberetur, etiam ſi id confertim & ſubito fieri non poſſit. Etſi vero magnifica Domina cuperet

Vnde ſpes Curationis.

ſtatim

ſtatim tolli tumorem, tamen fruſtra adhiberentur tumori remedia, cauſa præſente. Nam cauſa protinus reſtituit, quantum tumori adimitur. Itaque cum hic multa ſit aquoſi humoris copia diſſeminata per totum corpus, ob vitiatam ſanguificandi facultatem, morbus loquitur ipſe, requiri hic euacuationē aquoſi humoris, ſed frequentem potius, quam validā, tum ratione ipſius Dominæ, quæ facile à purgationibus offenditur, tū ratione epatis, cuius vires valida euacuatione proſternerētur, cum alioqui in omni hydrope epar ſit imbecillum & languidum. Pręterea in hydrope alui profluuium periculoſum eſſe ſolet. Ergo leuibus euacuationib. procedere oportet, & alternatim euacuare & cōfortare idq; ſæpius. Potiſſima deinde intētio dirigenda eſt ad labē & vitium epatis. Ita autē attēperanda ſunt medicamēta epati, vt intēperies eius corrigatur. & emendetur imbecillitas cōcoctricis facultatis, cuius vitio & errore ortū eſt hoc malū. Quod fit ſi aperiantur obſtructiones, attenuentur craſſa, incidātur & abſtergantur viſcida, ac deniq; ſi fouea-

Tumori remedia fruſtra adhibentur cauſa præſente.

Aquoſi humoris euacuatio.

In hydrope alui profluuium periculoſum.

tur calor naturalis. Sed ſimul etiã febricu-
læ ſymptomaticæ habẽda ratio, quæ indi-
cat ſubeſſe aliquid putredinis, cuius cauſa
ſunt obſtructiones. Diuretica prius non
exhibenda, quã corpus purgatum & flui-
dũ factũ eſt. Vſu enim comparatũ eſt, quo
magis diuretica, & quæ fundũt materiam
dãtur hydropicis, eo magis ipſos intume-
ſcere. Ideoq; caute hoc agendũ. D. Schi-
rachius ſequẽti remedio opportune dato
ægrum tumidiſſimum ab aqua liberauit.

Diuretica quãdo proſint Hidropicis.

℞ Aq. radic. raphani.
Sambuci,
Maioran. a. ℔ ß.
Syr. de radicib. ℥ i.
Bull. modicum, f. potus clarus.

Verum caua epatis pars prius liberãda ab
aquoſitate per ſedes. quam gibba per vri-
nas. Vidi ipſe male ceſſiſſe potiones diu-
reticas, in quibus erat ſoldanella, vbi pri-
mis membris non erat priùs proſpectũ, &
adempta repletio. Sed poſt euacuationẽ
totius mire vtilia ſunt. Nã ſi renes nõ tra-
hũt ſerũ, replentur venæ ſero, & tumor in-
creſcit. Hydrotica, quæ aquas expellũt per
ſedes, egregie id præſtat iridis ſuccus ſic
præparatus: ℞ Suc-

In Hidrope prius epatis pars caua expurganda. Soldanella.

℞ Succi Iridis ſeu lilii cœleſtis per reſidentiam depurati ʒ iii.
Syr. de endiu. ʒ vi.
Aq. petroſel. ℥ ß.
Sp. Diarrhod. alb. ℈ i.
Miſc. f. hauſtus.

Item ſerum caprinum cum Rhabarbaro. Multa quoq; ſunt, quæ ſudore aquas eliciunt, vt ſicca balnea, quæ tamen ante vacuationem ventriculi & epatis nocent, quia magis replēt venas, & obſtructiones efficiunt. Item radix Aſclepias ſeu vnicetoxici ℔. ß per noctem in vino macerata, & deinde vſque ad tertias decocta, mane ieiuno ſtomacho pota calida, aquam intercutem ſudore copioſo mirifice expellit. Confert & vinum cum veronica apperatum. Item theriaca cum vino. Quod vero ad ea attinet, quæ tumorem ipſum inſenſibili perſpiratu, vel etiam ſudore diſcutiunt, multa ſunt, quæ id pollicentur, vt ſi tritico aut milio calefacto imponantur pedes. Sic enim triticū increſcit. Lac cauebis intus & extra. Item: In cineres calidos crura impoſita. Suffumigatio membrorum tumidorum per lapides *Balnea quando.* *Topica.*

ignitos, ſic perfuſo aceto, aut decocto ſuper aſperſo ex radicibus ebuli, granis iuniperi, baccis lauri decoctis in aceto. Item laudatur fomentatio ex decocto fl. chamomil. fol. lauri, origano, roriſmarino, ſaluia, calamintha, maiorana, anetho, pulegio, ſulphure, alumine, vt fiat decoctio partim in lixiuio, partim vino albo, vbi ſubinde lapides igniti iniiciantur, ne refrigeſcant. Vltimum denique eſt, ſi cætera non conferant, apertio pedis quæ tamen periculo non caret, cùm vlcera hydropicorũ difficulter ſanẽtur, ob humoris copiam, & ſæpe eriſypelas accedere ſolet. Noui tamen mulierem, quæ curata eſt cauterio impreſſo pedi, egreſſa percute aqua. Sed propter appoſitionis diuturnitatẽ ipſa diuturno vlcere afflicta fuit. Et quidam cui per incuriam læſum erat crus ferreo quodam inſtrumento conualuit. Veſica enim enata effluxit deinde aqua. Hæc vero omnia, q̃ hactenus dicta ſunt, eo tãtum pertinent, quomodo aqua iam generata in corpore euacuãda, & corpori adimenda ſit. Sed præterea etiam curandum eſt, ne ſubinde generetur noua. Id

Apertia pedis per cauteria.

fit

ſit per commodam victus rationem, ſitis tolerãtiam &c. & per commodam ventriculi & epatis confortationem. Itaque interim ſemper, dum reliqua vſurpantur, ſubinde danda ſunt, quæ ventriculũ & epar confortant intus & extra. Scripta autem ſunt prædicta, quæ ad tumoris diminutionẽ faciunt, non eo cõſilio vt proſint omnia, aut eo, quo ſcripta ſunt ordine, vſurpentur, ſed potius & Medicus præſens ſyluã remediorũ habeat, vt vſurpare nũc hoc, nunc illud pro opportunitate poſſit, nẽpe, vt ſe res dabit, & morbus requiret,

CASPAR HOFMANVS
MED. &c

CONSILIVM XXXI.

De hydrope monſtroſo.

PRAGÆ initio Februarii, anno 1581, ſecta fuit fœmina hydropica, vxor curſoris cuiuſdã Imperatricis, ætate conſiſtẽte. Cui circa anni ſpaciũ ante mẽſes deſierant, cũ ventris intumeſcentia. Vnde vtero ſe genere exiſtimans, ab omni medicatione ſedulo cauit. Habitauit humi, loco anguſto, fœtido, tẽperantiſſima in victu,

& parca ob inopiam, viliore vſu potius, quam bono. Porro exacto geſtationis tẽpore, vẽtreq; ſubinde adcreſcẽte, abſq; fœtus vel partus indiciis. Dubitans de ſpe concepta, Medicos cõſuluit ſeruus; vt in caſſum medicinę tũ adhibitę fuerint. Vẽter.n.magis magiſq; ꝓtuberabat cũ dolore cõtinuo, ſnocturno grauiore: vt ſine q̄ete inãbulauerit totas noctes eiulabunda extra domunculã ſuã plus ſatis arctam, etiam hyeme, magna vicinorũ cõmiſeratione. Sic tandẽ cruciatu, & inquietudine cõfecta obiit, maritũ obteſtata prius; mortuæ ventrẽ introſpici curaret, quo eius affectu recte agnito aliis ſimiliter ægrotantibus ſubueniri melius poſſet. Quocirca præſentibus clariſſimis DD. Phyſicis & chyrurgis Cæſareis, aperuit vẽtrem aulæ chyrurgus, me deſignãte, circa vmbilicũ 2 vel 3 digitorum altitudine & amplitudine. Effluxit aqua purpurea inſtar lixiuii ſatis obſcura penes cutim; nec premendo vẽtrẽ, adſurgebat altius. Cũ vero ſegnius efflueret: nouacula profundius adacta ſubſiliẽs aqua illa obſcura ſpitamę altitudine abſq; cõpreſſione, quaſi cauitate ꝓpria reſe-

Anatomia hydropica.

reſerata demũ largiſſime profluxit: totaq; ſic euacuata fuit citiſſime ingenti copia. Cõtinuata deinde fuit inciſio ad vtrunq; iliũ: nec non pubem vſque. Mirum hic o-minibus apparuit, nulli noſtrum viſũ vel auditum. Abdominis muſculi, quaſi nulli conſpecti, ſed tota eorũ facies interior in veſicularũ quoddam cõtinuum corpus, maiorum & minorum, partim aqua limpida, partim mucore, partim materia glãduloſa refertarum cõuerſa fuit, vel quod credibilius, abdominis muſculi extreme attenuati, vna cũ peritonæo à membrana carnoſa abſceſſerũt, aqua ibidẽ fluctuãte, tum forte natura id veſicularum corpus membranę carnoſę munimenti ergo prouide addidit; ne amplius diſtenta rũperetur. Erat enim cœlũ turbidũ, pluuioſum: locus cœnoſus, fætidus ac fætens; quo minus exquiſite ſatis inueſtigari cũcta potuerint; prout certe fieri debebat in caſu raro. Quin tale veſicularum corpus circa rectos muſculos latã manum craſſitie æquabat. Quod maius eſt, nondũ inteſtina vlla adparebant, aquæ conceptaculo toto detecto: nec epar cũ vẽtriculo, ſed mem-

Huiuſmodi veſiculæ. Græcis dicũtur ὑδατίδες quarum etiam Fernelius meminit de aſcite.

brana ſola à pube deorſum verſus depreſſa, indeq; rurſum eleuata vmbilico & hypochondriis attenſa, diaphragma quodãmodo referens. Ea vero inciſa cõparuerunt & illa, aquæ limpidæ haud adeo multæ innatantia. Atq; hæc membrana peritonæum erat, ab abdomine aqua interlabente diuulſum, alias vix ſeparabile maxima induſtria, vel ex poſteriori coniectura, peritonæũ vna cum abdomine adeo attenuato, vt ſimplex membrana obiter aſpicientibus adparuerit, craſſior nonnihil. Ad intra peritonæum nihil rarũ, niſi ventriculus admodũ contractus, ſicut & inteſtina, epar cinericium magis; ſplẽ exiguus, renes naturales. Vterus cum veſica pinguidine multa glãduloſa obuolutus. Spiritualia decenti modo ſe habebãt. Rara ſane & monſtroſa hydropis forma: Aquã adeo multam inter abdomen & peritonæum adgregari; ſiue inter abdomen & cutis pinguedinẽ, quę membrana carnoſa denominatur cũ iſta veſicularũ excreſcẽtia dẽſa ab interna abdominis ſuperficie.

IOHANNES ACHOLZIVS,
VIENNENSIS MED. &c.

CON-

CONSILIVM XXXII.

In fluxu ventris, & vomitu grauidæ, pro quadam honeſta matrona.

SACCEPI literas tuas 19 Iunii datas, ex quibus vxoris tuæ prægnantis valetudinē intellexi. Doleo, vt par eſt, honeſtiſſimæ cõiugis tuæ vicē, atq; opto, vt quā primum cõualeſcat. Eſt autē hic affectus, de quo cõqueritur, vterū gerētibus multum familiaris, minime tamen ſalubris. Quapropter viribus deficientibus, vt alii vētris fluores ſiſtēdus erit, quod pro tuo iudicio probe facies, vbi cõmodū tibi viſum fuerit. Petis vt deſcriptionem emplaſtri mei, quo in tali caſu vti conſueui, cõmunicem tibi, quod vltro citroq; facio. Nihil enim reconditū habeo, quod tibi nō cõmunicandū putē. Reperies inadiuncta charta medicamēta ſequētia, emplaſtrum nimirū, ceratū, & miſturā, quam conditū vocant. Primum, maſtichen ſolam habet, ſecundū, ceratū ex variis ſpeciebus compoſitū eſt, tertiū vero conditū. Primum, quod maſtichen cõtinet, telæ impoſitum cõiugis ventri calidū applicabis, quod per biduū aut triduū ſupra ventrē geret, ſin-

Quæ vteri gerentibus præbenda in fluxu.

gulis tamen diebus renouando. Quod ſi fluor non ceſſarit, applicabis cerotũ linteo ſuper inductũ, quod etiã per dies aliquot geſtabit. Remedia illa duo multis profuerũt prægnantib. diarrhœa laborãtibus. Quare credo futurũ, vt & tuę vſui ſint futura. De cõdito etiã ſæpius in die quãtitatem caſtaneæ nucis deglutire poterit, & maxime ante cibũ. Siſtet enim fluxũ ventris & ventriculum miſelle roborabit. En habes clariſſime vir, q̃ ego vterũ gerentibus ſæpenumero exhibui, nec ſine fructu illis ſunt vſæ. Hæc ſi iudicaueris coniugi tuæ vtilia fore, tu etiam exhibere poteris. Expoſui quoq; Illuſtriſſ. noſtræ electrici vxoris tuæ ægritudinẽ, atq; petii, vt potionẽ, quã *Kinder Balſam* vocare ſolet, tibi donaret, quod certe ſpõte fecit. Poterit igitur vxor tua de illa quandoq; cochlear vnum bibere, ſi embrionis ſenſerit debilitatem. Plurimũ enim laudatur à prægnãtibus, vſurpatũ vbi ſenſerũt fætus imbecilles eſſe. Poterit igitur & vxor tua de illa periculũ ſine periculo facere. Hoc tamen admonitũ volo, vt vbi videris fluorẽ ad ſiſtẽdũ inobediẽtẽ futurũ, ne multum vrgeas. Ferunt

Balſamum puerorum.

runt

runt enim nonnunquã prægnantes eiuſmodi diarrhœas vſq; ad partum, citra noxam, vt contigit in vxore fratris mei, quæ prægnans, per quatuor menſes ſanguinolentas deiectiones, etiam cum raſura inteſtinorum, paſſa eſt, nec vllo medicamento ſiſti poterant, tãdem excluſo fœtu ſano & incolumi ſponte ſua intermiſerunt. Et tantum in præſentia. Vale & me ama.

Sequuntur medicamenta.

Maſtich. el. ℥ ii.

Diſſol. in ol. roſar. ac cum ceræ ℥ ß, vel q. ſ. foriter commiſceantur, quouſque venerint in formã linimenti, dein infundãtur telæ lineæ mundæ, (iuniores vocant telas emplaſticas) quantitatis ad libitum, & exiccentur, poſt applicentur ventri.

℞ Oryzæ torrefact. ℥ ß.
Maſtich.
Cortic. thuris an. ʒ ii.
Gallar. quercin.
Cupreſſ. an. ʒ ii ß.
Gummi torrefact. ʒ iii.
Myrtill. Italic. ℥ ß.

Pul. pul. & cum reſina & cera ſufficientibus f. ceratum.

℞ Conſer. roſar. antiq.
Diaciton. ſimpl. cum ſacch. ſine ſpecieb. an. ℥ i ß.
Rad. tormentill. ℈ i i.
Sem. ſanguinar ʒ ß.
Nucis conditæ torrefact. ℈ ii.
Oſſium Dactyl. ʒ ß.
Smaragd. oriental. præparat.
Corall. rub præparat. an. ℈ i.
Cum miua cidoniorum ſimpl. q. ſ. f. conditum.

IOHAN. NEFIVS MED. &c.

CONSILIVM XXXIII.

A domino M. W. Vr. Latinitati donatum.

In nimia alui lubricitate, & menſtruis, tum rubris, tum albis immodice fluentibus, pro quadam generoſa Domina.

NArrationē pleniſſimā morbi & ſymptomatū generoſæ Dom. diligentiſſime perpēdi, & ad duo præcipue nūc ſpectandū eſſe deprehēdi: vnū eſt alui fluxus ſeu inteſtinorū nimia nōnunquā lubricitas. Alterū menſtruorū, tū rubrorū, tū alborū abundantia ſine certis circuitib. & mēſura, à quibus natura debilitatur. Quod ad primū attinet, inteſtinorū nimirū leuitatem

tem, non debet illa Medicum magnopere ſollicitum reddere, cum ſeroſi humores, qui alteri vterinæ fluxioni cauſam præbent, paulatim euacuentur. Itaque hi fluxus, ſi non plane ſint immodici, non vehementer metuendi. Ne vero ſeroſa colligantur,& corpus his non vexetur, & matricis fluxum non irritent, ſuadeo vt vtatur domina ſingulis ſeptimanis mane tribus vel quatuor talibus orbiculis: *Diarrhœa non immodica negligenda.*

℞ Rhabarb.el. ſubtil. pulu. ℨ i i i.
Aſpergatur aq.cinnam. & addatur:
Maſtich. pul. ℥ ß,

Et cum ſacch. ℥ i i i i. in aq. beton. diſſol.f. orbiculi, ſinguli pondere ℨ ß Optarem & cōfici circa hyemem electuarium cynoſbati, exemptis acinis & muſco intus latēte, præparata reliqua materia, ſicut ſolet confectio fieri cotoneorum cum ſaccharo, adiectis etiam conciſis minutim corticibus citri. valde id profuturū eſt, ſi mane & veſperi magnitudine caſtaneæ nucis vtatur. Vt vero corpus ſalſa illa ſeroſaque humiditate, quæ ortum habet ab epate, liberetur,& per vrinam educatur, coquatur cichorium in iure gallinæ non ſalſo & *Elect. cynosbati.* *Seroſa expurgat cichorium.*

Vnde vteri fluxus. ante prãdium bibatur. Quod ad vteri fluxus attinet, quoniam hi non ſolum ab acribus humoribus in ſanguine, ſed & à læſis in vtero venis, ſiue ab apoſtemate, ſiue ab excrementis oriuntur: Thermas conſulo, maxime in Glacẽſi ducatu Landecenſes, quo etiam loci vicinitas allicit. Ac etſi communis opinio eſt, thermas in annis biſſextilibus efficaces non eſſe, tamen nõ diſſuadeo. Nec peculiari aliqua præparatione opus eſt. Eſt & extra periculum, & commoditas magna ob lotiones, quæ in labris fiunt. Quod ſi placuerit generoſæ dominæ hoc conſilium ſequi, præſcribam ea, quæ in eius vſu obſeruanda veniunt. Interea puluere vtatur è granis chermes, aut hoc ſequente, quod efficacius eſt mane & veſperi, quantum groſſo albo excipi poteſt in ouo ſorbili:

Puluis è granis chermes, ℞ Granor. tinctor. vel chermes ℥ i i i.
Nucis conditæ toſtæ ℥ i.
Thuris albiſſ. ℥ ß. Miſc. f. puluis.

In potum ſemper iniiciat grana maſtichis ſelecta ad 30 vel 40 incluſa linteolo. Ordinem ſeruet in cibo & potu, vitet miſturam ciborũ, maxime piſces & cancros

teros & lacticinia & cruda omnia, illas etiam aues, quę ad ſtagna ſe alunt, fungos & boletos; quod facturam ſpero generoſam dominam etiam ſine mea admonitione. Deus conſilium hoc fortunet.

IOHAN. CRATO A KRAFTHEIM, MED. &c.

CONSILIVM. XXXIIII.

In nimio menſtruorum fluxu, cum inflatione matricis, & pallore corporis, pro quadam magnifica fœmina.

à Dn. M. VV V. latinitati donatum.

CAVSÆ omnium affectionũ, de quibus queritur ægra in literis ſuis, ad vnam reduci poſſunt, naturalis videlicet caloris imbecillitatem, nõ modo in ventriculo, ſed & cæteris viſceribus, ſiue ea à frigore ſit, & pituita diu in corpore collecta & retẽta, ſiue à præternaturali calore, qui corruptionem humorum ſequitur, quãquam colligere poſſum, vtramq; cauſam eſſe coniunctam, idq; per omnes circumſtantias mihi cõmemoratas demonſtrare poſſem, niſi me mea debilitas impediret aut Medicus non Latine potius, quã Germanice ſententiã ſuã aperire poſſet.

Igitur ſtatuo, ſummam curationis eſſe in præſidiis iuuantibus calorem naturalem poſitam, quod fieri poterit, ſi pituitæ generationi, & coruptioni humorum occurratur. Nam nō ſatis cautum auxilium eſt, aut corpus calefacere, aut pręternaturali calori refrigerantibus velle obuiare, quo nihil eſt pręſentius ad morbū prorogandum, maxime ſi domina aquas doſtillatas, & ſuccos è fructibus expreſſos vſurpare vellet, aut venæſectionem, ſimiliaq; intempeſtiue vſurpare. Externa autem cauſſa, qua calor naturalis labefactatur, eſt ſanguinis fluxus nimius, de quo domina queritur, vnde ſequitur prouentus pituitæ, quam natura nondum extreme debilitata ex omnibus locis maxime vero per ſtomachum expellit: eadem ſi in inteſtinis vel vtero detinetur, nec exitum reperit, inflationes gignit: obſtruit matricem, ne humores & excremēta ordinario motu poſſit eiicere, vnde oritur corruptio & præternaturalis calor, & vapores moleſti, qui grauant cor, & caput conſequenter: ex eadem retentione pituitæ & humorum corruptione eſt pallor corpo-

corporis, aut calor nō naturalis, nec poſſunt vires conſiſtere. In ſomnum fit procliuitas quædam, ſed ſine refectione debita: & cum natura ab illis vaporibus affligitur, cedit calor naturalis, refrigerantur extrema, & anxietas oritur, donec natura fumos illos euicerit: hæ rariſſimæ ſunt cauſæ eorum malorum, quę prolixè mihi cōmemorata ſunt. Et quia mala iſta poſt vſum thermarum Meiderdorfenſiū, quas ego aquas tamen nō probo vtcunq; prædicentur, non ceſſerunt, ſed potius, meo quidem iudicio, aucta ſunt, non mirum quod illa hoc modo tolli non potuerunt. Vera igitur curatio conſiſtit, primum in exquiſita victus ratione: deinde in expurgatione pituitæ: tertio in præcautione corruptionis humorum & in apertione matricis: quarto in auxiliis iuuantibus calorem innatum. Quod ad primum attinet multa præſcribere nō debeo, quam vt magnifica domina carne vtatur, quę facilis ſit concoctionis, aſſa, ſiue gallinarum, ſiue auium, ſiue aliorum animalium. Vitet autem varietatem ciborum, iuſcula, toſta, legumina, piſces, nimiū vſum ouo-

rum, maxime cum butyro, lacticinia, præcipue vero cruda omnia: abſtineat à vinis potentibus. Sed panis intingi in maluaticum poteſt. Bibat autem parciſſime. Inter cœnam & prandium ne bibat. Ante cibum ſe exerceat. Quod ſi exercitium ſuſtinere ſatis ſufficiens non poteſt, aliquot grana piperis, maxime albi deglutiat, vt iuuetur inde calor naturalis. Multa in hanc ſententiam de diæta ſcribi poſſent, ſed ſatius eſt vnumquemque ſui diligentem rationem ſuſcipere, & obſeruare quæ proſint, quæ noceant. Multa præcepta colligere, & pauca obſeruare, nihil prodeſt. Quod ſecundo loco purgationes attinet, nolo vehementes ſuadere, ſed pillulæ ſatis erunt, ſi ſumantur dimidia hora ante cœnam, primo ſingulis ſeptimanis bis, poſtea ſemel in ſeptimana, nouem pillulæ, & poſtea in cœna facilibus cibis vtatur:

Purgantia.

℞ Aloes roſatæ ℥ v i.
Succin. alb.
Maſtich. an. ʒ i i.
Agaric. albiſſ. ʒ i ß.
Gentianæ,

Ariſto.

Ariſtoloch. rotund.

an. ʒ ß.

Aſpergatur puluerifata aqua cinamom. & cum ſyr. de abſinthio f. maſſa, de qua, pro qualibet drachma, reformentur pillulæ 14. Iſtarum pillularum nouem ſumat vno die, & ſi prima die parum, vel nihil aluum mouent, repetat altero die: educent pituitam, & ſtomachum ac matricem roborabunt. Tertio, ne humores corrumpantur & cor affligatur, ſuadeo vt hoc puluere vtatur, maxime ſi ſenſerit caput & cor male habere: conficitur autem ex margaritis præparatis & terra ſigillata, æqualibus partibus. Vſus eius eſt in aqua borraginis, è floribus in vitro, non in vaſe æneo deſtillata, tertia parte vnius drachmæ, aut paulo plus. Inprimis caueat vſum aquarum deſtillatarũ in cupro vel ſtanno. Si aquæ borraginis paululum aquæ cinamomi admiſceatur, ſtomacho erit gratior, & cor roborabit & nõ dubito, quin hoc vnicum etiam plurimum ſit profuturum. Poſtremo, vt calori naturali etiam foris proſpiciatur, & inflationi, quę vehementer corpus turbat, *Pro inflatione.*

occuratur, miſceatur farinæ triticeæ cõtuſæ carui vel cuminũ, piper, nux muſcata, garyophyll. & zinziber, adde mel, formentur inde parui globuli vel taleoli, & apud dulciarium pinſantur: hos calide applica ventri, inuolutos tamen ſubtili lino, nec nocent ſi vel totum corpus tegant. Pro vtero vtiliſſimum fuerit, gummi tacamahaca in aluta illitũ, & in forma emplaſtri ſub vmbilicum applicatum, quod tanto efficatius erit, ſi ſcutum illud ſtomachale ſuperius ordinatum acceſſerit. Hæc ſubito monere volui, paratus vbi conualuero, nulli operæ in curanda magnifica domina parcere. Calen. Maii, anno 1584.

IOHAN. CRATO.
A KRAFTHEIM, MED. &c.

CONSILIVM XXXV.

In dolore & ſuffocatione matricis, pro quadam nobili fœmina.

S. Perlegi literas tuas humanitate & eruditione refertas, & quibus quod ad curationem nobilis matronæ ęgrotantis attinet, te circumſpecte & methodice ſatis rem

tis rem tractaſſe video, atq; adeo, vt quid ſuperaddi iam commode poſſit nõ agnoſcam. Solent enim morbi nonnunquam incrudeſcere, atq; contumaces ſanationi fieri, vt omnia medicamenta, optime etiam excogitata, reſpuant. Noſti enim Ouidii carmen: *Morbi qui contumaces.*

Interdum docta plus valet arte malum.

Itaque mirum non eſt, quod omnes ex æquo morbos tollere nequeamus, cum & ſuperiores, & in arte medica magis experti ac docti Medici, id præſtare non potuerint. Faciamus igitur quod poſſumus reliquum Deo committendum eſt. Verum quando vis vt meam opinionem tibi aperiam, breuibus accipe. Curarem ante omnia vẽtris fluxum, quem obiter inuaſiſſe ægrotam ſcribis. (Nam ſalubrem illi futurum, ſi modum non exceſſerit omnino ſpero, cum proculdubio ſuccos illos malos dolorem vterinum mouentes, ac vapores venenoſos ad caput ſpirantes, ſecum educat) ac ad dolorum, in imo ventre poſitorum ſedationem, intentiones omnes adhiberem. Et cum iudicarem per alui fluxum corpus ægrotantis ſatis eua-

cuatũ eſſe, offerrem ad intra, quod aiunt, & ab extra, dolorem ſedantia medicamẽta: ad intra ſiue per os exhiberem decoctum tale:

℞ Galangæ,
Zedoar. el.
Baccar. lauri.
Rad. liguſtic. an. ʒ ii.
Gran. & rad. pæoniæ a. ʒ i.
Cimin. ʒ iß.
Sem. Dauci,
paſtinac. ſylu. a. ʒ i.

Coq. in aq. florum tiliæ, betonic. & matricariæ a. ℔. ß. ad caſum tertiæ partis, de colatura dabis mane & ſero cochleari a numer. 5 vel 6 calide. Decocto ex hauſto darem de ſequenti puluere, quem ſæpe in ſedando dolore, ac ſtrãgulatione matricis non ſine fructu ſum expertus, qui habet:

℞ Sem. dauci ℥ ß.
paſtinac. ſylu. ʒ ii.
Rad. pæon. & gran. excortic. a. ʒ i ß
liguſtic.
Sem. cimin. a. ʒ i ß.
Anterior. oſſ. cranei human. ex ſutura coronali vſt.

Cin-

Cinnamom. el. a. ʒ iß,
Baccar. lauri,
Zedoar. el. a. ℈ iiii.
Fol. betonic.
Rad. biſtortæ an. ʒ i.
Succin al.
Ameos,
Seſeleos a. ʒ ß,

Redigantur ſingula in tenuiſſimum puluerem, & miſceantur. Δόσις mane & ſero ʒ ß. cum aquis matricariæ, betonicæ, & modico vini albi clari. Clyſteres prçterea aluò adſtricta ex decocto gallinarũ cõfectos iniicerem, diebus alternis. In decocto incoquerem: F. chamæmel.
Fol. matricariæ,
betonic.
lauri an. p. ii.
Rad. pæon. & gran. eiuſdem a. ʒ ii.
Sem. rutæ ʒ ß.
dauci,
viticis a. ʒ i.

De decocto caperem ℔. ß. in quo diſſ
Ol. lilior. albor.
cheirin.
chamæmel. an. ℥ iß,

Sacch. rubr. ℥ ß.atq; ita iniicerem.
Aluo retenta adderem:

Bened. laxatiu.

Hieræ picræ ſimpl.a. ʒ iii.

Illa enim ratione ſi quid reſtaret humorum dolorem mouētium paulatim educeretur. Nicolaus Florentinus etiam laudat in tali caſu puluerem gentianæ in vino calido oblatum, & ſcribit puluerem hunc dolorem ventoſum (nam eiuſmodi illum eſſe timeo) ex flatu craſſo inflatiuo, cum proprietate, tum qualitate ſanare. Et addit: Dicunt quidam quod curat dolorem præſentem, & præſeruat à futuro. Videat ergo ipſum Prudentia tua ſermone 6. tract. 3. cap. 33. Ab extra applicarē emplaſtrum de galbano factum, & de baccis lauri an. q. ſ. & applicarem ſumini, vel ſolum emplaſtrum de baccis lauri apponerem, præcedentibus tamen fomentis humidis, ſiue ſiccis, excarminantibus, & anodynis confectis. Hæc habui, quæ ad petitionem tuam tibi communicare volui, quę ſi videntur conuenientia, ac inſtituto tuo inſeruientia, vſurpare poteris, ſin minus vt ſtudium tamen meum, ac voluntatem

Puluis gentianæ in dolore ventoſo.

luntatem

luntatem erga te meam boni conſulas, o-ro. Ocyſſime è Dreſda, Kalen. Nouemb. anno 1568.

IOHANNES NEFIVS, MED. &c.

CONSIL. XXXVI.

In ardore vrinæ, cum exulceratione colli veſicæ & pudendi, ac mictu cruento, pro quadam honeſta matrona.

SEx literis tuis ad fratrem meum chariſſimum, D. Iohanem, febri grauiſſime laborantem, & me quoque vna, à te ſcriptis intelligo, matronam, patientem tuam, ex ardore vrinæ aliquandiu laboraſſe, & eo ipſo non ſolum veſicę collum, ſed & pudendum exulceratum eſſe. Eſt autem caſus grauis admodum, & ſanatu difficilior, cum ob mādantium membrorum intemperiem, quæ non facile in iis, qui exactam victus rationem cum curatione non coniungunt, corrigitur: tum vero ob loci affecti ſitum. Etenim locus ille natura humidus, & ob id conſolidatu difficilior, tum quod excremēta acria per

ipſum trãſitum habent. Petis autem conſilium noſtrum, quod frater pro ſuo erga te amore non negaret, nec ego recuſare debeo, nec poſſum. Vtinam autem ita dare poſſem, vt vellem, & caſus ipſe requiſiuerit, conſultum patienti foret. Et quamuis pro tua doctrina meo potiſſimũ ſubſidio in hac parte non eges, tamen prudẽter facis, quod in tam grauibus caſibus etiam aliorum conſilia requiris. Nam & hoc pacto te à temeritate & audacia, & à calumnia artem vindicabis, ſi ægrotæ amici intellexerint, per te non ſtare, quo citius morbus curetur: ſed propter malitiam morbi id euenire. Laudo autem tuũ in operatione progreſſum, & quia ſcribis tumorem ortum in pudẽdo cum inflammatione, conſules huic miſſione venæ epaticæ, item clyſteribus auertentibus & euacuationibus. Acredinem vero humorum epicraſi ad temperiem deduces, ne inflammationem cum eroſione augeat. Poſtea vteris, quod & te feciſſe autumo, anodynis applicatis, ſiue per ſpõgias, ſiue per inſeſſus. Ex iis vero placet mihi qui:

℞ Flor. chamæmel.

meli-

melilot. citrin.
leucri,
violar. purpur.
Herb. parietariæ,
mercurialis vtriuſque,
Sem. lini,
fœnugr.
altheæ an.q. v.

His addes, vbi percolatio pro fomento facta fuerit, croci parum. Habent autem hæc egregiam mitigandi vim, & aut petiis aut ſpongiis applicari poſſunt. Sedata inflammatione, ſi exulceratio, aut puſtulæ eſſent, mundificari poſſent, Hydromel. ℔. ß. cui ℥ i i: ſucci apii cum ℥ i. pulu myrrhæ mixtæ eſſent. Habet enim hoc medicamentum ſingularem vim mundificandi, abſtergendiq;, & hoc genus exulcerationis pinguia auerſatur. Mũdificato loco ad conſolidantia leuia putarem eſſe deueniendũ, ex quibus vſitatũ eſt mitius, quod

℞ Aq. plantag.
roſar. an. ℔ ß.
Sief. ſine opio ℨ i i i.
Cortic. myrobal citrin. ℈ i i ß.
Camphoræ g̃. ii.

Diducuntur iſta in mortario diſſoluẽdo, & applicantur primo per ſyringam, poſt etiam petias. Eſt & aliud mihi conſolidatiuum, quod:

℞ Aq. roſar.
plantagin.
caudæ equin.
conſolid. maior. a. ℔. ß.
Pſidiar.
Balauſtior.
Nucum cupreſſi.
Myrobalan. citrin. an ℥ i ß

Contuſa coquantur, donec tertia pars cadat coctione, coletur, colaturę add.

Sief. ſine opio ℥ ii.
Sp. vnguenti de tutia ℈ i.
gummi arabic.
ſarcocollę,
thuris maſculi,
carab. an. ℥ ß.

f. aqua, quæ ſimili modo applicatur. Hæc tibi remedia vſitata communicare volui. Præſcribere enim curationis methodum, hoc eſſet noctuas Athenas, quod aiunt: & te loci affecti quotidianus aſpectus, quid agendum, & quid ſingulis diebus mutandum

dum erit, edocebit. Et ſcis certi quid præſcribi non poſſe à me abſente in his caſibus, cum hæc ægritudo, & curatu ſit difficilis per ſe, tum vero difficilior, quod mulieres præ pudore loca iſta non libenter oſtendant, & à mulierculis ſæpe Medici, dum non bene de affectione iudicāt, falluntur. Quare opera danda erit, vt ab ipſa matrona impetres, quod & ego aliquādo feci, vt affectum ſubinde cōſpicias. Conſpecto enim loco facilius curabis. Et hæc ſunt, quæ tibi in ſummis occupationibus, & perturbatione animi, quam ex graui ægritudine fratris cœpi, in præſentiarum reſpondere volui. Vale. Celerrimè, Dreſdæ 24. April. anno 1560.

CASPAR NEFIVS
MED. &c.

CONSIL. XXXVI.

In menſium retentione, & catalepſi ex epatis, venarumq́; oppilatione, pro quadam puella.

QVo morbo veſtra filia affligatur palum eſt, nempe, menſium retentione. Cauſa huius eſt, ipſa venarum obſtru-

ctio, id quod ex lotio deprehendere licet, eſt enim vrina ipſa omnino aquoſa, id eſt, alba, tenuis & cruda, & quę omnino caret contẽtis. Ipſa vero catalepſis, eſt ſymptoma ſuccedens ipſam epatis, & venarũ oppilationem. Hæc curari non poterit, niſi cauſa eius inprimis ſit oblata, nempe, niſi venarum obſtructio ſit, vt decet, reſerata, id eſt, niſi menſes, vt decet, recte fluere incipiãt. Quomodo autem hi prouocandi ſint, nunc paucis ſubiiciam. Principio loco aliquod pharmacum purgatorium per vnam horam ante cœnã exhibeatur, quo recremẽta circa primas vias, & in vẽtriculo exiſtentia detergantur & educantur, ne hac ę ſuccedente medicamento, vt vocãt, digeſtiuo, præcipitata intra venas, ipſa obſtructio & malum augeatur intendaturq;. Sint autem pillulæ hæ ſic concinnatæ:

℞ Pill. do hiera ſimplic. Gal. maſtich. agaric. troch. an. ℈ i-
f. pillulæ paulo maiores alephang. cum aq. betonicæ.

Deinde per dies tres aut quatuor in aurora bibat huius potionis ſequẽtis ℥ i i i ß

bene

bene calidæ, & maneat inde ieiuna per tres integras horas ad minimum. Hæc potio attenuabit, & diſſecabit craſſitiem & viſcoſitatem humoris obſtruentis venas:

℞ Syr. de duab. radicib.
mollis roſat colat. a. ℥ ii.
Oxymel. ſimpl. ℥ i ß.
Aq. betonic.
cichor.
hyſſopi a. ℥ iiii.

Miſc. & f. quatuor hauſtus, per quatuor dies mane ebibendi ieiuno ventriculo. Materia iã attenuata, & ad expulſionem præparata, purgetur ſic, vt ſequitur:

℞. Maſſ. pill. de hiera cum agaric.
de hiera comp. Gal. a. ℈ i.
benedict. ℈ ß.
diagr. gr. 1. ß.

Cum aq. pulegii f. pill. num. xxi. inuoluãtur in puluere cinnamom. ac macis, & deuorentur à ieiuna quatuor horis ante prãdium. Tãdem vtatur his rotulis per diem bis, mane ſcilicet horis tribus ante prandium & duabus horis ante cœnam. Pro vna vice accipiat numero tres, aut quatuor rotulas. Sequitur harum deſcriptio:

℞ Sp. diacelament. gal. omiſſo ſem. apii ℥ i.
Pul. cinnam. interior. ℈ i.
macis,
Caſſiæ lig. veræ,
Pulegii,
Croci.
Rad. pæoniæ,
Cardamom.
Margarit. præp. a. ℈ ß.
Sach. canari in aq. betonicæ diſſol. ℥ iiii.
f. conf. in rotulis, reponantur in ſcatulã. Incipiatur iſta curatio ad proximuũ diem Saturni & donec hiſce vtitur medicamẽtis, ſemper ſub noctem caput inungatur hoc vnguento:

℞ ol. maſtic. ℥ i.
myrtini ℥ ß.
Acatiæ ʒ iß,
Thuris ʒ ß.
Cum modico ceræ f. vnguentum.

Poſt vſum horum pharmacorũ abſtineat virgo ab omni medicamentorum vſu per duas hebdomadas, deinde repetantur à principio pharmaca ſuperius deſcripta. Sed loco digeſtiui, vt vocant, ſeu potionis conco-

concoctricis, hac decoctione ſequenti vtatur:

℞ Herb. hyſopi,
Pulegii, betonię
meliſſ.a.m.i.
Rad, peoniæ,
rubiæ tinct.a.ʒ iii.
Cortic. rad. cappar.ʒ ii.
Sem. fænicul.
dauci a.ʒ iii.

Florum omnium per horas ſeptem infuſio, & ad conſumpt. fere medietatis decoctio, vt remaneat ℔. i. ß. In colatura diſſolue:

Syr. byſantior.
de artemiſ. a. ℥ i ß.

Sacchari albi q. ſ. f. potio aromatiſata cum cinnam.el. ʒ ii & cardam. ʒ i. pręſentetur, vt decet, in aurora, & per quattuor dies bibatur. Dum vtetur autem hac potione, tum mane & veſperi venter etiam inungatur bene calide hoc linimento:

℞ ol. anethini,
chamæmel.
amygd. dulc.
cheirin.a. ℥ ß. Miſc

Et antequam vtatur rotulis, tum per duos dies mane aſſumat hanc ſequentem potiunculam, quæ:

℞ Theriac. And. veter. opt. ʒ i iß.
Aq. pulegii,
artemiſiæ an. ℥ i i i.

Miſc. probe, & diuidatur in duas partes, & quælibet pars ſeorſim præſentetur. Et epota hac potiuncula duobus elapſis diebus vtręq; ſaphenæ aperiãtur, & acumultum admodum extrahatur ſanguinis. Accedenti, catalepſi videlicet, quomodo etiam ſuccurendũ ſit, nunc ſequitur. Caput ſub noctem inungatur vnguento ſuperius præſcripto, deinde ſtatim infra genu deligetur crus ſplenio hoc ſequẽti vng. illito:

℞ Ol. myrtin.
roſacei an. ʒ vi.
ſcorpion. ʒ i i i.
Theriac. And. opt. ʒ i ß.
Sem. & rad. pæon. an. ℈ i i.
Pull. gallar. cupreſſ.
Cimini parum torrefact. a. ʒ i.
Maſtich.
Fol plantagin.
Sem. carui, fenicul. an. ʒ ß.

Cum modico ceræ f. vnguentum. Veſicatoria etiam circa talos in vtroq; latere adhibeantur, confecta ex cantharidibus, fermento & aceto. Si his nihil efficiemus. fortiora adhibeãtur, & præſertim hoc: ℞ Scillæ nón aſſatæ ℥ i.
Sem. vrticæ,
ſinapi. a. ʒ iii.
Contuſa ſcilla, & admixtis reliquis, f. cataplaſma, & inducatur panno lineo, ac plãtis pedum admoueatur. Interdum etiam refert in crure aliquot cucurbitulas tres aut quinque abſq; ſcarificatione affigere. Ad poſtremum ſi res nõ ſuccedat, ad fontanellas confugiendum eſt.

Iohannes Sigismvndvs, Scwidnicens. Med. &c.

CONSIL. XXXVIII.

In febri quartana, & epilepſia, pro quadam puellula quatuor annorum.

Clariss. atq; excellẽtiſſ. dd. Doctores, domini & amici reuerenter colendi. Cum doctrinam & peritiã veſtrã venerer, eamq; plurimi faciam, lubentius ab E. V. conſilium, quam aliunde peto

Et antequam vtatur rotulis, tum per duos dies mane aſſumat hanc ſequentem potiunculam, quæ:

℞ Theriac. And. veter. opt. ʒ i iß.
Aq. pulegii,
artemiſiæ an. ℥ i i i.

Miſc. probe, & diuidatur in duas partes, & quælibet pars ſeorſim præſentetur. Et epota hac potiuncula duobus elapſis diebus vtreq; ſaphenæ aperiãtur, & acumultum admodum extrahatur ſanguinis. Accedenti, catalepſi videlicet, quomodo etiam ſuccurendũ ſit, nunc ſequitur. Caput ſub noctem inungatur vnguento ſuperius præſcripto, deinde ſtatim infra genu deligetur crus ſplenio hoc ſequẽti vng. illito:

℞ Ol. myrtin.
roſacei an. ʒ v i.
ſcorpion. ʒ i i i.
Theriac. And. opt. ʒ i ß.
Sem. & rad. pæon. an. ℈ i i.
Pull. gallar. cupreſſ.
Cimini parum torrefact. a. ʒ i.
Maſtich.
Fol plantagin.
Sem. carui, fenicul. an. ʒ ß.

Cum modico ceræ f. vnguentum. Veſicatoria etiam circa talos in vtroq; latere adhibeantur, confecta ex cantharidibus, fermento & aceto. Si his nihil efficiemus. fortiora adhibeãtur, & præſertim hoc: ℞ Scillæ nón aſſatæ ℥ i.

Sem. vrticæ,

ſinapi. a. ʒ iii.

Contuſa ſcilla, & admixtis reliquis, f. cataplaſma, & inducatur panno lineo, ac plãtis pedum admoueatur. Interdum etiam refert in crure aliquot cucurbitulas tres aut quinque abſq; ſcarificatione affigere. Ad poſtremum ſi res nõ ſuccedat, ad fontanellas confugiendum eſt.

IOHANNES SIGISMVNDVS, SCWIDNICENS. MED. &c.

CONSIL. XXXVIII.

In febri quartana, & epilepſia, pro quadam puellula quatuor annorum.

CLARISS. atq; excellẽtiſſ. dd. Doctores, domini & amici reuerenter colendi. Cum doctrinam & peritiã veſtrã venerer, eamq; plurimi faciam, lubentius ab E. V. conſilium, quam aliunde peto

Fui igitur nunc autor & hortator generoſo & magnifico domino, vt in morbo ſuæ filiolæ, quam quidem habet vnicam, atq; ideo occaſiones periculorum qualeſcunque grauius formidat, potiſſimum E. V. ſciſcitaretur ſententiam, & de commoda medicatione veſtrum exquireret conſilium. Oro autem reuerenter vt E. V. hac in re magnifico huic domino non grauatim obſequãtur, & nos in hoc caſu, quod omnino futurum ſperamus, benigne erudiant. Ego quidem qua potero perſpicuitate omnem rei Hiſtoriam, quæ etiam mea fuerit, & deinceps ſit ſententia breuiter exponam, vt inde E. V. certi quid ſtatuere poſſint. Alter nunc agitur mẽſis, ex quo puellula annum ætatis quartum ingreſſa eſt, eiuſq; conſtitutio eſt humida. Habitus hactenus fuit valde gracilis & imbecillis. Color faciei & cutis obſcurior declinans ad colorem luteum. Caro non valde mollis vel laxa, ſed ferme mediocris conſiſtentiæ, caput mediocre, aut ferme magnum, præditum magis copioſa carne, quam reliquæ corporis partes. Muſculi corporis ita graciles & imbecilles, vt hactenus,

tenus præſertim cum morbis continuis affligeretur, ſola ambulare nequiuerit. Reliquæ tamen facultates animales ſatis vegetæ, diſcurrit, meminit pro ratione ætatis. eſt & exquiſiti ſenſus, verum verba articulata nondum multa loquitur, niſi cõmuniſſima. Inde ratiocinor cerebri tẽperaturam humidam quidem primo, idemque nonnihil ad quandam declinare frigiditatem, quamuis non magnam. Nam & ſomni, quamuis ſatis multi ſunt, non tamen nec profundi, nec valde longi. Epar etiam à mediocri temperamento ad caliditatẽ, & ſimul nõnihil ad quandam declinare ſiccitatẽ indicio ſunt color & cutis, & alia, atque quod ipſa ex leui occaſione ſubinde febri corripitur. Ventriculus omnino infirmus eſt. Nam præſtantiſſima ipſius mater tempore geſtationis infantis in vtero, & poſtea tempore lactationis ſæpe grauiſſimis affectionibus vteri & ventriculi affligebatur, & deinde acceſſerunt errores in educatione grauiſſimi. Nam etiam nunc cum ægrotaret, familia infantem omnis generis cibis, iiſq; craſſiſſimis, & deterrimi ſucci, ad nauſeã

vſque expleuit, & ſimul ſecundo ætatis anno ex loco aridiori tranſlata eſt in loca paluſtria & vicina flumini. Stante iſta membrorum inæqualitate & educatione negligente, coaceruata eſt quidem humorum prauorum copia non exigua, partim quidem pituitoſorum, partim à calore epatis aduſtorum. (Nam perpetuò duplex hoc excrementum copioſe ſolet apparere in vrinis.) Tempore autumni anni ſuperioris infans correpta eſt febri quartana, & quidem multos menſes ferme nihil ex ratione actum, tandem ſub finem hyemis ego accerſitus, ex arte quæ videbantur adhibui, neque multo poſt febris deſiit, atque etiam fluxus ſanguinis narium, qui tota hyeme frequenter recurrerat, intermiſit. Sed cum delicta in victu poſtea non emendarentur, nunquam integræ reſtituta eſt valetudini. Nam & hypochondria, quoties ego eã aſpexi, tenſa erant, & inprimis in regione lienis obſtructiones graues, neq; corpus alebatur. Itaque ſub medium veris rurſus correpta eſt febri tertiana, & meo iudicio, duplici. Sed & ea poſt paucos dies ſu-
perata

perata eſt. Interea vero inde vſque à tempore verno per interualla alio quoq; correpta eſt ſymptomate,. atque hoc eſt, de quo præcipue expetitur E. V. conſilium Accidit enim infanti quidam vniuerſi corporis ſpaſmus, interdum leuior, interdum grauior, nunquam tamen valde ſæuus, neque diuturnus. Ego cum interrogor quale nam ſit morbi genus, vt ipſis parentibus magno alioqui metu conſternatis dolorem leniam, ſoleo dicere, quid ſimile eſſe epilepſiæ, non tamen epilepſiam veram. Etſi autem puto nec E V. tales deceptiones officioſas, Galeno & aliis vſitatas, reprehendere, tamen etiam huius meæ appellationis veras habeo cauſas. Omnino enim iudico, non eſſe epilepſiam per eſſentiam, ſed ex conſenſu, ventriculi inprimis, & partium vicinarum, cuius rei hæc ſunt indicia. Nã prout magis vel minus, in ratione victus peccatur. eo vel ſæpius vel rarius morbus puellam inuadit, & ante acceſſionem manifeſte præſentitur paroxyſmus, non ſolum oſcitatione, & ſimilibus ſignis, verumetiam quadam non obſcura καρδιαλγία, & ſimul perpetuo

Spaſmus vniuerſalis in infante.

tempore aſcendunt prius ructus acidi, & mire fœtidi. Poſt paroxyſmum etiã, præſertim nunc, excernitur lotium craſſum cum copioſo pituitoſo ſedimento & exuſto. Subinde quidem præterita hac æſtate quædam adhibita ſunt auxilia pro diuerſione vaporum à cerebro, humorum paccantium vacuatione, cerebri exiccatione, & ventriculi corroboratione. Sed cũ paroxyſmi non eſſent vehementes, negligentius omnia adminiſtrata ſunt, præſertim cum puella tunc cum parentibus non eſſet, & delicta in victu nihil emendata ſunt. Sub medium vero hyemis circa ipſam brumam, cum infans in aliam arcem transferretur curru, cœpit habere deterius. Ibi cum denuo vocarer, paroxyſmum epilepticum quidem nullum vidi, ſed cum priore die eo afflicta eſſet, lãguebat, cum leui quadam febricula, cibi faſtidio, ructibus fœtidis, & ſtomachi aliquo dolore. Poſteaquam autem aluus ex electuario lenitiuo, quod quidem nunquam tranſcẽdi, moderate ſubducta eſt, cibum accepit, & corporata eſt. Ibi cum errata in victu ſtudio acri redarguerẽtur, & lon-

go ſcripto ordinem viuendi exponerem, promiſerunt deinceps curatrices infantis maiorem eſſe adhibituras diligētiam. Victum autem probaui moderate attenuantem, quantitate & qualitate, atque vt ſæpius, parumque illi daretur, mandaui. Ordinem etiam ſomni, exercitiorum & excretionum, eum qui cōuenire videbatur, inſtitui. Hac quidem ratione cum infans gubernaretur, habitus corporis manifeſte reſumi viſus eſt, & color faciei apparere viuidior. Sed die 14 poſt proximam inuaſionem circa nouilunium, denuo paroxyſmus epilepticus eam inuaſit, & is bis terue eodem die repetiit, ſed ita vt neque diu duraret, & infans bene videretur tolerare. Rurſus deinde quieuit, donec die 10 poſt alia ſuperuenit acceſſio, eoq; quater eodem die ſatis magna cū vehementia recurrente, ſed ita vt infans primum videretur paulum rigere, demum corripi calore extraneo deſinente in ſudorem. Quarto ab hac die ſerius rurſus obſcurus quidam rigor inuaſit, & cū ea parua quædam cerebri turbatio, cum ea calor quidam febrilis, & vniuerſi corporis copio-

ſus ſudor, atque iſta quartanæ cuiuſdam leuis acceſſio bis terue iam repetiit, ſine vlla epilepſiæ ſignificatione. Interea corpuſculum in ſudorem valde promptum eſt, tuſſicula etiam quædam exorta eſt, vlcus manans circa aurem ſponte ortum, & eruperunt achores capitis, tamen non multi. In vrina interea ſigna manifeſta coctionis, color optimus, in fundo reſidet tamen adhuc quid pituitoſum & exuſtũ. Ipſa puella melioris coloris, quam vnquam antea, alacris etiam eſt, bene habet ſe ad oblata, & recte dormit. Talis quidem nunc rei ſtatus eſt. Quærit autem magnificus dominus, quid ſpei ſit in poſterum, & quid ſi morbus hic recurreret, factu opus ſit. Ego quidem clariſſ. viri ex omnibus ſignis bene ſpero, & exiſtimo naturam nunc in moliendis euacuationibus criticis occupatam. Atque etſi puella hæc nunquã, cum fundamenta non bona ſint, valde ſecura viuere poterit: tamẽ ope diuina & eam ſuperſtitem eſſe, & meliori in ſtatu vitam degere poſſe arbitror. Rationem autẽ medicationis, ſicut cœpi, inprimis ad cõmodam diætam reuocarẽ,

deinde

deinde ſi aliquid videretur reſidui, vnde recidiuà appareret, ego quidem ſumpta indicatione, præcipue à cauſa morbi, quæ vrget, & reſpiciendo ad virtutem & ætatem puellæ, eligerem lenia & idonea auxilia. Pro abſterſione igitur viſcerum nũc quidem vterer ſyrupo quodã, quem hic ad caſus eiuſmodi ex ſuccis betæ, mercurialis, maluę & parietarię parari curo, cui interdum aliquid ex oxymelle ſcillitico miſcerem, aut nonnumquã exiguã quantitatem electuarii lenitiui offerrem. Summe etiam laudarem cõfectionem ex turbith cum rhabarbaro, & ſimiles quæcũq; pituitam primo, deinde humores calidiores & aduſtos reſpiciunt. Viſceribus robur adderem cõſeruis ex roſis, betonica, aut electuario de pæonia, quibus parum quidem ex ſpeciebus diarrhod. miſcerem. Vſurparẽ in hunc vſum exterius fomẽta, iniunctiones & ſimilia. Epar ſi præter modũ calere videretur, fomentis non tangerem, ſed interim vnguento roſaceo Meſ. modeſte refrigerarem. Capiti etiã quantum in iſta ætate fieri poteſt prouiderem. Primum quidẽ diuerſionibus, lotionibus

crurum frictionibus aſperioribus, deinde moderate vacuantibus. Poſterius errhyna leuiora naribus inſtillarem. Caput ex decocto herbarum moderate detergentium cum agarico abluerem. Comiſſuræ coronali puluiſculos exiccantes inſpergerem. Denique frictiones cutis cũ oleo amygd.amar. cum aliqua quantitate nitri ortum achorum iuuarem, & alia ſimilia auxilia excogitarem. Medicamenti excitãtis canterium vel veſicam, etſi ſummopere probarem, mentionem facere nõ poſſum, quia non admittetur. Atque hæc quidem ferme ſunt, quæ E. V. exponere volebã, atq; omnes has meas cogitationes iudicio E. V. reuerenter ſubiicio, petoq; vt re deliberata ſtatuatis quod rectiſſimum videbitur. Illud vt neceſſaria cum cura & induſtria adminiſtretur, ego quidem quantum præſtare potero operam dabo. Oro autem æternum Deum, naturæ conditorem, & artis noſtræ moderatorem & ducem, vt ipſe conſiliis noſtris ſecundos tribuat euentus, & E.V in florenti curſu vitæ diutiſſime incolumes ſeruet. Bene & feliciter valete, viri clariſſimi.

mi. Beneuolentiæ veſtræ me commēdo reuerenter. Glogouiæ 15 Ianuar. an. 1563.

Ioachimvs Cvræus,
Physicvs Glogovien. &c.

Finis *libri III Conſiliorum Medicinalium.*

SEQVVNTVR EPISTOLÆ MEDICINALES.

MAGNIFICVS DN. ANDREAS Dudith ab HoreKouiza, Conſil. & Orator Cæſar. &c. Clariſſimo viro Dn. D. Wenceslao Raphano Vratisl. Phyſico Oppauienſi, S.D.

Miraris fortaſſe, cur ad te non redierit is, qui tuum tantopere expetebat & conſilium & operam. Cognoſco cauſam. Deterritus mercede, quam cum pharmacopæo poſtulabatis, Teſſinū proficiſcitur. ibi in chirurgum, qui lapides è veſicis exſecare ſolet, incidit, certam, vt ſolent, ſalutem, non magno precio, ven-

dentem. Itaque illius ſe vanitati, vt ego ominor, totum tradit. Quem res exitum habitura ſit, audiemus paulò poſt. Ego vereor, ne imprudentiæ ſuæ pœnas det ſimul & auaritiæ. Sic ſolent plærumque qui compendia quærunt, magna diſpendia referre. Sed valeat ille, & ſuo cōſilio fruatur, quādoquidem noſtro parere noluit. Hæc ſcripſi, non tam vt ſcires quid conſilii ceperit is, qui iam meus eſſe deſiit œconomus, quàm vt, cùm te ſalutare decreuiſſem, longiorem ad te darem epiſtolam. quamuis tu fortaſſe æquiore animo inanibus hiſce literis meis carere poſſes. ſed ignoſce mihi, non poſſum pati, vt nuper admodum tam feliciter inita inter nos amicitia ſilentio elangueſcat, quā equidem vigere, & mutuis inter nos officiis augere in primis opto. Neſcio quàm ſis occupatus, hoc præſertim tēpore, quo variis morbis vulgus infeſtatur, ſed ſi tantum eſt otii tibi, vt libeat animi cauſa, ad me excurrere, eris mihi gratiſſimus & expectatiſſimus hoſpes. Si piſcatione delectaris, dabo operam, vt ſi alia omnia, certè id apud me deſideraturus non ſis. Mittum

tam ſi voles, & cum voles, currum & equos. Si Puteanũ habes de medicamentorum purgantium facultatibus, rogo te, vt eius vſum, ad aliquot dies, mihi accõmodes. Legi non ita pridem Thomæ Eraſti, docti viri, eadem de re librum. cuius ſi valere ſententia debet, omnem profectò funditus, vt mihi quidẽ videtur, medicinam tolli neceſſe fuerit. Nam vt alia omittã, ſi nulla ſunt κεφαλικά, nulla ἠπατικά, nulla καρδιακά, & aliis membris accommodata, propriaque, & vt vulgo vocant, appropriata pharmaca, ſed ſola vellicatione, aut acrimonia, aut etiam ipſa ciborum copia, facultas expultrix incitata, noxia quæuis propellit, & excernit; quid iam opus eſt amplius doctrina illa de alim. fac. de medic. comp. de morborum denique differentiis? Vnũ aliquod, quale quale illud ſit medicamentum omnibus humoribus educendis, atque adeò omnibus morbis propellendis ſuffecerit. Puto te librum legiſſe. Quare non ero longior. Cupio tamen tuum de eo iudicium audire, tum de antimonio, & aliis Theophraſticis pharmaciis. Video multum illis tri-

Eraſti ſententia de medicamentorum propriis facultatibus.

Contra Eraſtum.

De Theophraſticis.

bui à multis,& ſi vera mihi narrantur, curant magnos morbos ciniflones illi, & vt ille inquit, argenti extenebronides. Verum faciunt id & vetulæ ſæpe, vt triumphare iam cõtra rationales empirici poſſe videantur. Equidem, vt hoc quoque addam, vidi proximè præterita æſtate moleſtam ſcabiem (de qua curanda multa & varia, & longa quædam, veſtri præcipiunt) vnguento, quod hic quidam parat, depulſam eſſe quatriduo; nulla vel ætatis, vel ſexus, vel temperamenti habita ratione. priuigna mea 14 an. nata, ego 43, & alii diuerſæ ætatis, & complexionis, eodem vnguento, eodem modo adminiſtrato, ſine vlla moleſtia, conualuimus. Quid dices? alii etiam ſua ſponte conualeſcunt, tum ex hoc, tum ex aliis magnis morbis, nullius ope. Quare venit mihi in mentem illius dilemmatis, Omnis morbus aut in vitam, aut mortem deſinit. Vtroque igitur modo medicina inutilis eſt, cui affinis eſt & illa quæſtio, de vitæ termino. Sed deſino plura nunc garrire. Orote, ſi quem vſquã noſti bonum & modeſtum virum, Græcis, Latiniſque literis erudi-

Vnguentum ſcabiem curans.

Omnis morb. aut in vitã aut mortem deſinit

eruditum,& philoſophiæ inprimis ac medicinæ ſtudioſum, qui mecũ in hoc otio, & ſolitudine viuere aliquãdiu velit, eius vt mihi operam conducas. Liberaliter & iucundè hominem tractabimus. Fieri vix poteſt, vt nõ multos habeas notos, qui talẽ hoſpitem quærunt. Filium meũ illi inſtituendum traderem. Vale & amori meo ignoſce, cui hæc omnia adſcribas velim. Paſcow. *17* Septemb. anno *1577.*

ANDREAS DVDITH AB HOREKO-
uiza &c. Wenslao Raphano
Med.S.D.

REPENTINVS boni huius viri, qui has reddet, diſceſſus, breuiorem me facit. remitto per eum omnia, quæ mihi miſeras, præter kolreuterum de vrinis, virum vt video, eruditum, & iudicio minimè ſuperſtitioſo præditum. Vtinam exiſtat aliquis, qui ſimilem laborem de pulſibus ſuſcipiat. in quibus ipſis quoque nõ dubito magnam eſſe inter Medicos ſuperſtitionem. Auſim etiam dicere tot differentias, quot deſcribũtur, à Galeno præſertim, neque intelligi à quoquam, neque *De pulſibus medicorum ſuperſtitio.*

r 3.

obſeruari poſſe. dicerem quiddam magis etiam παράδοξον, ſed nolo vos offendere, ne ſi quis caſus incidat, operam nobis veſtram denegetis; hocque modo iniuriã veſtram vlciſcamini. taceo igitur; præſertim quod iam caſus quidam aduerſus cauſam mihi adfert, vt conſilium atque opẽ tuam implorem. quod mihi, vt communicare quamprimũ ne grauere, per humanitatem tuã, te oro. Filiolus meus anniculus, heri è mẽſa, in qua iacebat, deſertus à vagabunda nutricula, in ſcamnum decidit; poſt in terram. vulnus accepit in ſuperiore linguæ parte, quæ palatum reſpicit, ſatis profundum; vt duo piſa minora capere poſſit, iuxta ſe poſita, non ſuper impoſita, vt hinc etiam latitu dinem intelligas. habet dentes ſuos ſuperiores, totidem inferiores. ex inferiori linguæ parte nullum vulnus apparet, quod mirum videatur, cùm mentum contuſum ſit aliquantulum & ſanguine ſuffuſum; vt appareat ſuperioribus dentibus inciſam linguã prope apicem, vnius digiti interuallo. Quid iubes nos facere? difficile eſt infanti medicinam adhibere, eo loco præſertim. Cenſesne

Lapſus pueri.

Vulnus in lingua ex caſu.

ſesne illinendā ei linguam melle deſpumato? Putasne ex hoc vulnere periculum fore, ne vitioſe pronunciet? Conſule in medium mi D. Doctor. Vereor ne ſuppuretur. Iam non ſugit. ablactatus eſt enim iam ab vno menſe & amplius. De ſomno theſes Eraſti expecto, & ſiquid eiuſmodi aliud habes. Valeat Ex. V. meque amet, reſcribat, & amicos ſalutet, etſi ignotos. Paſcowia, 29 Octob. anno 1577.

ANDREAS DVDITH AB HOREKOuiza &c. *Wenceslao Raphano Med. S. D.*

NON licuit citius reſpondere. Illuſtris D. Zborouicus Cæſaris pocillator, affinis meus, aliquot dies me detinuit, Cum hoc igitur hoſpite meo totos dies conſumere neceſſe fuit. Poſt, multis literis reſpondendum fuit in varias regiones. tandem in legendis curſim epiſtolis Geſneri, quas Vienna accepi, aliquot dies poſui, hoc animo, vt eas ſimul atque percurriſſem, tecum quoque communicarem, vt minus mihi de tam diuturno ſilentio ſuccenſeres. Vt ingenuè dicam, *De Geſneri epiſtolis.*

feſellit expectationem meam. Iucunda quidem curoſis lectio eſt; ſed non video an ſit operæ precium. De quo tu rectius judicabis. Maluiſſem de re herbaria commentarium hominis docti, & diligentis, edidiſſet Wolfius; ſed, vt video, promiſſis tantum nos lactauit, in vita Geſneri, & nunc ſpem ferè omnem adimit. quod tu ex eius epiſtola, quam Aconito præpoſuit, facilè intelliges. Dolendum eſt optimi illius viri labores tantos, tamque vtiles, in tenebris detineri. Sed deeſt ſcilicet Mæcenas. Sed de his aliàs. Spero iam te oculis benè vti; quibus nimiæ vigiliæ obfuerunt, opinor. Vngue paſſim notaui margines Geſneri: rogo te, vt omnia illa loca punctulis notes, ne mihi totus denuò liber euoluendus ſit, cum fortè quæram aliquid, vt fit. Nam vnguium notæ citò deterentur, præſertim ſi liber compingatur, quod vt fieri cures à te peto. Rogo D. Thomam noſtrum, vt ſi ita tibi videatur pro filiolæ meæ morbo, quem paulo poſt deſcribam mittat electi Rhabarbari quantum iudicabis neceſſariũ eſſe. puella, eſt ſeptimum agens annum. macre-

Geſnerus de re herbaria.

ſcit

ſcit admodum, ſcabie nunquam liberum corpuſculum habet. cutis ferè ſcabroſa, & ſicca eſt, colore ad fuſcedinẽ tendente, decolore, imò pallida facie ſemper. febricula ſub noctem ſæpè affligitur, ſine magna ſiti. à phthiſi timeo, vel etiam ab hydrope. Video enim epar non fungi officio. Cogitabã Rhabarbari puluerem ex panniculo lineo ſuſpẽdere in poculo, ex quo cereuiſiam haurit, aut etiam in infuſione ei propinare. rogo, vt in medium aliquid conſulas, & præſcribas quid facto opus eſſe iudices. Filiolus cõualuerat antequam quicquam eorũ, quæ miſiſti adhiberemus. pus in lingua concretũ continua ſuctione ipſe emundauit ſibi. iam ſanus eſt, niſi quod vulnus non coaluit totum. Fortaſſe nunquam continuabitur hæc continui ſolutio. Mittat mihi D. Thomas vnam atque alteram nucem vomicam, ad inutiles, & noxios quoſdam canes necandos. de quo etiam legi in Geſnero. Sed doſeos oblitus ſum, nec quærere vacat, rogo annota, vnà cũ modo exhibendi. Mechiocani radix Venetiis ad me allata, iam carioſa erat. filiolo

Nux vomica ad canes necandos.

tamen meo, quintum tum ānum agenti, grauiſſime febricitanti, & aluum adſtrictam habenti dedi. Conualuit tertio poſt die. nēſcio an huic medicamento id tribuendum ſit, an naturæ ſimpliciter, quæ ipſa ſanat morbos, an quod fortè iam ad exitum peruenerat febris. Lobelii verba

Mechoaca. de Mechoacan radice ſic habent, Fallũtur qui putant Bryoniam eſſe hanc atque illi, qui laurũ cinamomum, & ſmilacem aſperam ſalſam parillam, aliaſque complures exoticas eaſdem ſpecie cum noſtratibns faciunt. Hanc mittit inſula omnium, quæ noſtræ ætati in occiduis inſulis innotuerunt, auro, pecore, ſtirpibus ditiſſima Mechoacam vocata, cui radicē cognominem fecerunt Indi, vſumq; docuerunt Hiſpanos, primum ferè 20 abhinc annis, à quibus accepimus. quarum drachmæ puluiſculo ſolo, ſed ex vino albo, aut iuſculo propinato, commodiſſimè qualibet die, hora & ætate, nulla moleſtia, aut incommodo, quinquies, ſexies aut ſepties, flauas hydropicorum aquas eductas, pituitasq; quaſuis comperimus. Hanc non viſam, qui cupit noſſe, intuea-

tur

tur Bryoniæ radicem. ſunt enim concolores cortice, rugis, & ferè magnitudine; ſed huius taleolę, fruſtave rotūda tranſuerſim ſecta, ſiccandi cauſa, intus multis circulis à centro ad ambitum parallelis, diſtinguuntur, mandendo ſapore farinaceo, nec acri, odoreque neutiquam ingrato eſt: cæterum albida & friabilis, vt bryonia, cui ſimilem faciunt ſarmentis pedamenta ſcandentibus & racemis. Folia atro virentia, rotunda, perennia, Nympheæ ferè, & pariter ſupernè parum acuta. Mitto tibi commentarium Marcelli de eadem radice. Vtinam Kolreuterum de arthritide nanciſcamur. Vale. 21 Nouemb. anno 1577.

Andreas Dudith ab Horekouiza &c. *Wenceslao Raphano Med. S. D.*

Esto ſane. faceſſant poſthac excuſationes, & ſileant in literis noſtris culpæ deprecationes, quoties alter alterius operam requiret. Sed tamen ego hac in parte frequentior ero. humanitas tua animum addet, vereor, ne minus etiam pu-

dentem efficiat. de quo nõ dicam plura, ne in eos ſcopulos deferar, quos me paulo ante fugere velle oſtendi. Iucunda mihi fuit admodum Bibliothecæ tuæ inſpectio. Video te bonis libris abundare. quod ipſum iudicii, & doctrinæ elegantis documentum eſt. quod non equidem propterea dico, vt eadem me laude quaſi remunereris, cùm meorũ quoq; librorum indicem videbis. Illud enim in me quadrat; quod tu in ipſo limine, ex Plutarcho, poſuiſti: ὄργανον τῆς παιδείας οὐ κτῆσις, ἀλλ' ἡ χρῆσις, τῶν βιβλίων ἐστί. Mitto igitur tibi meum catalogũ, qui copioſior eſſet, ſi ferre ſcribẽdi laborem poſſem. malo legere. Remitto omnia, quæ mihi vtenda, pro tua humanitate dederas, præter Galenum de humoribus, quem intra paucos dies accipies. quantum equidem iudicare potui, vix reſpondet titulus hic argumẽto. niſi quis omnium morborum cauſas ad humores referat. Quod ſi valere debet, quid prohibet, quin omnes & huius, & Hippocratis libri de humoribus inſcribantur? ſed ſutor vltra crepidam. Vulnus in lingua infantis ſanatum quidem

Liber de humoribus.

eſt,

eſt, ſed non coaluit, neque vnquam amplius coaleſcet: ſed erit perpetua ſolutio continui. Vereor ne noceat loquelæ, aut certè pronunciationi. Vale, meque mutuo ama, & amicos noſtros ſaluta. Paſcouia, 26 Decemb. anno 1577.

ANDREAS DVDITH AB HOREKOuiza &c. *Wenceslao Raphano Med. S. D.*

BEASTI me iſtis tuis manuſcriptis libris. miratus ſum diligentiam, & ſanè non mediocres labores. gratias ago de tam inſigni humanitate & beneuolentia. retinui lectiones Italicas, cum Galeno de humoribus, reliquos omnes remiſi. Si pateris, & carere potes his ſcriptis, oro te, ſint apud me, dum earum maximam partem perlego. exſcribam etiam aliqua, niſi tibi aduerſum id fuerit. Quod ſi etiam noles, remittam ſtatim, ſimul atque mihi voluntatem tuã ſignificaueris. Scripſi abhinc triduum Patauium cuidam Mercurialis diſcipulo, Bernhardo Paludano, Belgæ, vt mihi omnium Doctorum ibi lectiones colligat. Mortuus eſt non

dentem. Itaque illius ſe vanitati, vt ego ominor, totum tradit. Quem res exitum habitura ſit, audiemus paulò poſt. Ego vereor, ne imprudentiæ ſuæ pœnas det ſimul & auaritiæ. Sic ſolent plærumque qui compendia quærunt, magna diſpendia referre. Sed valeat ille, & ſuo cõſilio fruatur, quãdoquidem noſtro parere noluit. Hæc ſcripſi, non tam vt ſcires quid conſilii ceperit is, qui iam meus eſſe deſiit œconomus, quàm vt, cùm te ſalutare decreuiſſem, longiorem ad te darem epiſtolam. quamuis tu fortaſſe æquiore animo inanibus hiſce literis meis carere poſſes. ſed ignoſce mihi, non poſſum pati, vt nuper admodum tam feliciter inita inter nos amicitia ſilentio elangueſcat, quã equidem vigere, & mutuis inter nos officiis augere in primis opto. Neſcio quàm ſis occupatus, hoc præſertim tẽpore, quo variis morbis vulgus infeſtatur, ſed ſi tantum eſt otii tibi, vt libeat animi cauſa, ad me excurrere, eris mihi gratiſſimus & expectatiſſimus hoſpes. Si piſcatione delectaris, dabo operam, vt ſi alia omnia, certè id apud me deſideraturus non ſis. Mittum

tam ſi voles, & cum voles, currum & equos. Si Puteanũ habes de medicamentorum purgantium facultatibus, rogo te, vt eius vſum, ad aliquot dies, mihi accõmodes. Legi non ita pridem Thomæ Eraſti, docti viri, eadem de re librum. cuius ſi valere ſententia debet, omnem profectò funditus, vt mihi quidẽ videtur, medicinam tolli neceſſe fuerit. Nam vt alia omittã, ſi nulla ſunt κεφαλικά, nulla ἠπατικά, nulla καρδιακά, & aliis membris accommodata, propriaque, & vt vulgo vocant, appropriata pharmaca, ſed ſola vellicatione, aut acrimonia, aut etiam ipſa ciborum copia, facultas expultrix incitata, noxia quæuis propellit, & excernit; quid iam opus eſt amplius doctrina illa de alim. fac. de medic. comp. de morborum denique differentiis? Vnũ aliquod, quale quale illud ſit medicamentum omnibus humoribus educendis, atque adeò omnibus morbis propellendis ſuffecerit. Puto te librum legiſſe. Quare non ero longior. Cupio tamen tuum de eo iudicium audire, tum de antimonio, & aliis Theophraſticis pharmaciis. Video multum illis tri-

Eraſti ſententia de medicamentorum propriis facultatibus.

Contra Eraſtum.

De Theophraſticis.

bui à multis,& ſi vera mihi narrantur, curant magnos morbos ciniflones illi, & vt ille inquit, argenti extenebronides. Verum faciunt id & vetulæ ſæpe, vt triumphare iam cõtra rationales empirici poſſe videantur. Equidem, vt hoc quoque addam, vidi proximè præterita æſtate moleſtam ſcabiem (de qua curanda multa & varia, & longa quædam, veſtri præcipiunt) vnguento, quod hic quidam parat, depulſam eſſe quatriduo; nulla vel ætatis, vel ſexus, vel temperamenti habita ratione. priuigna mea *14* an. nata, ego *43*, & alii diuerſæ ætatis, & complexionis, eodem vnguento, eodem modo adminiſtrato, ſine vlla moleſtia, conualuimus. Quid dices? alii etiam ſua ſponte conualeſcunt, tum ex hoc, tum ex aliis magnis morbis, nullius ope. Quare venit mihi in mentem illius dilemmatis, Omnis morbus aut in vitam, aut mortem deſinit. Vtroque igitur modo medicina inutilis eſt, cui affinis eſt & illa quæſtio, de vitæ termino. Sed deſino plura nunc garrire. Oro te, ſi quem vſquã noſti bonum & modeſtum virum, Græcis, Latinisque literis erudi-

Vnguentum ſcabiem curans.

Omnis morb. aut in vitã aut mortem deſinit

eruditum,& philoſophiæ inprimis ac medicinæ ſtudioſum, qui mecũ in hoc otio, & ſolitudine viuere aliquãdiu velit, eius vt mihi operam conducas. Liberaliter & iucundè hominem tractabimus. Fieri vix poteſt, vt nõ multos habeas notos, qui talẽ hóſpitem quærunt. Filium meũ illi inſtituendum traderem. Vale & amori meo ignoſce, cui hæc omnia adſcribas velim. Paſcow. *17* Septemb. anno *1577.*

Andreas Dudith ab Horekouiza *&c.* *Wenslao Raphano Med. S. D.*

Repentinus boni huius viri, qui has reddet, diſceſſus, breuiorem me facit. remitto per eum omnia, quæ mihi miſeras, præter kolreuterum de vrinis, virum vt video, eruditum, & iudicio minimè ſuperſtitioſo præditum. Vtinam exiſtat aliquis, qui ſimilem laborem de pulſibus ſuſcipiat. in quibus ipſis quoque nõ dubito magnam eſſe inter Medicos ſuperſtitionem. Auſim etiam dicere tot differentias, quot deſcribũtur, à Galeno pręſertim, neque intelligi à quoquam, neque *De pulſibus medicorum ſuperſtitio.*

obſeruari poſſe. dicerem quiddam magis etiam παράδοξον, ſed nolo vos offendere, ne ſi quis caſus incidat, operam nobis veſtram denegetis; hocque modo iniuriã veſtram vlciſcamini. taceo igitur; præſertim quod iam caſus quidam aduerſus cauſam mihi adfert, vt conſilium atque opẽ tuam implorem. quod mihi, vt communicare quamprimũ negrauere, per humanitatem tuã, te oro. Filiolus meus anniculus, heri è mẽſa, in qua iacebat, deſertus à vagabunda nutricula, in ſcamnum decidit: poſt in terram. vulnus accepit inſuperiore linguæ parte, quæ palatum reſpicit, ſatis profundum; vt duo piſa minora capere poſſit, iuxta ſe poſita, non ſuper impoſita, vt hinc etiam latitu dinem intelligas. habet dentes ſuos ſuperiores, totidem inferiores. ex inferiori linguæ parte nullum vulnus apparet, quod mirum videatur, cùm mentum contuſum ſit aliquantulum & ſanguine ſuffuſum; vt appareat ſuperioribus dentibus inciſam linguã prope apicem, vnius digiti interuallo. Quid iubes nos facere? difficile eſt infanti medicinam adhibere, eo loco præſertim. Cenſesne

Lapſus pueri.

Vulnus in lingua ex caſu.

ſesne illinendā ei linguam melle deſpumato? Putasne ex hoc vulnere periculum fore, ne vitioſe pronunciet? Conſule in medium mi D. Doctor. Vereor ne ſuppuretur. Iam non ſugit. ablactatus eſt enim iam ab vno menſe & amplius. De ſomno theſes Eraſti expecto, & ſiquid eiuſmodi aliud habes. Valeat Ex. V. meque amet, reſcribat, & amicos ſalutet, etſi ignotos. Paſcowia, 29 Octob. anno 1577.

ANDREAS DVDITH AB HOREKOuiza &c. *Wenceslao Raphano Med. S. D.*

NON licuit citius reſpondere. Illuſtris D. Zborouicus Cæſaris pocillator, affinis meus, aliquot dies me detinuit. Cum hoc igitur hoſpite meo totos dies conſumere neceſſe fuit. Poſt, multis literis reſpondendum fuit in varias regiones. tandem in legendis curſim epiſtolis Geſneri, quas Vienna accepi, aliquot dies poſui, hoc animo, vt eas ſimul atque percurriſſem, tecum quoque communicarem, vt minus mihi de tam diuturno ſilentio ſuccenſeres. Vt ingenuè dicam, *De Geſneri epiſtolis.*

feſellit expectationem meam. Iucunda quidem curoſis lectio eſt; ſed non video an ſit operæ precium. De quo tu rectius iudicabis. Maluiſſem de re herbaria commentarium hominis docti, & diligentis, edidiſſet Wolfius; ſed, vt video, promiſſis tantum nos lactauit, in vita Geſneri, & nunc ſpem ferè omnem adimit. quod tu ex eius epiſtola, quam Aconito præpoſuit, facilè intelliges. Dolendum eſt optimi illius viri labores tantos, tamque vtiles, in tenebris detineri. Sed deeſt ſcilicet Mæcenas. Sed de his aliàs. Spero iam te oculis benè vti; quibus nimiæ vigiliæ obfuerunt, opinor. Vngue paſſim notaui margines Geſneri: rogo te, vt omnia illa loca punctulis notes, ne mihi totus denuò liber euoluendus ſit, cum fortè quæram aliquid, vt fit. Nam vnguium notæ citò deterentur, præſertim ſi liber compingatur, quod vt fieri cures à te peto. Rogo D. Thomam noſtrum, vt ſi ita tibi videatur pro filiolæ meæ morbo, quem paulo poſt deſcribam mittat electi Rhabarbari quantum iudicabis neceſſariũ eſſe. puella, eſt ſeptimum agens annum. macreſcit

Geſnerus de re herbaria.

ſcit admodum, ſcabie nunquam liberum corpuſculum habet. cutis ferè ſcabroſa, & ſicca eſt, colore ad fuſcedinē tendente, de colore, imò pallida facie ſemper. febricula ſub noctem ſæpè affligitur, ſine magna ſiti. à phthiſi timeo, vel etiam ab hydrope. Video enim epar non fungi officio. Cogitabā Rhabarbari puluerem ex panniculo lineo ſuſpēdere in poculo, ex quo cereuiſiam haurit, aut etiam in infuſione ei propinare. rogo, vt in medium aliquid conſulas, & præſcribas quid facto opus eſſe iudices. Filiolus cōualuerat antequam quicquam eorū, quæ miſiſti adhiberemus. pus in lingua concretū continua ſuctione ipſe emundauit ſibi. iam ſanus eſt, niſi quod vulnus non coaluit totum. Fortaſſe nunquam continuabitur hæc continui ſolutio. Mittat mihi D. Thomas vnam atque alteram nucem vomicam, ad inutiles, & noxios quoſdam canes necandos. de quo etiam legi in Geſnero. Sed doſeos oblitus ſum, nec quærere vacat, rogo annota, vnà cū modo exhibendi. Mechiocani radix Venetiis ad me allata, iam carioſa erat. filiolo

Nux vomica ad canes necandos.

tamen meo, quintum tum ãnum agenti, grauiſſime febricitanti, & aluum adſtri-ctam habenti dedi. Conualuit tertio poſt die. neſcio an huic medicamento id tribuendum ſit, an naturæ ſimpliciter, quæ ipſa ſanat morbos, an quod fortè iam ad exitum peruenerat febris. Lobelii verba

Mechoacan. de Mechoacan radice ſic habent, Fallũtur qui putant Bryoniam eſſe hanc atque illi, qui laurũ cinamomum, & ſmilacem aſperam ſalſam parillam, aliasque complutes exoticas eaſdem ſpecie cum noſtraribns faciunt. Hanc mittit inſula omnium, quæ noſtræ ætati in occiduis inſulis innotuerunt, auro, pecore, ſtirpibus ditiſſima Mechoacam vocata, cui radicẽ cognominem fecerunt Indi, vſumq; docuerunt Hiſpanos, primum ferè 20 abhinc annis, à quibus accepimus. quarum drachmæ puluiſculo ſolo, ſed ex vino albo, aut iuſculo propinato, commodiſſimè qualibet die, hora & ætate, nulla moleſtia, aut incommodo, quinquies, ſexies aut ſepties, flauas hydropicorum aquas eductas, pituitasq; quaſuis comperimus. Hanc non viſam, qui cupit noſſe, intuea-

tur

tur Bryoniæ radicem. ſunt enim concolores cortice, rugis, & ferè magnitudine; ſed huius taleolę, fruſtave rotũda tranſuerſim ſecta, ſiccandi cauſa, intus multis circulis à centro ad ambitum parallelis, diſtinguuntur, mandendo ſapore farinaceo, nec acri, odoreque neutiquam ingrato eſt: cæterum albida & friabilis, vt bryonia, cui ſimilem faciunt ſarmentis pedamenta ſcandentibus & racemis. Folia atro virentia, rotunda, perennia, Nympheæ ferè, & pariter ſupernè parum acuta. Mitto tibi commentarium Marcelli de eadem radice. Vtinam Kolreuterum de arthritide nanciſcamur. Vale. *21* Nouemb. anno *1577*.

ANDREAS DVDITH AB HOREKOuiza *&c.* *Wenceslao Raphano Med. S. D.*

ESTO ſane. faceſſant poſthac excuſationes, & ſileant in literis noſtris culpæ deprecationes, quoties alter alterius operam requiret. Sed tamen ego hac in parte frequentior ero. humanitas tua animum addet, vereor, ne minus etiam pu-

eſt, ſed non coaluit, neque vnquam amplius coaleſcet: ſed erit perpetua ſolutio continui. Vereor ne noceat loquelæ, aut certè pronunciationi. Vale, meque mutuo ama, & amicos noſtros ſaluta. Paſcouia, 26 Decemb. anno 1577.

ANDREAS DVDITH AB HOREKOuiza *&c. Wenceslao Raphano Med. S. D.*

BEASTI me iſtis tuis manuſcriptis libris. miratus ſum diligentiam, & ſanè non mediocres labores. gratias ago de tam inſigni humanitate & beneuolentia. retinui lectiones Italicas, cum Galeno de humoribus, reliquos omnes remiſi. Si pateris, & carere potes his ſcriptis, oro te, ſint apud me, dum earum maximam partem perlego. exſcribam etiam aliqua, niſi tibi aduerſum id fuerit. Quod ſi etiam noles, remittam ſtatim, ſimul atque mihi voluntatem tuã ſignificaueris. Scripſi abhinc triduum Patauium cuidam Mercurialis diſcipulo, Bernhardo Paludano, Belgæ, vt mihi omnium Doctorum ibi lectiones colligat. Mortuus eſt non

Nicolaus Curtius

ita pridem Brixiæ, in patria vir meo iudicio, excellens Nicolaus Curtius. cuius mihi in docendo perſpicuitas, & methodus in primis, iam à 20 annis, quibus eum noui, placebat mirificè. Paternus non diſcedit à Galeno. Tuus Mercurialis varius eſt,& copioſus. Capouaccius grauis,&, niſi fallor,ſolidus. Verum tuum hoc iudicium eſt. ego aureus ille Apuleius ad lyrã. Superaſti expectationem meam, vt ingenue fatear, in carminibus pangẽdis; in quo genere planè artifex es. O quam ſuauis,quã plenus, quã etiam pius. Video te Phœbo charum eſſe; qui idẽ & Poëtarũ & Medicorũ deus eſt. Anatomica me delectarunt, quæ ſi augeres, per ocium,emitti poſſent cũ laude. non enim ita facile eſt ea, tam aptè, verſibus includere; & neminẽ hoc antehac tẽtaſſe memini. Noſtrum amicum,μακαρίτην illum Spanow,longè præfero huic Italo, qui Aphoriſmos cõfecit.Satin' rectè tibi loquutus videor? Aſſentior tibi de quorundam Italorum inuidia: multò etiam magis de Græca lingua; addo ego etiã Latinam.nã quotusquiſque eſt ex veſtris Doctoribus, qui

Mercurialis Capouaccius.

Italorum inuidia.

qui ex tempore loqui queat? ſcribere autem emendatè, certè pauci. Fortaſſe etiam Marinellus retinuit interpretationem Cornarii; cuius tamen ſilentio nomen præterit. Stultũ eſſe opus hac in parte, qui tã ſocordes fore lectores exiſtimet, vt nõ ſint indagaturi, cuius iſta ſit interpretatio. Ain' tu non nociturum filiolo meo illud vulnus? illud tamen non video quomodo fieri poſſit, vt amplius coaleſcat, quod perſanatum iam à ſex fortaſſe & amplius hebdomadibus eſt, & ita diuiſum, vt coire nullo pacto, nulla induſtria queat. Quomodo in lingua poteſt retinere ſiue oleum, ſiue quicquid illud eſt, quo inũgi iubes? perpetuò linguam mouet, fugit, & ſputo repletum eſt; quam vim vniendi partes in vllo medicamento oſtendes tantã, vt in momento coaleſcant? momento autẽ opus eſſet, propter illa, quæ dixi impedimenta. Sed difficile tibi erit iudicare de non viſis, vt de vrina ſcribit ille tuus Kolreuter. Minium meum tale eſt. In aquam impono gummi per integrũ diem, dum liqueſcat, & aqua tota viſcida fiat. Huius aquæ partem marmori (aut ſimili

Lingua vulnus.

Minium

alicui rei) inſpergo, poſt cinnabaris pauxillum, tero minutiſſimè vt iam ex eo pigmentum fiat. hoc impono vitreo vaſculo, & eiuſdem aquæ infundo tantum, vt color dilutior fiat. ſic vtor. Sæpè etiam aquæ ſimpliciter iniicio, aut aceto cinnabarim in tenuiſſimum puluerem redactam, & miſceo dum color fiat aptus ad ſcribendum, impoſita tamē gummi portiuncula. Hoc fit, cùm laborem fugio, & bene tamen ſuccedit. Vale mi optime amice, & me ama. Paſcouia 7 Iunii, anno 1578.

ANDREAS DVDITH AB HOREKOuiza *&c.* *Wenceslao Raphano Med.* S. *D.*

GRATIAS ago de reſponſo ad quæſtionem. nōdum licuit bene examinare. properabat enim tabellarius. Sed nō dubito & doctè & accommodatè reſponſum eſſe. Vetat me ſecus exiſtimare elegās doctrina tua, & acumen. neſcio cur Simonii ſynopſin, cum aliis vnà ligatis libris mihi miſeris. Si petii, erraui. nam hos ipſos mihi quoq; adferri curaui. Quoniam tam prom-

promptum te video in grauibus quæſtionibus explicandis, & magni facio iudicium, & doctrinam tuã, rogo te indica mihi, quid cenſendum putes, de altera hac quæſtione: Quæ poteſt eſſe ratio, vt ſomnus meridianus noceat, quẽ veſtri Medici plerumque prohibent, & non noceat is, qui cœnam ſequitur? Idem ventriculus, idem cerebrum, idẽ homo, cauſa ſomni eadem. noli recurrere ad φλυαρίας illas, de noctis frigore, de diuturno tẽpore, & quæ adferri ſolent multa in altera illa quęſtione de prandio & cœna. nam his facilè reſponderi poteſt, & videntur eſſe κρησφύγετα. Mitto tibi dono, quem me iampridem miſiſſe putabã, librũ de Epochis non contemnendũ in ſuo genere. Quid te tantopere in Liebelautio delectat? Quid in Ronſæo? de ſcorbuto habes elegantẽ tractatũ in Wieri obſeruationibus medicis. Liber editus eſt in 4. habet & alias elegãtes tractatiunculas, de quartana, de angina peſtilenti, de hydrope. Si non habes, mittam meum librum, digniſſimum lectu. Vale mi Domine, & amice optime. Paſcouia, die 1 Octobr. anno 1578.

An ſomnus meridianus noceat.

De ſcorbuto.

ANDREAS DVDITH AB HOREKOuiza &c. Wenceslao Raphano Med. S. D.

DE literis ad me miſſis amo te. Quæ his adiungentur, rogo te, vt, tua cura, Troilo transmittantur, per certum aliquem hominem, quem occaſio offerret, nihil eſt neceſſe proprium curſorem cōducere. Mitto Squarcilupi cometam, non bene deſcriptam à filio meo. Rogo te, vt accurate hoc ſcriptum perlegas, & ad me iudicium tuum perſcribas. nunc noctes ſunt longiores, non dubito te lucubrare, & non puto ita, vt de die, à tuis ægrotis, te auocari. Strictim nunc attigi, & incidi in quædam loca, dum modo huc, modo illuc oculos coniicio, quæ neſcio quomodo non ita, vt antea ſolebant, me afficiunt. Videntur aliqua ad augendam molem, congeſta eſſe, non neceſſario. Sed de eo quoq; vt de tota re, tu melius iudicabis. Quæ φυσικῶς accidunt, etſi non eſſe ἄσημα, vt tu vocas, concedatur, non ſequitur tamen, niſi fallor, crinitas tanta illa mala portendere. Quamuis τὰ φυσικὰ hoc ipſo, quod φυσικὰ ſunt, è portentorum

Cometa Squarcialupi.

Cometa an portendant.

tentorum numero eximuntur, quæ παρὰ φύσιν ſunt. Intelligis enim ea, quæ fiunt κατὰ φύσιν, & quæ παρὰ φύσιν, inter ſe affecta eſſe, vt ἀντίφασιν habeant. Verum de his in mea illa epiſtola fuſius egi, ſi recte memini; & hæc Marcelli plura etiam continent. Eraſtum equidem magni facio, magno illius merito; ſed ita tamen, vt non propterea ſuas dotes aliis viris doctis detraham, quas à Deo cumulate acceperunt, & ſua induſtria, Dei item beneficio auxerunt. In quorum numero te quoque non iniuria collocandum exiſtimo. De ſomno ſententiam tuam non improbo; ſed ἀκριβέστερα illa, quæ polliceris, & ab ingenio tuo expectari poſſunt, mallem legere. Illud quidem quod ſcribebas ex Hippocrate, noctem quieti, diem laboribus deſtinatum eſſe, verum eſt, & ſacris literis conſentaneum, ſed non videtur tamen dubitationis meæ fibras euellere. Verum de his, cum erit otium, cogitabis. Miror Eraſtum non reſpondere. ſi mihi tuas ἐνστάσεις communicabis, dabo operam vt reſpondeat, homo, vt video, ad huiuſmodi ſcriptiones impiger.

Nox quieti deſtinata.

Quin aiunt eum hoc in more poſitum habere, vt ad viros doctos ſua mittat, & illorum iudicia exquirat. Vale, meque mutuo ama. Paſcouia, 14 Octobris, anno 1578.

ANDREAS DVDITH AB HOREKOuiza &c. *Wenſcelao Raphano Med. S. D.*

Gallica lues. NACTVS ſum commentarium D. Iordani de Brunno de Gallica lue, vt ego nomino. prorſus mirificus morbus eſt. quo videtur mihi docte admodum & acute diſputare. Temperare mihi non potui, quin eum tibi ad legendum mitterem, pro amicitia noſtra; cum eo tamen, vt ne emaneat, & cito ad me redeat. illud, ne iure queri poſſit, quod iniuſſu ſuo lucubrationes eius diuulgem: hoc vt remittere poſſim in tempore. Potes tamen tamdiu retinere, dum tabellarius Vratislauia recurrat, cum reſponſo ad has literas, quas tibi illuc mittendas cum his miſi. Rogo te plurimum, vt ſine mora noſtrum illum abire cum his literis, iubeas ad Troilum. Perſcribas poſt-

poſtea mihi iudicium tuum de hoc commentario. quod ego iudicium, vt ſcis, magni facio. Si quid notaſti in Simonio contra Squactilupum fac vt ſciam, ne tua epiſtola, quam nunc ſcribes, nihil me doceat. Adde aliquid de hoc προβλήματι: cum aquæ coctione euaporent partes ſubtiliores, & craſſiores, magiſque terreſtres relinquantur, an recte facio quod aquam ad potum coquo ad ignem. Scis enim me abſtemium eſſe. Dein quæ ſit optima aquæ concoquendæ ratio. tum quæ omnium optima, fontana, putealis, pluuialis, fluuialis, &c. Neſcio an antea aliquid hac de re à te quæſierim. Item: Galenus libro de temperamen. ait ex lactuca optimum ſanguinem fieri, cũ à naturali calore euicta eſt. Ego inferam, ergo non referre calidis poteſtate, an frigidis eſcis vtare. Conſequentia probatur. Nam ſi frigida bonum ſanguinem efficiunt, æque illis bene vti poſſum, ac calidis, quia potiſs. alimentorum vſus eſt, vt ſanguis procreetur, quo alantur partes &c. & calor innatus recreetur & confortetur. Si omnes humores ex aduſtiõne,

An recte aqua cocta in potu vſurpetur.

ſecundum magis & minus, in bilem conuertũtur, quomodo refelli merito poteſt paradoxon Iouberti: omnes febres ex bile facientis? Deinde quomodo poteſt accendi pituita ſeparatim, vel bilis, vel humor melancholicus, aut putrefieri, quin tota maſſa ſanguinis ſimul accendatur & putrefiat? cum humores non ſeparentur à ſanguine niſi λόγῳ, quomodo non accẽdantur ſemper principio & ſtatim, quæ ſunt maxime ad inflammationẽ idonea, vt ſpiritus, & bilis, per ſe calidiſſima: hæc etiam ſicciſſima. Ad hæc rogo, tuo more, hoc eſt, docte & perſpicue atque eleganter reſponde. Vale, meque mutuo dilige. Paſcowia, 1. Iunii, anno 1579.

Paradoxon Iouberti.

ANDREAS DVDITH AB HOREKOuiza &c. Wenceſlao Raphano Med. S. D.

EN iterum te rogo, vt hunc faſciculum ad Troilum mittas, per amicum aliquem. Cupio ſcire, quando alterum miſiſti, quem tibi tabellarius ille noſter reddidit ſuperiore hebdomada. Si nondum abiit, poterit cũ hoc coniungi. Marcellus reſcri-

reſcribit, ſalutat te, ſe propediem miſſurũ nobis eſſe arcanum illud ſuum, quod typis edere cogitat in libro, quē de cauteriis ſcribit. cuius multa iam capita abſoluit, quæ in charta incluſa leges. Dignus eſt ſane amore tuo, præſertim quod in illo ſcripto, quo offenſus videris, nihil reperio, niſi cum honore tuo coniunctũ. te amat, colit, honorat. æquum eſt, vt par pari referas. Si qua in re ab eo diſſentis, eandē illi, quam tibi ſumis, libertatem relinque, vt ſuam Spartam ornet. Trahit ſua quenque voluptas. Verum de his ſatis ſuperque. cum nuper quoq; nōnihil ſi recte memini, de eo in epiſtola mea aſperſerim. Miſit mihi Marcellus tria ſcripta ſua: I, de gutturoſis, quo gutturis, vt vocant, hernia laborant, βρογχοκήλην ni fallor vocant. II, de fontium & fluuiorum origine. III, de opportuna purgatione. duo illi libelli paucorum foliorum ſunt. tertius æquat magnitudine commentarium illum Iordani de Brunno de Gallica lue, aut etiam ſuperat. Miſiſſem hunc ad te, ſed cito ſibi remitti cupit, & ego nondum peruolutaui. Si tamen tantum eſt otii tibi, *Marcelli ſcripta.*

ſ 4

& his vacare voles, mittam hæc omnia ad aliquot dies, dum percurras. erit fortaſſe quod te delectet. Cum apud me eſſet, oſtendit inchoatum opus; nunc vt video auxit, & emendauit. tu iudicabis, Rogat te, vt quas in Fernelium ἐνςάσης ſcripſiſti de podagra ei mittas, æquũ petit ſi deſcripſiſti. Veius neſcio quas fabulas Thalmadicas mihi recitat. Inter alias, hanc quoq; quam item pro fabula habebo, niſi tu ſecus affirmabis. ait non poſſe naturaliter virginẽ ex primo coitu cõcipere. te quoq; autorem nominat, vt mihi os obturet, autoritatem equidem tuam non defugio. Sed cupio hoc ex veſtris Medicis aut eorũ doctrina mihi, ſi lubet, & vacat, demonſtrari. Ad magnam quandam rem & maxime paradoxã hoc, vt ipſe putat, axiomate abutitur. Ego nullam naturalem cauſam excogitare poſſum quæ prohibeat, quo minus in primo ſtatim coitu virgines cõcipiant. exempla quoq; multa referri poſſunt earũ, quas prorſus virgines fuiſſe, dubitari vix poteſt, ſi quis pudorẽ, pietatem, educationem ſpectet. Tu noſtræ huius controuerſiæ arbiter eſto. Vale,

An virgo naturaliter ex primo concubitu concipiat.

meq; quod facis, ama. Paſcouia, 10 Aug. anno. 1579.

ANDREAS DVDITH AB HOREKOuiza &c. *Wenceslao Raphano Med. S. D.*

DE Thermis Trincinenſibus nihil habeo, quod affirmē, ex Marcello quoque per literas quæſiui, ſi quid fortaſſe à D. Iordani, aut D. Cratonis aut Medicorum Vienenēſium obſeruatione haberet, nam cum illis verſatus eſt aliquandiu. Sed ne ille quidem quicquā adferre poteſt. Ad D. Iordanum, cum erit per quem literas mittere poſſim, ſcribā. non dubito eum certi, & explorati aliquid nobis perſcripturū eſſe. Edidit ante multos annos Georgius Vernerus lib. de admirādis Vngariæ aquis. In eo fortaſſe reperies nonnihil. Sulfureas & ferreas eſſe nō dubito, tū quod illū odorē exhalare dicuntur, tum quod tumores, & vlcera exſiccant. Dicuntur etiā podagrici, ſolo inſeſſu, & lotione perſanari. Sed, quæſo, quid te morbi eò inuitat: An oculorū vitiis vllę Thermarum aquæ ſubueniunt? Hodie accepi literas à D. Iordano, in quibus ſcribit ſe *Thermæ.*

omnes Thermas Morauicas peragraturũ eſſe, & per diſtillationẽ earum naturas & vires exquiſiturum, dein commentarium de eis confecturum breui. Accipe Marcelliana, & perſcribe mihi quid de his ſentias, inprimis autem de purgatione. Quæ de virgine ſcribis cõfirmant ſententiam meã. Sed illud Arabis, de ſemine in balneo à virginis matrice abſorpto, figmẽtum velim exiſtimes impudicitiæ patrocinãtis. Quomodo enim ſemẽ, loco præſertim humido, tandiu conſiſtet, ne diffluat? deinde quomodo ſpirituoſum illũ calorẽ, vel momento temporis retinebit extra vterũ muliebrem, ſi vel in terrã, vel lapidem, vel aliam quamuis ſubiectã materiã decidat? ſi paulo accuratius hac de re cogitabis (ſi tamẽ lõgiore inquiſitione digna eſt) animaduertes commentum ridiculum eſſe. Oportet fuiſſe certe libidinoſam, & incredibilis caloris vtero præditam bonã illam virginem, quam non niſi diuaricatis femoribus, & diducto manibus pudẽdo locum illum inſediſſe (ſi reliqua concedãtur, quæ ſupra negaui) veriſimile eſt. Quæ à virginali pudore abhorrent,

Semen in balneo à virginis matrice abſorptum.

horrent. Sed putidum eſt rem obſcœnam pluribus perſequi. Verũ illud, quod maiorem vtilitatem habet, rogo vt mihi explices, quid omnino de hymene cenſendum putes, tum in paruulis, tũ in adultis virginibus, & an omnino exiſtimandum ſit poſſe virginitatem hinc diſcerni. Nam quaſdam natura laxiores vteros habere, alias ſtrictiores temperamenta & corporis conſtitutio indicat. ætate quoq; profectiores à iunioribus tum aliis, tum hac in re differre puto. Non habeo nunc ad manus librum vllum, qui mihi dubitationem tollat, & exciderunt quæ legi, quæque à Fallopio quondam audiui. Tibi hæc in promptu ſunt, in Anatomicis quoque diligenti; vt ex annotationibus quibuſdam tuis in Columbũ & alios animaduerti. Explica igitur, amabo te, ſententiam tuam de re tota, poſtquam in hunc ſermonem incidimus. Marcelllus Hippocratis opera methodice tractare inſtituit: hoc eſt, reuocat omnia, quæcũque in illo autore ſunt, ad methodũ Auicennæ, aut potius Fuchſii, &c. annotationes quoq; adiiciet. Idem in Galeni operi-

Hymen index virginitatis.

bus facere cogitat. Eſt homo laborioſiſſimus, pauci ſomni, ingenio bono, ſciendi cupidiſſimus. Remitto libros,& gratias ago. Freigii, Rectoris ſcholæ Altorffianæ reip. Noriberg. Phyſicæ quæſtiones nouo quodã ordine ſcriptæ vidẽtur. Nihil mihi facilius videtur, quàm hac ratione libros magnos edere. Eſt opus congeſtũ ex variis ſcriptoribus, & ſcientiis. Trahit ſua quemq; voluptas. Mihi ſane nõ placet omnia in vna arte docere, q̃ diſiuncta ſunt Vale meque ama. 14 Auguſt. anno 1579.

Freigius.

ANDREAS DVDITH AB HOREKOuiza &c. *Wenceslao Raphano Med. S. D.*

TESTIMONIVM de Marcelli ſcriptis tuũ,.nõ vulgare eſt. mirifice hominẽ delectabit. præponet, ſat ſcio, libello, vt lectores magis iuuitet atque adeo, vt ſe muniat contra aduerſarios tuo tã inſigni præconio. Quare tu videris, quomodo ſuſtinere poſſis impetus magnæ turbæ, q̃ ſtabit cõtra vos, inaduerſa acie. ego quoque me veſtræ cohorti aggregaui imprídem; vt ex ridicula illa, & plane inepta ſcheda,

ſcheda, quam item libro ſuo præpoſuit Marcellus, coniicere potuiſti; ſed quid à me auxilii exſpectari poſſit, rudi admodum, atque imperito tyrunculo? Remitto tibi libros omnes, & tuos, & Notarii, excepto Maſſa de morbo Gallico; in quo vidi mirabilem quandam curationē vlceris aſperæ arteriæ. Illud mihi mirū viſum fuit (vt hoc obiter iniiciam) quod Maſſa in altero quodam peſſime affecto, hyemem fere totam expectauit, antequā curationē aggrederetur. Quod mihi & periculoſum, & minime neceſſariū videtur. adde quod morbus, per tam lōgas inducias inualeſcit, vt poſtea difficilius depelli queat. Quaſi non potuerit aeris frigidi intemperies (ſi ea re deterrebatur) corrigi artificio, & temperari tepidario? Hic mihi magnus, & ſuperſtitioſus medicorum Italorum (neſcio an aliorum quoque) abuſus videtur; tempora neſcio quæ expectantium, & ægrotos diuturna iſtiuſmodi expectatione magis magisq; excruciantiū. Quin ſtatim arma expediuntur, ſimul atque hoſtis nos aggreditur? an expectandū erit, vt nos prius proſternat, cō-

Curatio vlceris trachea.

Tempora expectare in morbis ſuperſtitioſum.

culcetque, vires atterat, ac prorſus eneruet? Magna eſt ſane conſuetudinis, & præiudicii vetuſtatis, in omnibus fere artibus tyrannis, quæ liberalibus ingeniis nimis impotẽter imperat. Quo fit, vt multi meliora videant, deteriora ſequantur, religione quaſi quadam obligati. Id tu ita eſſe, tum in tua, tum in aliis artibus, quæ tua eſt doctrina, & ſingulare acumen, præclare intelligis. Sed hæc poterant taceri, niſi mihi iucundum accideret tecum, de rebus omnibus libere, quicquid in buccam. Diligentiam in Mathematicis tuam, vt in aliis ſtudiis, exoſculor. quamuis hæc οὐδὲν πρὸς τὰ ἄλφιτα, ſunt tamen periucunda. Veriſſima ſunt, quæ de medicina ſcribis Theophraſti, & vetulæ triobolares, quædam etiam matronæ illuſtres, in Polonia, medicinã faciunt plerumq; ſtillatitiis ſuis, quibuſdam liquoribus & pulueribus. Quibus ſi nihil proficitur, vt fit plerunq;, ſemimortui ægrotãtes ad Medicos deferũtur: ſi vnus aliquis moritur, in medicum culpa reiicitur, magnis clamoribus. Ita fit infamis, deſeritur, contemnitur, continet ſe domi, & quæſitis

Tyrannis cõſuetudinis & vetuſtatis.

vtitur

vtitur interea, dum fama conticeſcit. breuiter, miſeria eſt ineluctabilis, ſi vſum ſpectes. Vale, meque, quod facis, ama. Paſcowia, 24. Aug. anno 1579.

ANDREAS DVDITH AB HOREKOUIZA &c. Wenceslao Raphano Med. S. D.

LIBERI mei, (quod te libenter cogniturum, pro tua in me beneuolentia, certo ſcio) iam tandem conualeſcunt, vnius naturæ; aut potius Dei, naturæ omnis opificis, beneficio. nullum enim ſibi adhiberi remedium paſſi ſunt. quod quoties tētabam, ita renitentes animaduertebā, & ab omni pharmacorū genere abhorentes, ac fletu, eiulationibuſq; ſeſe excruciantes, vt maius à medicina, quam ipſo morbo periculum impenderet. hoc vnum experiri libuit mulierculis Polonis valde vſitatum: quod mihi profecto miraculi loco eſt, idque eo magis, quod nullam eius rei cauſam inueſtigando reperire poſſum. Iniiciebatur in labrum aquæ calidæ, in quo pueri lauabant, panis in micas friati manipulus, cineris i- *De mirifica quodā morbo puerorū*

tem parum; elotis pueris, aqua percolata, panis ille in maſſam compingebatur. hæc maſſa indiuerſas partes manibus diſtracta, magnam ſubtiliſſimorum pilorum vim oculis offerebat primo die: ſubſequẽtibus autẽ diebus pauciores pili, poſtquã conualuerũt, prorſus nulli apparuerunt. Hos illæ caninos, aliæ vermiũ pilos vocãt, & morbi cauſam ad hos referũt. Præterea humeros, & brachiola inunximus farina, aceto permixta. Vix peracta vnctione, & abluta ſtatim, eminebant ex cute diuerſis locis tubercula quædã puſilla, vt papauera, caloris cinericii (quæ ab illis vermium capitula eſſe dicuntur) ea ſtatim cultello abradebãtur. niſi id ocyus fieret, recõdebantur iterũ, & intra cutẽ ſe recipiebãt, hi quoq; ſiue vermiculi, ſiue alio quouis nomine vocẽtur, primo multi ſeſe ꝓferebãt, poſtea pauciores, poſtrema vnctione ꝓrſus nulli. fœminæ ſũmis horũ vermiculorũ capitellis nigricantia aliqua, quaſi puncta, ineſſe aſſeuerabãt; quæ tamẽ ego etſi pene cum ipſo lynce certare poſſim, nunquam videre potui. Viſa mihi eſt tota illa res prope eadẽ ſpecie, aut certe non diſſimilis

milis ſordibus illis, quæ poris impactæ, in angulis præſertim narium exterioribus digitis exprimi ſolent: duricie ſunt paulo ſolidiore. Cum in veſtris Medicis quærerem, altum vbique ſilentium reperi. In vno Bacchanello, aut neſcio quo de puerorum morbis inueni Dracunculos vocari à neſcio quibus Arabibus. Nam liber hæc ſcribenti non eſt ad manum, & quærere piget, cum hæc properanter ad te ſcribam. Rogo te, inquire in cauſam harum rerum, & ſententiam mihi tuam perſcribe. Oblitus eram hoc quoque adſcribere, me eadem illa omnia tentaſſe in reliquis meis liberis ſanis; nec tamen vel pili vlli in panis maſſa, nec dracunculi in cute; ac ne in his quidem duobus ægrotis, poſtquam conualuerunt, conſpici à quoquam potuerunt. De pharmacis contra epilepſiã magnas gratias ago, ab eo tempore non rediit morbus ille, quem ſemper emanere opto. Quæ de carbone abſinthiaco ſcribis, miratus ſum, & aliis affirmantibus vix crederem eos reperiri, niſi quis de induſtria defodiſſet. Dics D. Iohannis quoq; fidem abrogat, & ſuper-

Dracunculus.

Vide Auic. lib. 4. Fen. 3. tract. 3. cap. 21. & Gal. 6 de loc. aff. etſi non huius generis illa videtur eſſe.

Carbo abſynthiacus.

ſtitioſi neſcio quid habet. Vale mi optime amice, meq; ama. Vratisl. 6. Nouemb. anno 1580.

ANDREAS DVDITH AB HORKOUIZA *&c. Wenceslao Raphano M. S. D.*

EPiſtolam tuam de morbo infantuli, accuratè & doctè ſcriptam, in aulam Cæſaris mittendam eſſe putaui. ita mihi viſa eſt digna, quæ à doctis viris legeretur. hæc fuit cauſa, cur nondum reſponderim. gratias tibi habeo iam ab illo tempore, quod inter alias occupationes tuas, huic quoque contemplationi, mea cauſa, aliquid operæ impertiueris. omnia excuſſiſti, vt video, nihil intactum reliquiſti. Vnum te moneo, vidiſſe me ante aliquot annos, in libello, neſcio cuius, Bacchanelli praxi adiuncto (qui mihi ad manum liber nunc non eſt) aliquid de hoc morbo, quem ſi bene memini, Dracunculum vocat. Eum tu locum, ſi nondum vidiſti, inſpice; ac ſi quid eſt operæpretii, ad hanc tuam elegantem diſſertationem adiice. Admonitus ſum à Doct. Monauio ex au-

la

la Cæſaris, editum eſſe librum à Ioh. Wiero, docto illo ſagarum patrono, in quo tum de aliis, tum de hoc morbo diſſeratur. Verùm, ſi præiudiciis agendum eſt (quod tamen in nulla re alia fieri oportere contendo) non exiſtimo illum meliora tuis adferre. De carbonibus mira narras. es tu quidẽ fide digniſſimus, ſed profecto hoc eſt ex iis vnum, quod meis oculis intueri cupio. D. Scholzius, niſi me fallit memoria, affirmat ſe non reperiſſe. Illud quoque quod ad te de muris auricula ſcripſit, auditione tantũ accepit. ſed heus tu: carbones illos, quos te mittere ais, non vidi. In ſalis fruſto, ex imis illis Vieliciensibus ad Cracouiam fodinis effoſſo, perlucido, vt glaciem referret, fruſtulũ atri carbonis innatum erat. Saporem ſalis habebat, albam lanuginem (liceat ita nominare) emittebat, vt magnes ſuos illos, quaſi pilos quoſdã, deterſę huic lanugini ſuccedebat paulo poſt alia ſimilis. magnam vim purgatricẽ ille carbo habebat. donaui fruſtũ illud D. Gergero, cũ hic Cęſaris cõmiſſarius eſſet, præſidi Cameræ Auſtriacæ, ne putes aliquando, vt fieri ſolet, foſſores ibi

Carbo in fruſto ſalis.

carbones ex lignis reliquiſſe, qui poſtea temporis progreſſu ſale circumgelaſcente contectus fuerit:(idem enim & ego ſuſpicabar) affirmat mihi D. Murſtein, montium illorum Magiſter, vir egregius, nunquam antehac vllis ſeculis quenquam in illos montes penetraſſe, vbi tales carbones effodi ſolent: qui in maſſa ſalis abditi iacent. Maſſæ autem illæ ſunt inſtar montium lapideorum ſolidæ: ex quibus illæ columnæ exſcinduntur, quas baluanos nominãt (à ſimulacris, vt opinor, aut ſtatuis: ſic enim Poloni εἴδωλα, & Deaſtrorũ imagines vocant) quę extra Poloniam, ad vos etiam, quotannis exportantur. Hæc ideo tam copioſe addidi, vt ſi lubet rem inſpicere; ab hoc ipſo bono & humaniſſimo viro, quem nominaui, fruſtũ aliquod tale petas. Bone Deus, quam multa ſunt in naturæ theſauris condita, ad quæ hebetata mentis noſtræ acies penetrare nequit? De Cometa quam multa, Ariſtotelis autoritatem ſecuti, blateramus paſſim; & tamen his diebus didici ex proximo, & qui hunc anteceſſit, & Ariſtot. & qui eum ſequuntur, longe à ſcopo aberraſſe. Supra

Cometa.

pra

pra lunam fuit vterque: prior ille proprio motu ab occidente in orientem: hic contra ſignorum ſucceſſionem, ab oriente in occidentem ferebatur. Si ex fumoſis exhalationibus procreantur, quomodo illæ lunam ſuperant, & cœlos penetrant? Si ſupra lunam generantur: quomodo verum illud erit, nihil ibi oriri, nihil interire? omnia eſſe æterna? & tamen hæc duo φαινόμενα, & ſydus illud mirificum, quod ante hos octo annos oſtenſum nobis ad Caſſiopeam fuit; & orta fuerunt, cum antea nullis vnquam ſeculis viſa fuiſſent, & interierunt: aut certe ex oculis noſtris aliquo ſublata ſunt. Vbi antea in abyſſo theſaurorum Dei latuerũt? Non habeo quid dicam, cum hæc conſidero, niſi illud: O cæcas hominum mentes, o pectora cæca! Qualibus in tenebris vitæ, quantiſq; periclis Degimus hoc æui, quodcunq; eſt. Vt autem mecum certo credas hæc ita ſe habere, vt affirmo; ſcias ἀποδεικτικῶς demonſtratum eſſe à Corn. Gemma, à Mœſthino, & aliis: inprimis autẽ ab amiciſſimo meo & doctiſſimo viro Doct. Thaddeo Hagecio, minorẽ habuiſſe παράλλαξιν, quàm ipſa

Digitized by Google

luna. Miſeras mihi, cum in vicinia tua habitarem, accuratam tabulam de horologiis, à te elaboratam: ſi recte id fieri poſſe putas, & illa carere ad tempus potes, rogo te, vt mihi eam communices, ſimulque alia adiicias ad μαθήσιν pertinentia, quæ tu, dum his ſtudiis incumberes, collegiſti. Peucerum, quem te audiſſe puto, optica collegiſſe dicitur. is liber nunquam editus fuit, ſed manu deſcriptus circumferebatur illis temporibus. Si eum habes, & mihi item communicabis, pergratum facies. Si quid ego quoque habebo, quod vſui tuo ſeruire queat, impera amicitiæ noſtræ iure. Feliciter vale, meque ama. Vratisl. 19 Ianuar. quo die lunæ eclipſis totalis, & ea quidem maxima conſpicietur ab iis, quibus cœlum non ita nubibus obducetur, vt hic nobis: anno 1581.

ANDREAS DVDITH AB HORKOVIZA *&c. Wenceslao Raphano Med. S. D.*

EXSPECTABAM literas tuas, plenas doctrinæ & obſeruationum, tum eorum

rum, quæ in maiori, tum quæ in minori hoc mundo contingere ſolent. Sed video te occupatiorem fuiſſe, quam vt nobis vacare potueris. Rogo te tamen, vt primum aliquid otii nactus eris, vt mihi mirabiles illas fulminis effectiones deſcribas; tũ vnguenti illius, quo nares, & tempora in peſte illinebas, eiusq; vſum, & ſi quid huc pertinebit, amice mecum communices. Mitte mihi ſcriptorem illum de peſte, quem laudabas, nomen excidit. aueo etiam tuum iudiciũ cognoſcere de Maſſarella: quem inuitus patior à mea bibliotheca abeſſe; ita mihi viſus eſt elegans eſſe, & bene rem examinare. Sed hoc tamen ego ad meum iudicium non reuoco, ne forte abs te illud audiam, Ne ſutor. Si eum librum tuus librarius iſtic habet, eme mihi quouis precio. animaduerto iſtum veſtrum, quiſquis eſt, bonos libros ſæpe ad vos aduehere, quos hi noſtri non apportant. Niſi tibi moleſtum eſt, mone me de nouis autorib. quos poſt meum à vobis diſceſſum, in elegantem illam, & ſane exquiſitam bibliothecam tuam intuliſti. faciam ego idem, quum huc redibis. nihil te

celabo, atq; vtinam multa haberem, quæ tibi grata eſſe poſſint. De Parœo quoq; iudicium tuum exſpecto, tum de illo Porto: quem legendum tibi dedi: inprimis autem de nugis illis meis. Gratias tibi ago de amicitia D. Hennemanni: cuius conſuetudine delector: bonus, modeſtus, doctus, diligens iuuenis eſt. Vt ex reſponſo tuo diſcam aliquid, rogo te, indica mihi quomodo fieri poſſe putes, vt vnguenta in intimas corporis partes, ad loca affecta ſcilicet, penetrẽt, & morbum ibi oppugnent. Videntur eſſe ratione prædita, quæ intelligant latebras hoſtium, & recta illuc tendant; nihil in itinere immorentur, nihil de ſuis viribus deteri ſibi patiantur. Certe pauxillum eſt id, quod cuti illinitur, & partim digitis vngentium adhæret, partim à circumfuſo aere exiccatur ante, quam per tot anfractus in interiora perferatur. Vereor equidem, ne hoc quoq; medicamenti genus ſimile ſit amuletis; à vetularum ſuperſtitioſis perſuaſionibus natum. Idem propemodum quæri poſſe videatur, de toto etiã τ̃ καθαρτικῶν φαρμάκων genere, quæ certos humores ſpectare, & adoriri

Quid vnguenta inuent internas partes.

Catarctica.

adoriri dicuntur:qua obſecro, intelligentia id aſſequuntur? quomodo agunt? qua ratione hunc potius, quam illum humorem aggrediuntur, loco mouent, extrudunt denique, cæteris partibus parcēdo? næ illa iudicio,& ratiocinatione non vulgari prædita ſunt, ſiue in ventriculo conſiſtant,& ad ſe noxia, quaſi harpagonibus & vncis quibuſdam, attrahant: ſiue illinc emiſſarios ſuos in hoſticum ablegent, qui cominus rem agant, & inimicos ſuperent ac propulſent. Hac de re ſi ocium eſt, ſcribe mihi ſentētiam tuam. Vidi Puteanum, niſi fallor, apud te, qui non in diſſimili argumento verſatur, & hunc, & ſi quem alium habes, ſiue etiā ſcriptas aliquas præceptorum tuorum lectiones, aut annotationes quorumcunque de hoc argumento, vt mihi mittas te rogo maiorem in modum. Poteris id facere, cōmodo tuo, præſertim quum meos libros remittere lubebit. Nota mihi loca apud autores, quos me habere ſcis; in quibus hæc materia tractetur. Fuit hic nuper admodum Baro quidam Polonus, amicus meus, affirmat ſe veteri gallico morbo vexatum, nullo

Gallicus antimonio curatus.

alio remedio, quam antimonio, curari potuiſſe. duos prope annos fuit liber & à morbo, & ab omnibus ſymptomatibus. nunc ſiue veteris morbi reliquiæ alicubi delituerunt, ſiue ex noua malitia, recruduit malum; & artus occupat, atque adeo coxendicum dolores ſæuos infert. quid tu de antimonio dicis? & ſi reliquiæ ſunt, vbi tamdiu latere tanti mali ſeminarium potuiſſe ſine noxa, exiſtimas? Si habes Io. Bapt. Suſium de peſte, adiunge quæſo reliquis. De Maſſaria hæc ad me Crato. Nō placet in Maſſaria quod ſuæ Allegrantiæ & Lucretiæ caſſiam dedit. neq; ego abſq; aloë & myrrha vlli in hoc morbo exhibere velim. Non enim exhaurimus putredinem peſtilentem purgatione & miſſione ſanguinis, etiamſi materia minuatur, atq; iſto modo progreſſus putredinis impediatur. Sed vna vera & recta eſt curatio per antidota, quæ ſudorem mouent, & ſiccando putredinem inhibent. Hæc ille.

Tu quid de his, & ad hæc? Vale, meque ama. Vratisl. 9 Augusti, anno 1582.

AN-

Andreas Dvdith ab Horekouiza, &c. *Wenceslao Raphano Med. S. D.*

Gratiam habeo de accurata epiſtola tua, quæ mihi multis nominibus perquam grata accidit. Libros nō neceſſe fuit tam cito remittere. poteras eis vti, arbitratu tuo; vt reb. aliis meis, ſi quarum tibi vſus veniet. Miror te tantum in rem herbariā ſtudium conferre, non ſane ideo, quod non laudandam eſſe hanc diligentiam putem, ſi nō ſit nimia; ſed quod inutilem operam poni à multis videam in nouis herbis reperiendis; quarum vires ignorantur, neq; ſine longo tempore periculum fieri queat, ad quos potiſſimum morbos adhiberi recte poſſint. Equidē in iis inueſtigandis, quas veteres deſcribunt, & ruſtici plerunq; atq; aniculæ non raro feliciter ad morbos profligandos admouēt, nullā eſſe nimiam diligentiā cenſeo. In cæteris, propemodū Mathematicis ſimiles ſunt Medici. Vtriq; enim ſuam potius voluptatem, quam vtilitatem cōmunem ſequuntur; dum ea ſubtilius tractāt, quæ non facile ad vſum reuocantur. Sed *Herbarum ſtudium.*

hic videbis credo, & exclamabis illud; ne ſutor vltra crepidam, fateor. Sed quid ad te dem ſtatim abituro aurigæ, niſi paginã his nugis compleam, non eſt in promptu.

Fulmina. De fulminibus magna ſunt, quę ſcribis, & ſane mihi multo terribiliora cometis ipſis videntur: quorum ego euentus, & ſignificationes nondum eos eſſe perſpicio, qui in illo meo ſcripto [illegible]futantur. Vides pro-

Cometa. xime lucentem, non ſiccitates attuliſſe, ſed nimiam humiditatem potius. Peſtem ſi eius ſobolem eſſe dices: quæram ex te, quo modo? ex aeris, inquis, putredine, aut potius ex putredine progenitis μιάσμασι. Quid cauſæ eſt igitur, quod multis locis, vbi maiores fuerũt pluuiæ, & aëris intemperies, quam in Bohemia; nulla tamẽ adhuc peſtilentia ſæuit? Sed nolo hanc diſputationem ingredi. Illud tantum dico, me prope in eam ſententiam abiiſſe, vt nõ

Peſtis cauſa. in aërem, ſed in cõtagium ex infectis corporibus peſtis cauſam proximam referendam eſſe exiſtimem. De quo ſi voles, alias verboſius cõferemus; præſertim ſi tu contrariam tibi tutandam partem ſumſeris. De medicamentis vera ſunt, quæ ſcribis: difficilis

difficilis eſt quæſtio, quæ cauſa fuit, vt ego eam ad te detulerim. Similium enim enodatio, à doctis & acutis, ac tui ſimilibus quæri debet. De vnguentis, recte accepiſti ſententiam meam; & tua reſponſio à mea opinione non eſt aliena, nimium his tribui vulgo, & nimio etiam plus, quam vſus & ratio (duo veritatis inueſtigandæ inſtrumenta) comprobant. Idem de amuletis & φίλτροις ſentio: de quibus equidem perlibenter tuam ſententiam audirem. Memini me aliquando Mercurialis, niſi fallor, ea de re ad te epiſtolam legere; ſed excidit è memoria. Dum tu mihi, per ocium, aliquid de iis rebus ſcribis, rogo te mone me de autore aliquo, in quo hæc pertractentur. De phlebotomia quæ ſcribis, ſi recte memini, bene & cum ratione refutantur à Maſſaria. Non ſolum quid ſit auricula, qua te notaſſe locum de morte Veſalii in Paræo ſcribis, non intelligo: ſed fruſtra diu locum illũ, quem index quoq; libri prætermittit inquiſiui; nec reperi. Sed vnde tu habes veram eſſe hiſtoriam? τὸ θεῖον Hippocratis aerem ſignificare contendit Galenus, & eos reprehendit, qui

Philtra.

τὸ θεῖον Hipp. quid ſit.

aliud eo vocabulo notare illum voluiſſe videntur, quod hodie paſſim fit, in rebus & euentis mirificis, quarum cauſæ euidentes & manifeſtæ, quum non appareant, ad occultam & abditam illam primam atque vniuerſalem cauſarum, cauſam confugimus. Sicubi notaſti τὸ θεῖον hoc quod tu, cum aliis aliquibus, quorum tamen non memini, ſignificare, oſtende mihi locum. Vale, meque ama. Vratisl. 21 Aug. 1582.

ANDREAS DVDITH AB HORE-
kouiza, &c. Wenceslao Raphano
Med. S. D.

GRATIAM tibi habeo de docta tua epiſtola. Nunc vero inſpectis tuis annotationibus non ſolum non dehortor, neque reprehendo ſtudium tuum, ſed vehementer laudandum eſſe cenſeo, etſi qua ratione poſſem, currenti etiam calcar admouerem, atque acriter vrgerem, vt tam bonam, tam vtilem, tam iucundam Medicis operam naues, ac lucubrationem iſtam tuam ad exitum perducas.

Næ

Næ tu aliam ingreſſus es viam, longe ab eorum inſtituto alienam, quos ego improbabam. περὶ τοῦ θείου pergrata mihi fuit annotatio tua: tum de φίλτροις. de quibus quæ Mercurialis tui fuerit ſententia non memini.

Diſceptationem tuam de καθαρτικοῖς auide exſpecto. Nam de περιάμμασι quidem probo ſententiam tuam: niſi quod τὰς τῶν φύσει ὄντων ἀντιπαθείας, καὶ ἰδίας τινὰς δυνάμεις, ἢ ἰδιοσυγκρασίας prorſus ne nihil eſſe fatear, vetant multa, quæ vſu comprobantur atque euincuntur. Nam, vt multa alia prætercam, quæ, obſecro, manifeſta vis eſſe tanta in opio poteſt, vt hominem vel tantilla eius particula exſtinguat? Opium] quæ in nuce vomica, vt canibus necem afferat? ac, quod nuper in vxore mea experti ſumus, præfocatione matricis grauiter laborante; quæ vis in caſtoreo eſt, vt epotum repente cruciatus omnes tollat, iactationes reprimat, matricem in ſedem ſuam retrahat, ibiq; ſiſtat; morbum denique omnem, cum acerbis, periculoſiſq; ſymptomatibus propellat? Cur alia medicamenta, in quibus eædem qualitates

Vires formæ ſpecificæ. ſunt, non idem profecerint, niſi vis illa à forma ſpecifica extitit, quæ vel per συμπάθειαν, vel ἀντιπάθειαν languenti præſentem & ſalutarem medicinam attulit? idque tam ſubito, vt merito τὴν τοῦ μεγίστου θεοῦ χεῖρα appelles. *Opium an frigidum.* Opium, ſi manifeſta vi agit, eaq; frigida, quid eſt cauſæ, cur aqua & nix, aut potius glacies (quæ natura ipſa ſunt ſummè frigida, ita quidem, vt nihil frigidius reperiri queat) non idem, multoq; citius efficiat? certè ſi quis magnam amphoram aquæ glacie permiſtam hauriat (quod ego feci non raro) nihil, aut certe parum incommodi ſentiat; nedum capitis vllum periculum adeat. Sic de nuce vomica dici poſſit, & de aliis. quamcunque qualitatem illi tribuas, qua ſuas actiones exerit, dabo alia mixta eiſdem qualitatibus prædita, in decupla δόσει; non tamen id, quod hæc perficient. Hic multa conquiri poſſent, quæ ad te ſcribenti nihil neceſſe eſt adferre (ſunt enim tibi notiora, quam mihi) *Vis occulta.* in quibus nemo occultam negare vim poſſit, niſi idem ſenſum ipſum vna neget. De quibus tamen tuam ego ſententiam audire malo. Veſalius non fuit vnquam exul,

exul, neque illa, quam Paræus innuit, cauſa ei fuit peregrinationis ad Chriſti ſepulchrum ſuſceptæ, ſed religioſum votum. Mortuus eſt febre ardenti in Zacyntho, cum iam reuerteretur. Quid dices de tuis carbonib. ſub abſinthio? quid de vnguento conſtellato? quid de mille aliis? vt de fabuloſo illo lapide, quẽ Medicus quidam huius vrbis deierat repoſuiſſe oſſa luxata, & confracta ſanaſſe Principi Bregenſi: alii quoque idem affirmant. Tu quid credis? Rogo te, vt mihi ſcripta mea primo quoque tempore per fidum aliquem amicũ, aut notum tibi hominem remittas. eſt amicus quidam meus, qui eorum legendorum deſiderio tenetur. Cenſurã tuam adde. Vale mi præſtantiſſime amice, meque mutuo ama. Vratisl. 22 Septembr. anno *1582.* *Lapis reponens luxata.*

ANDREAS DVDITH AB HOREKOuiza *&c. Wenceslao Raphano Med. S. D.*

IGNOSCES mihi, pro humanitate tua, quod libellos tuos tandiu mecum habui. Variis de cauſis tandiu eos retinui:

nunc remitto,& gratias ago. Addidi quædam paucula D. Simouii, quæ, tuo commodo, remittere poteris. Cometica non merentur tantam laudem. multa erant, quæ reprehendere poteras & meliora reddere. verum tu nimis occupatus es melioribus ſtudiis, & indulgẽs, ac minus quam oporteat, ſeuerus amicorum cenſor. Cætera in epiſtola tua valde me delectarũt; alios etiam quoſdam doctos viros. Placuit inprimis quod de opio annotaſti. Hoc etiam confirmat veterẽ opinionem meam: non eſſe temere veſtris Medicis credendum, quantauis autoritate prædi-

Lapis ſabuloſus.

ti ſint. De ſabuloſo lapide Eraſtus; cui nõ facile fidem derogo; dubitare videtur. Si tu ipſe mirificam eius vim obſeruaſti, tum demum, vt credam, adduci me patiar; etſi nulla ratio conſtat, vt ne de vnguento quidem illo conſtellato, vt quidem vocant; & de infinitis prope aliis admirandis medicamentorum effectionibus. Polanus commendatione tua mihi charus eſt, & erit poſthac; tum tua, tum fratris, tum ſua ipſius cauſa. adoleſcens eſt modeſtus, &, vt videtur, eruditus; beneuolentia

lentia valde dignus. Ne inanem epiſtolam remittas, (etſi nunquam hoc facis) quæſo ex te, num eſſe poſſit peſtis ſine febre;& an in peſte, quæ febre careat, tum in ipſa peſtillenti febre, initio, quum vires adhuc conſtant, ſanguis mittendus ſit. Nam viribus iam labefactatis nego prorſus mittendum eſſe. Peſtem autem ſine febre exiſtere poſſe, autoritatibus & experientia euincere poſſum: ne rationes quidem accuratius cogitanti deeſſe queunt. ſed ego te audire malo. Vale, meque, quod facere te perſuaſum habeo, ama. Ex patria tua nobiliſſima, *26* Nouemb. anno 1582.

Num peſtis ſine febre.

Num vena ſecanda.

ANDREAS DVDITH AB HOREKONI*Za &c. Wenceſlao Raphano Med. S. D.*

NON obliuione tui factum eſt; quem profecto in oculis fero; quod reſponſum tamdiu extraxi. etſi non defuerunt occupationes quædam; & ſunt etiãnum; quæ inuitum à literarum tractatione, iam ab aliquo tẽpore abſtrahunt; tamen hanc ego excuſationem neq; adferam, neque

valere apud te volo. Negligentia igitur, (fatebor enim) & quædam ignauia, ſilentii tam diuturni cauſam mihi attulit. Fieri fere ſentio in hac ingraueſcente ætate mea, vt grauatim admodũ ſcribam; & quum nullus reſponſum tabellarius vrget, qui ſe iamiam abiturum denunciet; perlibenter ſcriptionem procraſtino. Ad te multa ſunt, de quibus ſæpe referre conſtitui in medicis & philoſophicis cõtemplationibus: quum & doctrina, & ingenio tuo plurimum delecter, atque etiam adiuuari me ſentiam. Sed vides quanta ſit, quam ætas mihi adfert pigritia. De ſolicitudine tua, quam à beneuolentia in nos proficiſci ſentio, & gratias ago; multum, atq; adeo plurimum te amo. Filiola mea 46 die conualuit prorſus. hoc eſt febris eam illo die reliquit, nec poſtea rediit vnquam. ſtatim vt remedia omnia abiecimus, & naturæ, quæ morborum medicatrix eſt, totum opus permiſimus; non magnam de vita eius ſpem concipientes, indies rectius habuit, ac tandem plane reſtituta eſt. I nunc & Medicinam nobis ſalutarem eſſe contende. Pace mihi tua hoc

Morbus ſine medicina curatus.

dicere

dicere liceat; quod ſi lubet, & ocium eſt, refutes licet. eſſe quidem ad contemplationem ars veſtra iucundiſſima etiam mihi videtur, ſed non ita vtilis, nedum neceſſaria, vt vulgo habetur. Qui eam contemnunt populi præter cæteros, & firmiore ſunt valetudine, & vitam longiorem viuunt. Exempla & vetera ſunt in promptu, & recentia in oculis, ſi eos circumferas per terrarum orbem vniuerſum. Quæ cauſa fortaſſe fuit Romanis, vt totis ſexcentis annis, Medicis carere voluerint, quibus ciues valentiſſimi fuerunt. Hic tu, ſat ſcio, malos Medicos, & abuſum artis cauſabere: ego autem ipſam incertam eſſe, ac proinde periculoſam, minuſque neceſſariam contendo, etiam ſi ab opt. & ſcientiſſ. Medicis exerceatur. Quanta enim obſecro tẽperamẽtorum, & ἰδιοσυγκράσεων vanitas eſt in ſingulis hominibus, quin idem homo, ob perpetuum ſubſtãtiæ ſuæ effluxum, vt ſic dicam, quam ſingulis à ſeipſo momentis diſſidet, atq; à priore conſtitutione ſua diſcedit? Deinde materiæ medicæ; quo veluti inſtrumento quodam ad ſanitatem ſcilicet procurandam vtimi

Populi carentes medicis, firmiſſima valetudine.

Romani ſine medicis.

Materia medica ignota.

ni; quis propietates illas indiuiduales, vt vocant, plene perſpectas habet? Ac ſi quid etiam generatim, tum de naturis hominum, tum de pharmacis præcipitur, quis tam eſt felici ingenio, atq; exquiſito iudicio præditus, vt illa recte & ad amuſſim inter ſe aptare, atq; accommodare queat?

Ars tota coniecturalis.

Coniecturalis eſt ars veſtra tota, & per mortes hominum, vt ille inquit, experimenta facit. Vide autem quanto cum periculo coniunctum ſit, ſi quis coniecturis fretus incertis, vitam ſuã tam dubiæ aleæ ſubiiciat: præſertim cum in dies animaduertamus, magnos illos morbos, apoplexiam, epilepſiam, hydropẽ, articulorum morbos, nephritin, alios etiam, nunquam à Medicis percurari. Nam ſi curantur aliquando, id certe nõ fit Medicorum opera. Multos enim reperias, qui eam ne expetant quidem, quod inutilem eſſe videant. Finem faciam, ſi prius hoc vnum addidero, quod ipſum fortaſſe in Plinio eſt argumentũ. Omnis morbus vel eſt lethalis, vel curabilis. Vtrumuis capias, nõ eſſe neceſſariam medicinam concludes, imo prorſus inutilem. Nam qui natura lethalis

Morbi incurabiles.

eſt

eſt, nulla arte curari poterit. qui viciſſim curabilis, non requiret Medici operam. Scio quid hic reſpōderi poſſit, de mediis. quod in prædeſtinationis quoq; controuerſia adferri ſolet, ſed illa videntur eſſe κρησφύγετα. Nā, ne quid aliud regerā, quid dicas de iis locis, in quib. nec Medici, nec media vlla alia ad manum ſunt? erunt ne morbi omnes vel curabiles, vel lethales? neceſſe eſt enim vt vel in ſanitatē omnes, vel in mortem deſinăt. Si dices nullā eſſe gentem tam incultam, quæ remediis quibuſdam ſuis non vtatur: hinc quoque id, quod volo efficiam; non eſſe illam, quæ veſtris libris continetur medicinam, ideoque non neceſſariam. Sed longius, quam conſtitueram profectus ſum. Credo me alias quoque in hanc ad te ſententiam ſcripſiſſe aliquid, vt acumen tuum excitarem, & robur virium tuarum irritarem, vt hos, quibus ars tua oppugnatur, arietes repelleres. Venio ad quæſtionem tuam. in qua equidem tuam audire, eique ſubſcribere, ſententiam malo, cuius acrimoniam iudicii, & doctrinam, atque diligentiam nihil pene fugit,

De peſtis præſeruatione. Quibus rationibus adducti Medici præceptum Gal. ad peſtis præſeruationem, & curationem transferant, non video: niſi forte eo reſpiciunt, quod in tam acuto, & pernicioſo morbo non ſatis relinquitur temporis ad contrahendum quaſi habitum quendam, ab antidotis impreſſum, quo tanto reſiſti veneno poſſit. Itaq; mutanda ſæpe pharmaca cenſent, vt nouis ſemper ſubſidiis cordis vires tueantur, quum non tantum in vno aliquo antidoto præſidii poſitum eſſe exiſtiment, quantum ſatis ſit ad tam potentis hoſtis copias debellandas. Illam ego cauſam, quã vulgo adferri video, ne ſcilicet natura aſſueſcat, &c. nullam eſſe puto. exemplũ quoque de Mithridate inter ea repono, quæ *Mithridates.* veteres ſatis multa reliquerũt, in quibus ἐπέχω, donec noſtra experientia fidem eorum faciat. Scio enim multa pro indubitatis circumferri, quæ ſunt fabulis inaniora. Sed hæc, vt dixi, tuo iudicio permitto, & rogo maiorem in modum, quod antehac quoque feci (ſi recte memini) vt mihi quum otium erit, certis quibuſdam capitibus comprehenſam pharmaca miſcendi

di doctrinam deſcribas. Nam ea pars medicinæ neſcio quo modo mihi omnium videtur eſſe difficillima. Doſes, quas vocatis, etiam, vnde ſumendæ ſine errore poſſint; tum quos inprimis ſcriptores, qui hanc artem perſecuti ſint, probes, nõ grauate mihi indices. Quos à me libros petiiſti Eraſti, crede mihi, non poſſe hic reperiri, niſi me ii fallunt, quorũ opera vſus ſum. Vidiſtine Mercenarii philoſophi Patauini librũ cõtra Eraſtum de putredine? quo de argumẽto ſcripſit magnum opus contra eundẽ Eraſtũ Simonius. Sed nondum in lucem emittit Ingolſtadienſis typographus. ex eo, cum hic eſſet, ego raptim aliqua decerpſi, quæ tibi legenda mitto; vna cum Cratonis quibuſdam, & eiuſdem Simonii paradoxorũ capitibus, & ſi quid aliud ad manũ habebo. de quibus tuum mihi poſtea iudiciũ patefacies, & hæc mihi remittes. Nunc, ſi nondũ vidiſti, ecce tibi Fernelii conſilia, quæ attigi tantum, non perlegi, vna cum Doncellino. O quam ieiuna Ferneliana mihi viſa ſuut, quum Montani conſilia aſpicio. Si Trincauella prodibit, qui nunc ſub præ-

Mercenarius in Eraſtum.

lo gemit, non dubito, quin abſolutiora omnia habituri ſimus. quamuis vides, credo, meam audaciam, & illud fortaſſe tacite occinis. Ne ſutor. Rogo te, quum hæc mihi remittes, aut etiam antequam remittas, ſi adhuc carere potes Peuceri algebra manuſcripta, quam hic diu habui, nec deſcribi potuit, adhuc mihi mittas, vna cum Mercurialis de compoſitione medicamentorum, aut quem maxime ex tuorum præceptorum dictatis probas; tum ſiquid vel manuſcriptũ, vel impreſſum Paterni de humorum purgatione habes. Noſter Hennemanus indies mihi doctrinam & bonitatem ſuam probat. Item Petrus Monauius, qui in Cæſaris aula medicinam facit. Si lubet ad eum ſcribere, ego literas curabo. Ingenio & doctrina valet, ac multa habet, quæ à viris doctis accepit experimenta. Non inutilem & vobis, & mihi quoque veſtram συζήτησιν fore autumo, vt duorũ præſtantium virorum. Crato ei quicquid vel ſua induſtria comparatum, vel aliorum opera conquiſitum habet, libenter communicat. Neſcio an tibi vnquam de colico

meo

meo dolore ſcripſerim. Intra hoc biennium quater iam me male accepit. rogo te ſi quid habes, quod propria experientia comprobaueris contra hunc morbum, vt mecum communicare non graue ſit. Quæro ex te, vtrum febris ſuperueniens acutis morbis, vt peſti, ſit morbus, an ſymptoma. II. Vtrum peſtis abſque febri exiſtere poſſit. Nam quum ſani homines, nullo vllius caloris ſenſu percepto repente exanimati concidunt in ipſis compitis (quod fieri aſſolet in peſtilenti aeris conſtitutione) non video, quomodo febri laboraſſe dici queant. III. Vtrum in omni peſte aerem infici neceſſarium ſit. Opera Fernelii omnia recuduntur Pariſiis, cum multarum rerum appendice, & 400 minimum conſiliis Medicis. Valleſius quoque, quem Crato emiſit, ſuum opus multis partibus auctum Plantino excudendum miſit. Vale feliciter, & reſcribe πάντα περὶ πάντων. Breslæ 19 Iunii, anno 1583.

Problemata medica tria

ANDREAS DVDITH AB HOREKOVIZA &c. *Wenceslao Raphano Med. S. D.*

DOLEO tam eſſe me parum fortunatum, vt intēpeſtiua fuerint mea munuſcula. quæ tamen tibi grata accidiſſe, gratiſſimum eſt. De ſeminibus magnam humanitati tuæ gratiā habemus. nihil eſt, quo vos remunerari hoc tempore queamus. Sententia tua de fiſtula illa hæmorrhoidali plane cum mea congruit, vt ex epiſtola mea colligere potuiſti; quam ego nūc firmius tenebo, quum abs te, doctiſſimo viro, confirmari eam, & bonis cōſtabiliri rationibus videam. Si vnum diē anteuertiſſet epiſtola tua, poterā tibi maius fruſtum ex eo piſce mittere, quē petebas. hic quod ego ſciam, nunq̃ his quinq; annis, quibus hic viuo, huius generis piſcis venum expoſitus fuit in piſcario foro. In deſtillationibus capitis, cum tuſſi coniunctis, probaſne vinum, & laconicū, vel balneum in labro, ſine ſudatario? Sin, vt puto, improbas, cauſas mihi explica breuiter ſententiæ tuæ. Gratias tibi ago de conſilio; quo tamē vti non licet, niſi puellam enecare cogendo vellemus. quæ alioquin iam, quod nō ſiccis oculis ſcribo, ita eſt diuturno hoc morbo afflicta, & debilitata, vt

In catarrho num vinum & balnea proſint.

ta, vt

ta,vt nihil pene cauſæ videã,quam obrem bonum eius exitum ſperare debeã. emaciata eſt mirifice, nihil ſanguinis in facie apparet, ac ne in labellis quidem viuidus ille, & roſeus color amplius viſitur. nihil remittit rigor, ardor etiamnum quotidie miſellum corpus excoquit. Cibũ non appetit, niſi noxium:non alium potum in os ſibi ingeri patitur, q̃ cereuiſiam tenui illo, quem ego languorem,alii *Langweil* vocãt permiſtam & temperatam. 22 iam diem ſic affligitur. D. Crato ſuadet, vt mane aquæ cuſcutæ duo aut tria cochlearia ei iniiciamus. Verum hoc quoq; inane ſtudium noſtrũ erit, ſat ſcio. Experiar tamen cras, Deo dante, etſi ſcribunt veſtri, niſi fallor,calidam & ſiccam eius plantæ vim eſſe,& hæc puella ſatis per ſe exſiccatur,& vritur à pernicioſa illa flãma, quę ipſas iã medullas eſt. O quam timeo, ne morbus hic in hydropen deſinat,quã non ita multo poſt mors excipiat. Quæ carpis & arteriis manuum alligantur,neſcio an id præſtare poſſint, vt incẽdium,quo epar, & interiora abſumuntur, exſtinguere queant. Vt primum nactus ero Fernelii conſilia,

An quæ alligantur carpo cor introrſ, aut epar.

& ſi quæ ſunt alia generis eiuſdem; quæ tibi grata fore intelligam, propere ad te volabunt. Amandus nullam mihi diſputationem oſtendit, quod obliuione factū puto. Libenter equidem legiſſem, nihil enim eſt mihi optatius, quā vt noui ſemper aliquid, quod doctum ſit, videre & examinare poſſim. hæc mea eſt voluptas, hę delitiæ, quibus lauta amicorum conuiuia, & à multis expetitas magnatum familiaritates (quas ego cupidiſſime fugere ſoleo) longiſſime poſtpono. Si eſt adhuc ad manum, mitte rogo. oportet enim eſſe aliquid, quod tibi non diſpliceat, cuius ego doctrinam, & acumen magni facio. Vale feliciter, meque amare perge, & amicos tuos & meos ſaluta. Breslæ, 1 Martii, anno 1583.

MAGNIFICO DN. ANDREÆ DVDITH *ab Horecouiza, &c. Th. Eraſtus Med. S. D.*

HOc ipſo die, cum inter libros chartaſq; aliud quærerē, literas tuas quas ſuperiorib. ſeptimanis fruſtra ſæpius quæſieram, reperi. Itaque gaudio affectus ſtatim

tim iis relictis ad reſpondendum me accinxi. primũ tibi gratias ago ſummas pro tua beneuolentiſſima erga me voluntate. Quod tibi, vir ſumme, aliq̨d eſſe videor, totum hoc tuo erga me amori tribuo, mihi nihil eorum arrogo. Paradoxa quoque non conſector, & quæ à pleriſque probari video, non ante damno, aut reprehendo, quam ſæpe diligenterque apud me examinaui, & excuſſi, aliorumque de mea opinione cogitationes atq; argumenta expendi. in eo ferme ſum totus, vt quæ antiquis recte tradita, & à poſterioribus negligentius exculta depræhẽdi, ad examen reuocem, & diiudicanda aliis proponam. Scripſi theſes de contagio, putredine, morbis totius ſubſtantiæ, quas te iam habere ſuſpicor. ſunt enim editæ. Conſcripſi etiã de ſomno, melancholia & conuulſione, quæ vulgatæ nondũ ſunt. Et in poſtremis cõfuto ſententiã omnium certiſſimis demõnſtrationibus, at nõ proinde certis fortaſſe, quid ſentiẽdum ſit doceo. Fores nihilominus patefacio aliis, aut viã indico, rectius cogitãdi. Statui otium nactus fuſiorem omnium declarationẽ proponere,

& obiecta, quæ vel ipſe finxi, vel ab aliis clariſſimis medicis & philoſophis excogitata accepi, dilucide explanabo: vt vnicuique liceat de tota cauſa ſententiã dicere. De epilepſia præter illa, quæ in 4 parte Antiparacelſ. diſput. habentur, nihil ſcripſi. Compendium artis noſtræ anno 1563, in feriis canicularibus extra ordinem auditoribus expoſui, neq; id ſcripto cõprehendi, poſt annos decem, aut his amplius exemplum à quodam accepi, vt auditores exceperant, quod ego factum fuiſſe prorſus neſciueram. Velim certe tantum mihi otii dari, vt recognoſcere liceret. Fortaſſe prodeſſe aliquibus poſſet. Interpretatus ſum annis ſuperioribus aphoriſmos Hippocratis & ꝓgnoſtica, ſed pro more meo, ne verbum quidẽ habeo notatum. Fuere tamen ex diſcipulis aliqui, qui quam potuerunt diligenter exceperunt. Miſi nunc Baſileam libellum de ſtrigibus, quem inuitus ſane ſcripſi, ac reſpondere cuidã coactus effudi verius, quam ſcripſi. Spero tamen nec aduerſarium, nec quenquam alium porro litem mihi de hac re motutum. Bene vale, die 14 Sept. anno 1577.

D. PE-

D. PETRO MONAVIO, MEDICO *Cæſareo &c. Thomas Eraſtus Med. S. D.*

QVIA heri veſperi præter opinionem rediit Baſilea veſter tabellarius, tempore quo tum propter diſputationem, & lectionem, tum alias occupationes plurimum fui diſtractus, non mihi, licet maxime volenti, plura licuit. Velim ſcire nũ & tu meas acceperis, & generoſo D. Dudithio ſuæ redditæ ſint. Ei meis verbis plurimam (vna cum fratre tuo domino Iacobo, quem propter egregiam pietatem in oculis & corde fero) ſalutem dicas te etiam atq; etiam oro. Refer præterea Pernam iterum impreſſurum eius iudicium de cometis, eiq; adiuncturum meum non nihil auctum & correctum monitu tuo, & Squarcilupi diſputationem, vna cum reſponſione mea. Aliud iam addere non poſſum. Mitto tibi, domino Dudithio, & fratri tuo, ſi his rebus forte delectatur, exemplum diſputationis de humorum nutritione, quæ vox per negligentiam in titulo eſt poſita, cum in actiua ſignificatione poſita ſit, & in paſſiua magis

vſurpetur. Præterea in theſi 31 nihil quidē dixi falſi, ſed non probaui, quod debui. Sola verba ex Galeno citata ad rem faciunt. Quid dicam aliud, quam me dormiuiſſe? Non animaduerti, niſi cum iam excuſæ eſſent. Probatio magis cōtinetur in 32. Hæc vos monere placuit, ne putetis me pudere erratorū meorū. Vale feliciter, & me ama. Dat. 16 Nouemb. an. 1579.

PETRO MONAVIO, MEDICO *Cæſareo &c. Thomas Eraſtus D.*

S. D.

LIteras tuas, vir clariſſime, à te iſtic 17 Decemb. ſcriptas, hic mihi reddidit tabellarius veſter, ante dies plus minus 14. Reſponſum quia exſpectas, breuiter ſic habeto. Dixi omnia illa, quæ certi vſus gratia à natura producta ſunt, potentia & operatione eius vſus definiri: quod apertis Ariſtotel. & Galeni teſtimoniis probaui. (licet opus non ſit probatione apud illos, qui rem ipſam æſtimant) & tu verum eſſe nō inficiaris. Hoc dubitas, quale nam opus qualemque potentiam intelligam? Reſpondeo, illam me intelligere potentiam, & operationem, cuius cauſa facta eſt

Naturalia de ſumuntur à potentia

res

res quælibet. Patet hoc ex ſentẽtia, quam ex 1 Politic. citaui, quæ ſic habet: ἡ δὲ φύσις τέλος. οἷον γὰρ ἕκαστόν ἐστι τῆς φύσεως τελεσθείσης, ταύτην φαμὲν τὴν φύσιν εἶναι ἑκάστου, ὥσπερ ἀνθρώπου, ἵππου, οἰκίας. Cũ ergo quodnã opus intelligã quæris, vitalene an temperamentale? Reſpondeo, ſi perfecta eſt radix Rhabarbari, cum bilem ſubducere poteſt, ſine vita, hanc potẽtiam eius dico eam eſſe, quam ipſam definiri oportet. Sin autem perfecta prius non eſt, quam vitæ opera exerceat, ſibique ſimile generare, & nutriri poſſit, vitæ operatione ac potentia definiendam aio. Hic tu me putas mecum pugnare, quia præcipuum opus Rhabarbari videatur eſſe humoris biliosi expurgatio. Falleris, ſi hanc vim putas eſſe Rhabarbari, quoad eſt ſui generis plãta, extremam perfectionem. Sic tu formam & operationem tritici, animalium omnium facies virtutem alendi. At non alunt hæc, ſicut nec Rhabarbarum purgat, priuſquã forma ſua orbata ſunt. Non ſequitur; animalia propter id facta ſunt à Deo, vt homini in cibum veniãt, ergo hic vſus, eſt naturæ ea producentis finis. Perfectio & finis a-

Frumenta nõ alunt, niſi orbata vita.

nimalis cuiuſque, quoad tale eſt animal, & per ſe conſideratur, non comparatione vſus, quem aliis exhibet, eſt ipſa eius forma ſeu potentia, per quam illud agere poteſt, quod pro natura ſua agere debet. Et hic finis dicitur ab Ariſtotele finis ἧ ſeu cuius. Cũ deinde quatenus vſum certum aliis præſtat, conſideratur, finis talis vocatur ab eodem finis ᾧ ſeu cui. Si hos fines apte diſtinxeris, facile te explicabis ex hac difficultate. Rhabarbari finis naturalis cuius, eſt ipſa eius ſubſtantialis perfectio ſeu forma, finis cui, eſt purgatio, ſicut animalis, quod alit, finis cuius eſt, ſua cuiuſq; perfectio, finis cui eſt, vt alat hominem. Non poteſt autem tum hoc alere, tum illud purgare, niſi vita ſua ſpolientur. Vnde recte dixi, non Rhabarbarum, ſed huius cadauer purgare. Quod ſi vſum hunc nobis præſtaret vitæ operatione, quomodo equi nobis viuentes, non mortui, vtiles ſunt ad equitationem, alia non nihil eſſet ratio. Quæris amplius, cur mortuus homo dicatur ὁμωνύμως homo, Rhabarbarum autem tum demum vere vocetur Rhabarbarũ, cum vita priuatum eſt?

Perfectio animalis in quo.

Finis duplex.

Quæſtio.

eſt? Nego tibi vel bouem mortuum, cuius carnibus veſcimur, vel Rhabarbarum anima ſeu vita deſtitutum, proprie vocari bouem, aut Rhabarbarum, cum nec ille bouis, neque hoc Rhabarbari potentiam & operationem retineat, licet illius cadauer nos alat, huius nos purget. Diuerſitatis ratio eſt, quod hominis finis vterq; conſiſtit in eius vita, vitæq; operationibus. Rhabarbari autē finis cui, non in his, ſed in huius cadaueris vſu conſiſtet. Bos quatenus arat, ſi mortuus ſit, ὁμονύμως dicitur bos: at quatenus nos alit, non dicitur bos, ſed potius cadauer, ſiue alimenti vſum præſtare non poteſt, quatenus bos vere eſt. Summa eſt, quæ mortua vtilitatē nullam nobis adferunt, ea non admodum ſolemus eiſdem nominibus efferre, viuentia & mortua, ſed vel alio nomine appellamus, vel addimus mortuum, vt equus, vel homo mortuus. Quæ autem mortua egregiam vtilitatem exhibent, frequenter eodem nomine donamus viuentia & mortua. In plantis hoc eſt vſitatiſſimum, itemque in alimentis. Dicimus enim nos edere gallinas, turdos, piſces, non autem

horum cadauera. Tunc enim cadauera ferè vocamus, cum non amplius edi poſſunt. Quod aliam eſſe totorum, aliã rurſus partium rationẽ, vt oculi & manus, omni caret ratione. An enim mortuus homo, equus, bos, arbor, &c. minus dicitur ὁμωνύμως homo, equus, bos, arbor; quam mortua manus, pes, oculus, ramus? Ariſtotel. verba nõ legiſti, 2. de anima 1, cũ ſic ait? εἰ γὰρ ἦν ὁ ὀφθαλμὸς ζῶον, ψυχὴ ἂν αὐτοῦ ἦν ἡ ὄψις.

De metallorum vita. Quæ de metallorum vita diſputas, indigna certe ſunt, de quibus verba inter nos tot commutemus. Nulla gens, nulla lingua, nulli docti, ne ſacræ quidem literæ vitam eis adſcribunt, qualis ineſt animalibus vel plantis. Cum eis analogum cordi tribuis, non animaduertiſſe videris, ea ſic frequenter cum ſua gleba permiſta naſci, vt oculis ſeparari nequeant. In iſtis minutioribus particulis, quam ſint pulices, quid tu corculi fingis? ſi quæ in ipſis eſt facultas, vis aut forma, tibi animam appellare aut vitam lubet, te aut falſum credere, aut nimis audacter nominibus abuti noris. Ad me quod attinet, non facile porro ad hæc tibi reſpondero, cũ neq

vtili-

vtilitatis, nec probabilitatis aliquid habeat ea diſputatio. Qui per additamenta cõcreſcere negat matrices eorum, (vt vocant) paucas aut negligenter inſpexit. De humanitate quoque plura non addam. ſi quæ res eſt, quæ conceptui huic extra intellectum reſpondeat alio modo, quam nuper ſcripſi, etiam animalitas, & leonitas, & plantitas, &c. exſtare perhibebitur. Quid θεῖον in morbis ſignificet Hippocrati, expoſitum à me eſt alibi, & à Galeno ſatis fuit declaratum. Vocat ita temperiem aeris peculiari & latente modo corpora lædentem: Hanc ſi à temperie morbida nota ſeiungere ac diſcernere tibi libet, modo certum & nobis non incognitum gradum intẽperiei fatearis, nominare tibi vt libet poteſtatem cõcedimus: at ab autoribus horum morborũ non te receptũ iri, ſi ab hypotheſi ſua recedere nolint, tibi affirmo. De qua re, quia itidẽ ſatis dixi in proximis literis, plura hic nõ addã. Non eſt opus vt repetã ſuperiora de contrariis, dum modo meminiſſe poſſis, me de contrariis proprie ſic nominatis locutũ ſemper fuiſſe, non de priuatiue oppoſitis, qualia ſunt

θεῖον in morbis.

mors & vita. Longe alia eſt illorum, quam horũ ratio: licet in aliquibus conueniant.

Vaticinia ex cometis.

Vehementer miratus ea ſum, quæ de vaticinio ex cometis ſumpto aſſeris. Quis hominum affirmare audebit, Mathematicum ex ſuę ſciẽtiæ principiis de rebus contingentibus futuris præſagire poſſe, aut conari vnquam voluiſſe? An Mathematicos neſcis ſolius quantitatis paſſiones in abſtracto conſiderare, & circa motũ & quantitatem duntaxat verſari? Non contemplantur motum, ſicut Phyſici, ſed modo eis proprio.

Affectiones ſyderum quales.

Effectiones autem ſyderum & cœlorũ particulares, quæ in hoc mundo naturaliter fiunt, tam non conſiderat ex ſcientiæ ſuæ principiis Mathematicus, vel Aſtronomus, quam non æſtimat aut ſpeculatur eas ex artis ſuæ principiis ſartor, aut ſutor, aut textor, &c. Mathematicæ ſciẽtia verſatur circa τὰ ὄντα ἐξ ἀφαιρέσεως. Phyſicus τὰ ἐκ προσθέσεως ὄντα rimatur. Sed quid verbis opus? Euẽtus Phyſici rationibus & principiis Phyſicis iudicantur, nõ mathematicis. Quod ſi iam ex ſacris literis monſtrari poſſit, Deum voluiſſe, vt cometa quilibet hoc aliquid præſagiat, nõ iam negabimus

mus, eum illud ipſum prænunciare, licet ex ſua natura hoc præiudicare nequeat. Exemplũ produxi de iride. Dum nõ oſtenditur, particulare nihil certi præmõſtrare dicimus, imo naturaliter eos non præſagire, quæ Aſtrologi inſcitiſſime præfigurare aiũt demonſtramus. De iride quoq; recte probare poſſumus, eũ naturaliter tam nõ indicare hoc, quod ſcimus eũ nobis in memoriã reuocare, quã non diſterminat agros ex ſua natura lapis, qui ad hoc nõ eſt ex pacto deſtinatus. Falleris igitur, cũ non ſatis diſerte me de his differere opinaris. Video te vel natura, vel quod magis credo, inſtitutione ad aſtrologos, & chemicos mirabilia pollicentes inclinare. At rectius & vtilius facies, ſi ſolã rationẽ ducem ſequeris, inanib. pollicitationibus te à via abduci nõ patieris. Venio ad nouas obiectiones. Theſes tibi obſcuriores viſas ais, quia non diſerte explicent, de quibus, & quomodo affectis humoribus potiſſimũ loquar. Ego vero nihil in eis puto diſertius & explicatius dictũ. Dico enim ſolum ſanguinẽ nutrire, bilẽ tum flauã omnem, tum atrã ſiue nigrã (excepta ea, quæ lienẽ

Iris.

De humoribus qui nutriant.

alit) tum pituitam non nutrire, ſed excrementa eſſe dico. Vbi autē, inquis, ſanguis ille in corpore integre ſano reperitur? Vbiq; reſpōdeo. Sed vt ſanus à ſano differt: ita vnius ſanguis ab alterius ſanguine diſtat puritate & impuritate. Nego tibi in corpore integre ſano cum ſanguine inueniri bilem alterutram, vel pituitā miſtam. Et ſi permixti ſint iam nominati humores, nutrire eos nego, ſed excrementa alimenti veri eſſe conſtanter aſſeuero. Sanguis purus ex Galeni opinione, imaginatione ſola datur, reipſa non reperitur: quam ego imaginationem toti naturæ aduerſari optime noui. Et cum aliquid ei humorum permiſtum eſt aliorum, alere eos non poſſe, iterum dico, ſed, niſi vacuentur, morbos creare affirmo. At, qui ex perfecte etiam ſanorum venis emittitur ſanguis, indicia omnium humorum commonſtrat. Nego tibi verum hoc eſſe. Non enim ſanguis lentus & aqueus pituita eſt; nec craſſiuſculus continuo melancholicus eſt: ſed toto genere differunt, vt aquoſus ſanguis & pituita, ita etiam craſſus & melancholia. Nullam ne pones in ſanguine latitudinem, qui

in cunctis eam rebus inficiari non audes? An idem ſunt pituita & caro frigidiuſcula & lenta? Idem ne dices carnem craſſam & nigram cum melancholica? Non arbitror: niſi abuti omnino velis & nominibus,& rebus, quęque diſcreta & diſtincta ſunt naturis cōfundere ſtatutum habeas. Sanguis ſanguine craſſior, tenuior, humidior, ſiccior, candidior, nigrior aut flauior ęſt, vt tamen intra ſanguinis latitudinē omnes adhuc contineantur, nec alieni humoris nomen & definitio eis cōpetat. Itaq; non adimo libertatē cuiquam nominādi humores, vt ei libet, ſed ne ſimile idē eſſe iudicet, moneo. Aliud eſt re, & definitione ſanguis craſſus & niger à ſucco melancholico: aliud itē ſanguis flaueſcēs tenuis & calidus à bile flaua. Diſcrimē ob id non in vocibus, ſed in ipſis rebus hæret. Nec ſatis eſt, quod neminē putas tam longe à recta ratione aberrauiſſe, vt ſtatuerit bilē flauam illā, quæ in veſicula continetur, cum ſanguinis maſſa rurſus cōmiſceri, adq; nutriendū certas partes diſtribui. Qui enim in ſanguinis generatione ortā bilem non omnem à veſicula ſecerni, ſed partē eius

aliquam re & ſubſtantia non differentem ab ea,quę ab ea attracta fuit,relinqui cum ſanguine commiſtam aſſerunt, certaſque ab eadem illa partes nutriri tradunt, quid quæſo aliud docent? Quod de bile dico, de aliis intelligere te pariter iubeo. Nego tibi,negaboq; ſemper omnibus,dum probatū non videro, ex quatuor humoribus vnū ſic fieri,vt inſeparabili modo in vnam maſſam coeant.Non magis in vnū corpus concreſcunt quā ſi vinū, aquam, cereuiſiam &c.miſceas,& ex eis vnū aliquid ſubſtantia factū putes. Si ergo priores à recta aberrant ratione, poſteriores exorbitare non grauate cōcedes, vbi rem expendetis. Præparatio ferri aut chalybis, vt lienē deobſtruant,non eſt operoſa aut difficilis. Ablui iubeo in aceto, vino, aqua, prout res poſcere videtur,tamdiu vt aquam non amplius inficiāt, deinde trita miſceo cum pharmacis aliis ad rem pertinentibus, & hoc modo exhibeo, non metuens, vt in venas rapiantur. Item igniri iubeo, & in vino aut aqua exſtingui aliquoties pręcipio,vinumque bibendo propino. Item in vino limatum chalybem cum aliis macerandum

Humorum miſtura.

Præparatio ferri & chalybis.

randum præbeo, & vinum potãdum affe-
ro. Lapis ſabuloſus vulgo apud nos dici- *Lapis ſabuloſus.*
tur Beinbruch nomine contrario; quod
ſcilicet fracturas curet. Dicitur etiã Bein-
wall ab aliquibus, oſteocolla ſcilicet. Mo-
rochtus eſſe nõ poteſt, vt qui in ſuccũ ſo-
lubilis non ſit, inſtar morochti veri, qualẽ
ipſe habeo. Semper enim ſeruat ſabuloſi
& terreni quippiã noſter: nec alibi, quam
in arenis naſcitur: quæ eius eſt materia.
Mitto eius tibi fruſta aliquot. Vtendi mo-
dum in Antiparacelſicis tibi & aliis forte
ſatis deſcripſi. Mitto tibi materiam noua-
rũ cogitationũ de pinguedinis tũ genera-
tione, tũ concretione. Oblitus erã ſcribe-
re de viribus rubiæ, & balneo formicario,
de quib. ſuperioribus menſibus interro-
gaueras: atq; ego nunc caſu inſpectis lite-
ris illis in mentem reuocaui. De rubia ita *Rubia.*
mihi ſatis fecit Dodonęus, vt magis nõ poſ
ſit. Me certe, cũ in eo legi, excitauit, vt in-
quirerẽ. Itaq; rem habere deprehendent
omnes, qui periculũ facere quouis modo
volẽt. Sed recentẽ guſtare oportet. Arida
namq; propemodũ ſaporis expers eſt, in-
ſtar ligni. Patet hinc, quã ſæpe falli illos o-

ſi non coactus fuiſſem attentius & ſæpius perlegere. Spero autẽ me operæ precium & rem gratiſſimã atq; vtiliſſimam ſtudioſis facturum. Quippe docebo eos, quæ à paucis adhuc animaduerſa ſunt & cognita. Hæc habui, quæ occaſione huius tabellarii data ad te ſcriberẽ. Te oro, vt D. Cratonẽ officioſe ſalutes. Dominus Iheſus tibi vna nobiſcũ ſemper vt adſit oro. amen. Datæ Baſil. die 18 April. anno 81.

PETRO MONAVIO, MEDICO CÆſareo &c. *Theodorus Zwingerus, S. D.*

TE viuere & valere ex animo lætor. Cœptis aſpiret ille, ſine cuius numine nihil eſt in homine. Hippocratis mediam partem iam abſoluimus, noſtri ſcilicet in illum laboris, vel ſaltem conatus. cuius quo maior eſt expectatio, eo mihi ingratior, mihi crede, qui tenuitatem meam agnoſcam, & cum latere maxime cupiam, neſcio tamen quo Reipublicæ iuuandæ ſtudio in mediam hominum lucem vel laruatus interdum præter inſtitutum efferar. Neque vero & imperitiæ & ignorantiæ crimen refugio, dum

mea

mea hac audacia ſtudioſi excitētur. Hocque ipſum clariſſ. viro D. Hermanno renūciari cupio. χρηστὰς δ᾽ ἂν οὐκ ἀκροατὰς me tales exoptare. Rungius diſcedēs in ſumma feſtinatione, nihil ad te reliquit. Callide nimirum veſtra vos nomina honorario inſcripſiſtis poculo, ne remittēdi occaſio relinqueretur. Prodigalitatē ego veſtram minime laudo, ſed amicæ interim voluntatis teſtificationem, cum vobis ita viſum eſt, amplector. Tibi, mi Monaui, vitam & incolumitatem precor. Salutant te noſtri, inter eos qui Academiæ nunc præeſt D. Stupanus. Vale, & D. Hermanno, fratri tuo, & idem Heſſo plurimam ex me ſalutem. Baſilea, 18. Aug. anno 1578.

PETRO MONAVIO, MEDICO *Cæſareo, &c. Theodorus Zuingerus Med. S.D.*

DE Theophraſteis quæris, qua legenda methodo, ea nimirum, qua verum à falſo diſcernitur. Quo ordine? Vt ingenue fatear, vel tantus Doctor (vt tibi & neſcio quibus aliis amicis videor) tantillum ignoro. An qua data porta ruūt? an τὰ ὕστερα *Quo ordine Theophraſtica legenda ſunt.*

mors & vita. Longe alia eſt illorum, quam horũ ratio: licet in aliquibus conueniant. *Vaticinia ex cometis.* Vehementer miratus ea ſum, quæ de vaticinio ex cometis ſumpto aſſeris. Quis hominum affirmare audebit, Mathematicum ex ſuę ſciẽtiæ principiis de rebus contingentibus futuris præſagire poſſe, aut conari vnquam voluiſſe? An Mathematicos neſcis ſolius quantitatis paſſiones in abſtracto conſiderare, & circa motũ & quantitatem duntaxat verſari? Non contemplantur motum, ſicut Phyſici, ſed modo eis proprio. *Effectiones ſyderum quales.* Effectiones autem ſyderum & cœlorũ particulares, quæ in hoc mundo naturaliter fiunt, tam non conſiderat ex ſcientiæ ſuæ principiis Mathematicus, vel Aſtronomus, quam non æſtimat aut ſpeculatur eas ex artis ſuæ principiis ſartor, aut ſutor, aut textor, &c. Mathematicæ ſciẽtia verſatur circa τὰ ὄντα ἐξ ἀφαιρέσεως. Phyſicus τὰ ἐκ προσθέσεως ὄντα rimatur. Sed quid verbis opus? Euẽtus Phyſici rationibus & principiis Phyſicis iudicantur, nõ mathematicis. Quod ſi iam ex ſacris literis monſtrari poſſit, Deum voluiſſe, vt cometa quilibet hoc aliquid præſagiat, nõ iam negabimus

mus, eum illud ipſum prænunciare, licet ex ſua natura hoc præiudicare nequeat. Exemplũ produxi de iride. Dum nõ oſtenditur, particulare nihil certi præmõſtrare dicimus. imo naturaliter eos non præſagire, quæ Aſtrologi inſcitiſſime præfigurare aiũt demonſtramus. De iride quoq; recte probare poſſumus, eũ naturaliter tam nõ indicare hoc, quod ſcimus eũ nobis in memoriã reuocare, quã non diſterminat agros ex ſua natura lapis, qui ad hoc nõ eſt ex pacto deſtinatus. Falleris igitur, cũ non ſatis diſerte me de his diſſerere opinaris. Video te vel natura, vel quod magis credo, inſtitutione ad aſtrologos, & chemicos mirabilia pollicentes inclinare. At rectius & vtilius facies, ſi ſolã rationẽ ducem ſequeris, inanib. pollicitationibus te à via abduci nõ patieris. Venio ad nouas obiectiones. Theſes tibi obſcuriores viſas ais, quia non diſerte explicent, de quibus, & quomodo affectis humoribus potiſſimũ loquar. Ego vero nihil in eis puto diſertius & explicatius dictũ. Dico enim ſolum ſanguinẽ nutrire, bilẽ tum flauã omnem, tum atrã ſiue nigrã (excepta ea, quæ lienẽ

Iris.

De humoribus qui nutriant.

alit) tum pituitam non nutrire, ſed excrementa eſſe dico. Vbi autẽ, inquis, ſanguis ille in corpore integre ſano reperitur? Vbiq; reſpõdeo. Sed vt ſanus à ſano differt: ita vnius ſanguis ab alterius ſanguine diſtat puritate & impuritate. Nego tibi in corpore integre ſano cum ſanguine inueniri bilem alterutram, vel pituitã miſtam. Et ſi permixti ſint iam nominati humores, nutrire eos nego, ſed excrementa alimenti veri eſſe conſtanter aſſeuero. Sanguis purus ex Galeni opinione, imaginatione ſola datur, reipſa non reperitur: quam ego imaginationem toti naturæ aduerſari optime noui. Et cum aliquid ei humorum permiſtum eſt aliorum, alere eos non poſſe, iterum dico, ſed, niſi vacuentur, morbos creare affirmo. At, qui ex perfecte etiam ſanorum venis emittitur ſanguis, indicia omnium humorum commonſtrat. Nego tibi verum hoc eſſe. Non enim ſanguis lentus & aqueus pituita eſt; nec craſſiuſculus continuo melancholicus eſt: ſed toto genere differunt, vt aquoſus ſanguis & pituita, ita etiam craſſus & melancholia. Nullam ne pones in ſanguine latitudinem, qui

in

in cunctis eam rebus inficiari non audes?
An idem ſunt pituita & caro frigidiuſcula & lenta? Idem ne dices carnem craſſam & nigram cum melancholica? Non arbitror: niſi abuti omnino velis & nominibus, & rebus, quęque diſcreta & diſtincta ſunt naturis cõfundere ſtatutum habeas. Sanguis ſanguine craſſior, tenuior, humidior, ſiccior, candidior, nigrior aut flauior eſt, vt tamen intra ſanguinis latitudinẽ omnes adhuc contineantur, nec alieni humoris nomen & definitio eis cõpetat. Itaq; non adimo libertatẽ cuiquam nominãdi humores, vt ei libet, ſed ne ſimile idẽ eſſe iudicet, moneo. Aliud eſt re, & definitione ſanguis craſſus & niger à ſucco melancholico: aliud itẽ ſanguis flaueſcẽs tenuis & calidus à bile flaua. Diſcrimẽ ob id non in vocibus, ſed in ipſis rebus hæret. Nec ſatis eſt, quod neminẽ putas tam longe à recta ratione aberrauiſſe, vt ſtatuerit bilẽ flauam illã, quæ in veſicula continetur, cum ſanguinis maſſa rurſus cõmiſceri, adq; nutriendũ certas partes diſtribui. Qui enim in ſanguinis generatione ortã bilem non omnem à veſicula ſecerni, ſed partẽ eius

aliquam re & ſubſtantia non differentem ab ea, quę ab ea attracta fuit, relinqui cum ſanguine commiſtam aſſerunt, certaſque ab eadem illa partes nutriri tradunt, quid quæſo aliud docent? Quod de bile dico, de aliis intelligere te pariter iubeo. Nego tibi, negaboq; ſemper omnibus, dum probatū non videro, ex quatuor humoribus vnū ſic fieri, vt inſeparabili modo in vnam maſſam coeant. Non magis in vnū corpus concreſcunt quā ſi vinū, aquam, cereuiſiam &c. miſceas, & ex eis vnū aliquid ſubſtantia factū putes. Si ergo priores à recta aberrant ratione, poſteriores exorbitare non grauate cōcedes, vbi rem expendetis. Præparatio ferri aut chalybis, vt lienē deobſtruant, non eſt operoſa aut difficilis. Ablui iubeo in aceto, vino, aqua, prout res poſcere videtur, tamdiu vt aquam non amplius inficiāt, deinde trita miſceo cum pharmacis aliis ad rem pertinentibus, & hoc modo exhibeo, non metuens, vt in venas rapiantur. Item igniri iubeo, & in vino aut aqua exſtingui aliquoties pręcipio, vinumque bibendo propino. Item in vino limatum chalybem cum aliis macerandum

Humorum miſtura.

Præparatio ferri & chalybis.

randum præbeo, & vinum potãdum affe-ro. Lapis ſabuloſus vulgo apud nos dici-tur Beinbruch nomine contrario, quod ſcilicet fracturas curet. Dicitur etiã Bein-wall ab aliquibus, oſteocolla ſcilicet. Mo-rochtus eſſe nõ poteſt, vt qui in ſuccũ ſo-lubilis non ſit, inſtar morochti veri, qualẽ ipſe habeo. Semper enim ſeruat ſabuloſi & terreni quippiã noſter: nec alibi, quam in arenis naſcitur: quæ eius eſt materia. Mitto eius tibi fruſta aliquot. Vtendi mo-dum in Antiparacelſicis tibi & aliis forte ſatis deſcripſi. Mitto tibi materiam noua-rũ cogitationũ de pinguedinis tũ genera-tione, tũ concretione. Oblitus erã ſcribe-re de viribus rubiæ, & balneo formicario, de quib. ſuperioribus menſibus interro-gaueras: atq; ego nunc caſu inſpectis lite-ris illis in mentem reuocaui. De rubia ita mihi ſatis fecit Dodonęus, vt magis nõ poſ ſit. Me certe, cũ in eo legi, excitauit, vt in-quirerẽ. Itaq; rem habere deprehendent omnes, qui periculũ facere quouis modo volẽt. Sed recentẽ guſtare oportet. Arida namq; propemodũ ſaporis expers eſt, in-ſtar ligni. Patet hinc, quã ſæpe falli illos o-

Lapis ſabuloſus.

Rubia.

porteat, qui aliis ſtatim credunt, re non examinata. Formica animalculũ eſt valde calidum, & humorem in ſe tenuiſſimum habet igneum ferè. Liquet hoc ex earum morſu & perfuſione. Perfundunt n. humore quodam cutem iratæ cum ſunt, tenuiſſimo, at egregie mordaci & calido: pueri nos dicebamus: *Mich haben die Ohmeiſſen beſeicht*, minxerunt me formicæ. Quid igitur miri, ſi in frigidis affectibus, præſertim cum in profundo vitium hęret, vtilitatem balneum tale præſtat? Bene & feliciter vale, die 23 Feb. ann. 1580.

Balneũ formicarium.

PETRO MONAVIO, MEDICO CÆSAREO, *&c. Thomas Eraſtus Med. S. D.*

ANTE dies octo reuerſus ſum ex thermis, quo vxoris cauſa profectus fui, & domũ cum rediiſſem, intellexi D. Auguſtinum Donium Medicinæ Doctorem, Calabrum, iter inſtituiſſe in Poloniam, & hinc Pragam recta iturũ eſſe. Quare non potui eum ſine meis ad te literis dimittere: cum præſertim ille hoc officium à me peteret. Ex illis, quę videre & iudicare potui, dum hic fui, cognoui eum virũ pium ſanè & doctũ, &, quod ſummũ eſt, incul-

paratæ honeſtiſſimæque vitæ eſſe. Dignum ob id iudicaui, qui à te, bonisq; omnibus, iuuetur. Oro igitur te pro tua humanitate & pietate, vt virum optimum cõmendatum habeas, & vel per te, vel per alios tuos eum commendes aliquibus in aula Polonica degentibus, vel certe aliis, quorum opera poſſit vti in aula. Quicquid hac in parte feceris, præterquam quod id Deo gratum erit, mihi à te præſtitũ ſemper putabo: & pro viribus gratiã agere, ſi referre non potero, ſtudebo. Audiſſe te nihil dubito, doctiſſime & clariſſime D. Petre, nos Heidelberga huc Baſileam cõmigrauiſſe; vbi Deo opt. max. ſit gratia, quiete viuo extra ſtrepitũ & ſine conditione. Videtur enim ætas id mea poſtulare, vt non de negotio, ſed de ocio cogitẽ. Viuo ergo mihi, & de meo theſauro. Nec habeo cauſam quærendi occupationes, cum liberis caream. Interim ne plane nihil faciam, cœpi ante paucos dies reſpondere publico cuidã Doctorum cenſori, Comiti Montano Vicẽtino. Edidit is libros v, de morbis anno ſuperiore grauibus, craſſis, & multis errorib. plenos, quos nunquã notauiſſem,

ſi non coactus fuiſſem attentius & ſæpius perlegere. Spero autē me operæ precium & rem gratiſſimā atq; vtiliſſimam ſtudioſis facturum. Quippe docebo eos, quæ à paucis adhuc animaduerſa ſunt & cognita. Hæc habui, quæ occaſione huius tabellarii data ad te ſcriberē. Te oro, vt D. Cratonē officioſe ſalutes. Dominus Iheſus tibi vna nobiſcū ſemper vt adſit oro. amen. Datæ Baſil. die 18 April. anno 81.

PETRO MONAVIO, MEDICO CÆſareo *&c. Theodorus Zwingerus, S. D.*

TE viuere & valere ex animo lætor. Cœptis aſpiret ille, ſine cuius numine nihil eſt in homine. Hippocratis mediam partem iam abſoluimus, noſtri ſcilicet in illum laboris, vel ſaltem conatus. cuius quo maior eſt expectatio, eo mihi ingratior, mihi crede, qui tenuitatem meam agnoſcam, & cum latere maxime cupiam, neſcio tamen quo Reipublicæ iuuandæ ſtudio in mediam hominum lucem vel laruatus interdum præter inſtitutum efferar. Neque vero & imperitiæ & ignorantiæ crimen refugio, dum mea

mea hac audacia ſtudioſi excitētur. Hocque ipſum clariſſ. viro D. Hermanno renũciari cupio. χρειτὶς ἀὴ ὐκ ἀκροατὰς me tales exoptare. Rungius diſcedēs in ſumma feſtinatione, nihil ad te reliquit. Callide nimirum veſtra vos nomina honorario inſcripſiſtis poculo, ne remittēdi occaſio relinqueretur. Prodigalitatē ego veſtram minime laudo, ſed amicæ interim voluntatis teſtificationem, cum vobis ita viſum eſt, amplector. Tibi, mi Monaui, vitam & incolumitatem precor. Salutant te noſtri, inter eos qui Academiæ nunc præeſt D. Stupanus. Vale, & D. Hermanno, fratri tuo, & idem Heſſo plurimam ex me ſalutem. Baſilea, 18. Aug. anno 1578.

PETRO MONAVIO, MEDICO *Cæſareo, &c. Theodorus Zuingerus Med. S.D.*

DE Theophraſteis quæris, qua legenda methodo, ea nimirum, qua verum à falſo diſcernitur. Quo ordine? Vt ingenue fatear, vel tantus Doctor (vt tibi & neſcio quibus aliis amicis videor) tantillum ignoro. An qua data porta ruũt? an τὰ ὕϛερα *Quo ordine Theophraſtica legenda ſunt.*

ſemper, πρότερα? an poetica etiã imitatio-
ne à mediis incipiendum? Ergo, ne quid
elabatur, perpetua indagine tota ſylua
concludenda, & Enniano more optima
quæque retinenda. Nam vt nihil aliud,
εὐσχήμονος ἱστορίας σύνεσιν ἐν αὐτέοισι διεσπαρ-
μένην εἶναι, de empiricis loquẽs Hippocr.
Turenbeuſerus. veriſſime affirmauit. Turneuſerus oculo-
rum dolores quibusdam noſtrum exci-
tauit: mihi non item, qui non maiorem
mei lucri (ſed quidnam illud apud no-
ſtros?) quam alienæ peritiæ rationem ha-
beam. Cum illo contuli quædam. Appa-
ratum Herbarii vidi maximum, & opini-
one grandiorem icones plurimi, vt ſi ni-
hil aliud inpræſens, φιλοπονίαν certe tãtam
laude digniſſimã iudicem. Οὐρομαντικῆς ſpe-
cimen coram ſe editurum promiſit. In-
terea ἐποχῇ vtamur, & cum Tralliano, ſi res
ita ferat, vel à vetulis nos diſcere non pu-
deat. Hippocratem proximo mercatu vi-
debis. Clariſſ. viros Hermannum & Heſ-
ſum ex me ſalutabis officioſe. Vale vir do-
ctiſſ. noſtri memor. Salutat te Platerus
cum toto collegio. Baſilea, 20
Nouemb. anno 78.

PETRO

Petro Monavio, Medico *Caeſ. &c. Th. Zuingerus Med. S. D.*

QVÆ tu ad me de Paracelſi ſcriptis; tanquam ad eum qui multum ſtudii atq; temporis in iis collocat, ſcribere videris. Quod cum à me longe ſit alienum, ignotæ regionis commonſtrator eſſe nequeo. Atq; vt λογισμὸν illius, vel ſectatorũ non magnifacio, neq; enim intelligo: ſic τριβὴν eorundẽ cum Hipp. in præparatione præſertim medicamentorum facio plurimi, cum ad vſum medicum egregie conferre videam: neq; tamen ea intemperie, vt iccirco veterum medicamenta omnia reſpuẽda cenſeã. Sunt quibus panis, ſunt quibus maza, ſunt quibus ſorbitiones cõueniunt, non modo pro vitæ & fortunarũ diuerſitate, verumetiam morborum. Locus de empiricis apud Hipp. comm. præceptionum extat, ſub finẽ. Seuerini Dani ingeniũ magnũ iudico, & Ideam eius ad Paracelſi ſcripta, plus q̃ vllius alterius cõferre arbitror. Cæterũ ſeruit etiã ille auctoritate, & dũ libertatẽ philoſophicã pręſentat, ipſas quoq; Theophraſti ſordes extollit. Vſq; adeo difficile eſt modum tenere. *Paracelſi ſcripta.*

Doctior vero ille eſt, quam vt à Paracelſi diſcipulis vel legi vel intelligi poſſit: ſeue rior, quam vt noſtri illum admittant, ſtudium interim Theophraſteæ opinionis ex principiis Hippocrateis deducendæ nec ineptum, neq; malum inquibuſdam. Sed hæc alii iudicẽt. Hippocratem Francofurto per certum hominem ab Epiſcopio petes, ſcheda quam ſubieci oſtenſa. Rungii familiaritate vtor, à quo etiã ipſe non verear, quinetiã diſcere cupiam. Vale. Baſilea, 26 Martii: anno 1579.

PETRO MONAVIO, MEDICO *Cæſareo, &c. Theodorus Zuingerus Med. S. D.*

HIPPOCRATEM in præſens è manibus depoſui, Theatri tertiationi occupatus, non penitus ſpem abieci, præſertim ſi, quod ſpero, aliquis in cõtextu Græco emendando, & verſione Latina adiungenda operam interea ſuam interpoſuerit. Etſi ex hoc ipſo ſpecimine, vt doctis ad meliora præſtãda animum adieci: ſic forte eorundem laboribus à commentando deinceps abſterrebor. Quo nihil mihi, crede

crede, optatius foret, vtut ſint, qui ex ſuo ingenio diuerſum de me ſentiant. Nepenthis deſcriptionem, quam petis, ne fidem labefactem, in pręſens mittere non poſſum: neq; ea magno tibi foret vſui, cũ operoſa & artificioſa admodum ſit præparatio: quin etiam ipſe ego non paro, ſed parato vtor. Diligentem requirit & induſtrium hominem. Is eſt Adamus Keck pharmacopæus Francofurtenſis ad cygnum. Drachmam ille paulo plus floreno vendit, in decem vel duodecim doſes ſuffecturã, pro ratione ætatis, morbi, virium. Medicamentum inſigne, ſed quod promiſcuo vſu minime proſtitui debeat. Baſilea, *10* Iulii, anno *1579*.

PETRO MONAVIO, MEDICO *Cæſareo, &c. Theodorus Zuingerus Med. S D.*

TE in Hippocrate diligenter verſari, gratiſſimum eſt: cum ex illo ceu fonte ſolidioris medicinæ, veritatis & virtutis ſtudioſus, in quorum numero te non in poſtremis colloco, plurima, & ea quidem minime vulgaria aliquando decer-

Digitized by Google

pturus es mihi perſuadeam. Qua in re ſi Deo opt. max. viſum eſt mea quantũlibet tenui & perfunctoria obſtetricatione vti, eſt cur illi gratias agam æternas. Qualitates primas non ſimpliciter reiicit Hippocrates, ſed propter hypotheſin aliorum ſuſpectas facit. nec immerito, cum vel noſtro ſeculo videamus non paucos in morborum cauſis ad beatas illas qualitates omnia referre, & in abſtractis formis ita occupari, vt concretorum, & veluti materialium qualitatum (ſi cum prioribus illis conferantur) penitus obliuiſci. Hippo. certe qualitas prima nuda, non niſi cum materia (cui & color & ſapor atteſtatur) ad morbos facere videtur; adeoque in iis etiam, qui immateriales penitus cenſentur, materiam hanc dari verſimile eſt, eo ſolo differentem, quod in his ſubtiliſſima, & ſeſui obſcurior, in illis manifeſtior & craſſior deprehendatur. Hinc duo morborũ principia materialia, *πνύματα καὶ ῥεύματα*, non vno loco ponit, neque vero ocioſæ erunt primæ qualitates; ſed vt per ſe parum efficiunt, ſic cum materia ſua iunctæ, plurimum momenti afferunt: cum

Hippocrates de primis qualitatibus.

quod

quod lib. de diæta docet: *πῦρ παν'τα κινεῖν, ὕδωρ πάντα τρέφειν δύνηται.* Dudithio viro ſummo fauſtam felicemq; migrationem hanc opto. Te vero beatum, qui tanto viro tam familiariter deinceps ſis vſurus. Ei plurimam ex me ſalutẽ. Sed & fratri tuo *νεογάμῳ*, Salutant te collegæ omnes vno ore, in examine Iuſtini Gothani, viri doctiſſimi. Baſileæ, 8 Nouem. anno 79.

PETRO MONAVIO, MEDICO *Cæſareo, &c. Theodorus Zwingerus Med. S.D.*

NOLI tu vero, mi Monaui, in ſenem noſtrum iniurius eſſe, quaſi Zuingeri *ἀποκρατισμῷ* aliquid ei ſplendoris, obſeruantiæ ſaltem aliquid acceſſerit. Nepenthis gran. iii ad v, in adultis, cum colici, cum nephritici dolores vrgent, ſaccharo roſaceo ſubactis, vel cum iulepo roſarum dilutis vtor. In pueris ad granum i, cum ſyrupo pæoniæ, vel ſimili alio, ad motus epilepticos ſiſtendos. In febrium inquietudine medicamentum præſtans. Vino vel aqua opportuna dilutum dentium dolorem mirifice ſedat. Alui fluorem *Nepenthe.*

egregie ſiſtit. Medicamentorum purgantium vim compeſcit. In ſenibus & debilibus caute exhibendum, non quod periculi aliquid ſubſit, ſed ne locus detur inuidorum calumniæ. Theriacæ ſpecie, vel extracti alicuius ad præſentem morbum oportuni, exhibere ſoleo. Somnum lenem conciliat, neque vigilia ſubſequens veſtigium narcotici vllius relinquit. Illud vero ſedulo cogita, medicamenta ipſa proſtitutione vileſcere; nō quod communicatio boni vires ipſius boni eneruet, ſed quod familiaritas nimia contemptū parit, quando id quod ſerui ſtudio perfici poterat, in eo herilis opera impenditur. Catholicon ſi eſt, quod nomen præfert, etiam in arthritide. Neq; verearis incentiuum ad fluxionem, quandoquidem è diuerſo adeſt quod retrahat. Itaque penetratio eo vſque vſui eſt, donec purgantis medicamenti vis ad articulos etiam pertingat, & inde humores alliciat: cum vis purgatrix ſudoriferam ſuperet. Niſi hoc eſſet, rationi Rondelitii acquieſcerem. Hæc cauſa, cur tam lente, & tarde & innoxie agat. Id quod vſus te docebit. Sed medicamentū

Medicamenta vileſcunt proſtitutione.

tale

tale eſt, quod Medici manu parari debeat: ipſo alioqui vſu vileſcet, & abuſu pharmacopœorum importune adhibitum ſuſpectum reddetur. Nullũ ego illi ex purgãtibus ὡς καθόλε εἰπεῖν prætulerim. De ſucco abſinthii quod quæris, ſic mihi videtur: quatenus abſinthium ſtomacho prodeſt, id deterſione & aſtrictione ſua præſtare, quarum vtraque in terrea parte ſita eſt. De ἑτερογενεία mixtorum præclare Galenus exemplo roſæ. Videtur certe vt in animalibus, ſic in plantis, triplicis cõcoctionis, velut effectus quidã, χυλὸς, χυμὸς, ὀπὸς: etſi in aliis alius magis apparet. quorũ ſingulis ſuus ineſt ſpiritus, ſinguli vero ſolidę parti tanquam carnibus & oſſibus inhærent. Vinum ratione ſpirituoſæ partis ſpiritus reficit: reſpectu ὀπο͂ terrei ſic penetrat & detergit; reſpectu χυλο͂ & χυμο͂ ſui ſic nutrit. Orta à principiis non atteſtãtur ſuorum principiorum. Sic ex tribus illis humoribus quidam terræ, alius aquæ, tertius aeri proportione reſpondet. Etſi horum ipſorum rurſus ſinguli à reliquis ſeparati in partes alias iiſdem principiis reſpondentes ſeparari à natura poſſint, vel

De ſucco abſinthii.

Digitized by Google

chymicæ analyſeos argumento, quantũ quidem ex artis huius tyrocinio huc vſqꝫ deprehendere licuit. De ſitu vrbiũ idem iudicium quod de ſitu domorum, quas ad orientem vel ſeptentrionem ipſas dicimus, quatenus ſolē & ventos ex ea parte ſuſcipiunt. Hinc crebro apud Hipp. Si vrbs ad auſtrum ſita, à ſeptentrione vero σκέπη habeat, h.e. vel montiũ vel ſyluarum beneficio à Boreæ impetu defendatur. Idem de fontibus ad orientem erumpentibus iudicandum cenſeo. Vale: ſalutat te Platerus. Tu ex me D. Heſſum & Hermannum, inprimis vero Rhedingerum noſtrum. Baſilea, Cal. Feb. anno 80.

Ad orientem qua.

PETRO MONAVIO, MEDICO
Cæſareo, &c. Theodorus Zuingerus Med. S.D.

PERSOLVI ſuperioribus tuis, miſſis ad Camerarium literis. Rungio te familiariter vti gaudeo. Ad ternas meas nihil ille hactenus: nec an Hippocrateum exemplum habuerit, ſcio. Oleũ ceræ præclarum, niſi odore ſuo caput infeſtaret. Turpethi mineralis tot præparationes, quot arti-

artifices. Recte tu, qui nondum exploratis caute vtaris. Vteris illis deinceps & audacius & felicius. Eos enim qui odio ſectæ Theophraſteæ hæc & rident, & inſectantur, non tam in chymiſtas, quam in chymiam medicinæ famulã, multo antiquiſſimam, iniurii ſunt, & de ignotis iudiciũ interponunt. Et vero hæc talia ſunt, vt αὐτόχειρα requirãt. Plateri tabulæ ad mercatum proximum exponẽtur. Rungium ex me officioſe ſalutabis: & quia certius à vobis, quam à Francofurtenſibus, literas accipere ſoleo, vti hanc ceu regiam viam ſequatur, monebis. Vale, mi Monaui. Baſileæ 13 Kal. Iunii. anno 1581.

PETRO MONAVIO, MEDICO *Cæſareo, &c. Th. Mouſetus Anglus Med. S.D.*

AD magiſterium perlarũ, cuius promiſſam tibi deſcriptionẽ antea mittere non potui, extrahendum, hac via omniũ dubio procul certiſſima procedendum eſt. Cõtuſas illas & in puluerẽ (quod tactũ attinet ἀναισθητον) pertritas, affuſo vini ſpiritu nobiliſſimo (vt hic quinque latos *Magiſterium perlarum.*

digitos ſuperemineat) imbibito, & equino fimo vel æquabili B. calore digerito per menſem integrũ; quo tempore tranſacto ſpiritũ inſtar vini maluatici fuluum eſſe comperies: eo effuſo & reſeruato, alterum viciſſim affunde, totieſq; digere, donec colorari deſinit. Coloratis ſpiritibus continetur magiſterium tuum: quos in B. M. in ſiccitatem euolare permittito. Poſtmodum aqua cœleſti deſtillata bis vel ter abluito, & rurſus euaporato, vt in ſpiritu. Sic habes eſſentiam ſiue magiſterium perlarum, in forma pulueris farinacei, quẽ marmori inſperſum in liquorem (ſi placet) rediges. Legi Paracelſum in ſuis Archidoxis, quod ego ſpiritus, id aceti radicati beneficio fieri poſſe aſſerentẽ. Cæterum mihi crede (in huiſmodi negotiis neutiquam inexperto) reſtabit tanta acrimonia, vt huic eluendæ vix trecenti aquæ congii ſufficerent. Vſum huius magiſterii in affectibus ſtomachi & cordis ſingularem eſſe, tũ doctiſmi noſtri Florini, tum aliorum αὐτοψία (vt nihil de me ipſo dicã) abunde confirmatum eſt. Tu igitur tibi habeas, nec cuiquam temere communi-

Acetum radicale eſt id quod remanet in fundo, poſt aceti deſtillationem.

ces

ces. Norinbergam cum Cæſare ſi adueneris, forte me inueneris præſentem. Interim Francofurti viuam, & recolam intermiſſam praxin, qua hactenus, Dei beneficio, maxima cum felicitate, & lucro non minori ſum vſus. Nũquid te chemiæ accingis? Anne fornaces extruxiſti? Quid Florinus? ecquid medicinam facit? Laurentius Scholzius nihil literarũ ad te mea cauſa miſit? Ad hæc, quanta cum celeritate poteris, ad me reſcribe, & ex me peramanter vale. Datæ Norinberga, 4 Non. Quintil. anno 80.

PETRO MONAVIO, MEDICO *Cæſareo, &c. Th. Mouſetus Anglus Med. S.D.*

SI Keckius, quod feciſſe debuit, aqua pluuiali deſtillata magiſterium perlarum ſæpius abluiſſet, nec ille indiligentis nomen, nec tu cõquerendi materiam habuiſſes. Acrimoniam ſeruari aliquam, etiam poſt optimam præparationem, certũ eſt; ſed an propterea cordi ingrata, quia linguæ parit moleſtiam? Quid viola martia linguã violentius vrit, ô optime? quam *Viola martia.*

tamen cordi familiarem eſſe, ſalua præceptorũ auctoritate, haud negaueris; Succo limonum diſſolui margaritas vel vetulis fere notum eſt omnibus: tincturam vero ſic extrahi, nedum Cratoni noſtro probatum. Zuingeri præparationes non improbo. Variæ enim ſunt ad ſyluã viæ, quæ tamen compendioſior & melior fuerit, ſola experientia dignoueris. Cur ab eius aniſo purgante ſcammoneæ exuperantis cauſa tantopere verearis, argumentũ nullum, præter imaginarinas quaſdã delicias & formidationes perſpicio. Etenim, facta computatione, in vnica doſi (nempe ℥ i i) ſcammoneæ grana ad ſummum quinque, corrigentium vero cẽtum plane & adhuc quindecim inueneris. Tota enim cõpoſitio granorum *16640* põdus accedit. Sed ignoſco tui ſtomachi deliciis, tanquam in aula degenti: nos vero ruſtici Medici fortioribus vtimur remediis, (& ſi verũ quæratur) non incommodo ſucceſſu. Si ladano cum illis, quas coram commemoraui, cautionibus vſus fueris, admirabiles narras euentus: qualesque hucuſq; nobis, neſcio an medicamẽti, an Dei potius bonitate,

Imo 20880. Sacchari enim lib. iiii pro iii aſſumit.

nitate nunquam acciderunt. De myrrha ſubſtituenda in Nepenthe loco mumiæ, nõ ſtatim aſſentior. vt eo perducar animi, & longiore tempore, & fortioribus argumentis eſt opus. Domino Cratoni noſtras non ingratas accidiſſe lætor: mallẽ tamen plane gratas fuiſſe. Humanitatis ſuæ erit, quam primum otium cõceditur, reſpondere aliquid ad me: qui ſic colo diuinas ipſius ingenii dotes, vt cuilibet conferendũ, plurimis vero medicis eſſe præferendum cogitem. Chymiam quod nõ poſſis exercere, illud ipſum indicat, quod velles. τέλος llis negotiis, quæ tantum Medicum à ſtudio tam neceſſario diuellunt: male enim illis precari inhumanum eſt. Siquid in deſcriptione aniſi purgantis deprauatum aut mancum fuit, haud culpa factum eſt mea: nam eodem exemplo tibi communicabatur, quo mihi. Falſas deſcriptiones dare, non eſt meum, non eſt tuum, non eſt cuiuſuis Medici, præſertim Chriſtiani inſtitutum. Vale, mi Petre, Mouſeti tui memor; qui tui memoriam ſecum, etiam nunc, in Angliam portabit. Si quid mea cauſa literarum dederis, Camerarius noſter fecerit perferri.

Myrrha pro mumia.

Datæ Francof. ad Mœnum, 15 Kal. Octo. anno. 1580.

PETRO MONAVIO, MEDICO Cæſareo, &c. Th. Mouſetus Anglus Med. S.D.

Mumia. QVALIS ad vos Mumia defertur, equidem neſcio: ſcio tamen eam, quæ noſtrum Nepenthes ingrediebatur intus abſque omni religione exhiberi poſſe. At inquis, Ob humani cadaueris contagionem tetrum & viroſum odorem de ſe expirat. Fateor, ſi de veſtra intelligas: ſin noſtram dicas, repugno. Nam chymice parata, quod etiam opio contingit, admittit grauecolentiam, quiddamq; odoratis ſpeciebus finitimum (quales ineſſe illi credimus) repræſentat. Adde porro aloen, myrrham, gũmi, ſarcocollam, opobalſamum (hui; quam cœleſte medicamentum) & crocum aliaque precioſiſſima medicamenta mumiã noſtram efficere. Eſt enim ex his omnibus de mortuorum ſepulchris per efficaciam ſolis exudans liquor, qui ad arcendam putredinem peridoneus, ad ſuſcipiẽdam vero longe ineptiſſimus exiſtit.

ſtit. Quare vt myrrham, eius loco ſubſti-tuas non ſuadeo, neque video cur tanta cum religione, ne dicam ſuperſtitione ipſius in hominib. vſum pertimeſcas. Noui aliquos qui abſtinendũ ab ea iudicant, quia humanas carnes humano viſcere condi non ſolum non humanum, ſed etiam plane impium videtur. audẽt tamen curioſuli iſti cenſores album græcum hydropicis, cranium hominis epilepticis. neſcio quã audacter, ſcio quam frequenter præbibere. Sed ô Iani à tergo queis nulla ciconia pinſit! vtrum religioſius exiſtimatis, carnes comedantur, an oſſa; mihi quidem vix pluma intereſſe videtur: & licet neutrum probo, eſſe tamen oleoſum quiddam ſubſtantificum in immaturè mortuis, immortale, incorruptibile, terram igni, aquam aeri conglutinans, partibus ſtabilitatem, duritiem verumq; alimentum prębens, non dubito affirmare. id vi ſolis externi aromatis immixtum aut ſuaui in temperato calore digeſtione cum oleis aromaticis extractũ (vt Theophraſtus docet) nunquid conducibilius exiſtimas? Id autem in noſtræ mumiæ ex-

Humana carne cur abſtinendum.

tractione factum eſt, quia ingreditur tincturam,& oleoſam,mihi crede,& gratam. Hæc hactenus. Nobiliſſimi doctiſſimiq; Cratonis literas indies ceu ampliſſimum theſaurum ædiculas meas inuiſurum expecto. Facito vt promiſſa compareant. In vteri ſtrangulatu, habeas ſingulare remedium:Iulos ſiue catulos iuglandis in pulucrem exiccatos contunde: datur ad ℈ ii. cum guttulis duabus olei ſuccini,in eo affectu nihil vnq̃ noui prę̃ſtantius. Balſamũ mumiæ Theophraſti in vlceribus & apoſtematibus, vel ſola illinitione vſu cõperi diuinum eſſe arcanũ, ſed guttulas aliquot adiicio olei camphoræ, & ex ſeminibus ebuli parati. Cuius virtutes vix audeo,ſacramento ſilentium pollicitus, edicere. Bene & feliciter vale. Cratoni,Scholzio, Rungio (ceu ignoto, vel potius non viſo) obſecro ex me ſ. p. d. 1. April.anno 1581.

In vteri ſtrangulatu ſingulare.

Balſamum mumiæ.

PETRO MONAVIO, MEDICO *Cæſareo, &c. Th. Mouſetus Anglus Med. S.D.*

AGE, do tibi manus, meque vinci patior, ornatiſſime Monaui: non quia defendere mumiæ cauſam non poteram

aduerſus

aduerſus te: ſed quod vix operæ aut chartæ precium videretur, ſi tu illam pro voto tuo muſcã, ego pro meo facerẽ elephantẽ. Cæterùm, ne nihil videar dixiſſe, illud obſecro attendas: an ſtercus aſini, muris, muli, canis, nec nõ putridi carniũ vermes, (quos Hipp. εὐλας vocat) craniũ hominis, teſtes etiam equorum, caſtoris, luporum, nec non pulmones vulpium, quibus & Hipp. & recentiores etiam intra corpus ſumptis vtuntur: perpendas (inquam) an his deterior mumia, an potius non præferenda ſit. Nihil illis putrilaginoſum, nihil graueolens, nihil ineſt atratum? nihil (nedum ſtercoris mentio) quod ſolo nomine nauſeam prouocet? ſanè nullum huic impinges vitiũ, quod in illis non cõperiatur. Nam & illa quoq; animantia tabo ſanieq; fluunt, morboſq; patiũtur ferè vniuerſos, qui cõtingere homini poſſunt. Quot etiã pulmones vulpiũ, teſteſq; equorum, etiãſi optimè ſiccatos vermibus nõ refertos vidiſti? quot ſtercora ſine fætore? quot eulas non putredine & grauiſſima corruptione generatas? quid deniq; fumo exiccatũ vnquam animaduertiſti, in quo nihil inerat

Medicamenta ex animalium partib. facta.

atratum?aut quale tu propinas caſtorium quod guſtum plane abominabilem non participat? Habes igitur quæ in mumia reprehendiſti vitia vniuerſa in tuis: eaque tanto maiora, quãto hęc (de vulgari enim mumia nõ diſputo) croci, myrrhæ, gũmi, ſarcocollæ, aloes, ipſiusq; opobalſami cõditura ſanior ipſis euadit atq; melior: niſi tu forte crudum cranium conditiſſimis carnibus prætuleris: id quod forte audacter, cũ laude tamen & ratione nunquam aſſeuerabis. Hæc mihi quaſi leuis armaturæ tela depromere placuit: cui grauiora in procinctu ſenſeris adeſſe, ſi repugnaris. Sed cedam nunc hac arena, & quæ petiiſti reliqua attingam. Balſamo tuo ſulphureo vſus ſum, cũ felici & mirifico ſucceſſu in fiſtulis extirpandis: quas vero illi contra peſtẽ, & aſthma partes attribuiſti, equidem non inuenio. Quinetiam quomodo ipſum ſine piaculo intus exhibes, quum fœtore ſuo teterrimo non mumiã duntaxat, ſed cadauer quoque ipſum, ſed lacum palæſtinũ ſuperat? eũ autem myrrhæ & aloes adiectione minui ſcribis: neque ego admodum repugno, iis legibus,

Balſamum ſulphuris.

vt tu

vt tu idem in mumia fieri cõfitearis. Olei picis in fiſtuloſis vlceribus mirificam virtutem prædicas: plus autem valere ſcias contra herpetas, formicas, aliaq; eius generis tubercula. Olei ebulini deſcriptio Aragoſiana mihi, cũ rẽ aggrederer, fraudi fuit: tantum abeſt vt eam tibi, etiamſi velim maxime, tranſmittam. Quod Iudęi operam conducis ad chemiam, vitupero inſtitutum tuum: faxit Deus opt. max. ne illius impoſturæ tuam artis tam nobilis ſitim præpropere extinguant. Ponderoſitas plumbi neq; propter aquam fit, neque ob aerem. Sed quia multum obtinet Mercurii. hic autem in aerem expoſitus non augetur, ſed in locis ſubterraneis humidis: idq; nõ aeris acceſſione, vt ſuadere nobis voluit Gal. ſed potius aquæ viſcoſioris (nã in loco ſicco minuitur) vel potius alterius Mercurii coniunctione, qui ad maiorem quantitatẽ ceu ad mare riuuli ſe contulit. Noſti enim (ni fallor) humidum quemq; locum mineralẽ (de palude enim non loquimur) argẽto viuo plurimo ſcatere, qđ alii fæno madido, alii ſtercore bouino recenti in factã foueam coniecto & ſepulto *Oleum ebulinum.*

tum dextrè, tũ vtiliter eliciunt. quod vero philoſophi ſecundas qualitates à primis procreatas ſcribunt, nil moror, ad tales enim abſurditates iam diu occalluerũt aures meę. Etenim ſi punctũ nullius eſt ponderis, nec lineæ etiam erunt: ſi hæc non ſunt, neq; extremitates, neque corpus: vt non ineptè cõtra Platonem olim Ariſtoteles diſputauit. Perinde ego mutata tantum hypotheſi. Nullũ graue ex nõ graui, nullum leue ex non leui: ſed primæ qualitates, neq; leues ſunt, nec graues: ergo tale aliquid non procreant. Mallẽ ego eius ponderoſitatem corporis denſitati atque compactioni aſcribere: nam iuxta Hipp. ſi quis in aqua per biduum molles lanas maceret; & veſtem quoq; laneam, ęqualis ponderis ad lanas: has multò leuiores cõperiet, quàm lanam. Quin etiam guaiaci lignum cæteris ponderoſius, quia dẽſius: imò tam graue eſt, vt præter lignorũ morem iniectum aquæ ſe mergat. Ita etiam Mercurius vigeſies ſublimatus, præcipitatus, coagulatus, & penè fixus, iterum recrudeſcet in argentum viuum, cũ exigua aut ponderis aut ſubſtantiæ ſuę iactura, id quod

De primis qualitatibus & ſecundis.

Cap. 1. lib. 3. de Cœlo.

quod ipſius denſitatis argumentum mihi ἀσάλευτον videtur. Vlterius excurrere nec charta ſinit, negotium. His igitur cõtentus, feſtinantiſſimè ſcriptis, valeto: meq;, vti facis, diligito. Magnif. D. Cratoni ſ. p. ex me dicito. 3. Maii, anno 1582.

REVERENDO VIRO, DN. ABRAHAMO *Bucholzero, Theol. celeberr. &c. Caſpar Hofmannus, Elect. Brandeb. Med. S. D.*

ETSI ſpero te iam priſtinæ valetudini eſſe reſtitutum: tamen quia ſubinde ſe colligere ſolet pituita ex imbecillitate coctionis & defectu caloris naturalis, vigilãdum ſanè eſt, & tempore pacis cogitandum eſt de bello, aduerſus hoſtẽ tam truculentum, ne prælium redintegret. Ego video cardinẽ totius rei verti in eo, vt calor naturalis ſuaptè natura debilis exuſcitetúr, ne ſequatur cruditas, & ex hac pituitæ collectio: & vt pituitoſi humores, collecti per interualla, abſq; nocumento interiorum membrorum è corpore educantur. Hæc ſi fierent, minus eſſet metuendum de morbi recurſu. Quod igitur ad exuſcitationem caloris natiui attinet, *Calorem exuſcitantia.* faciunt quidem intus rotulæ, morſuli,

pulueres,condita,&c.aliquid,& foris vnguenta, ſacculi,cerata, &c. ſed minus tamen q̃ fuit expectatū. Ratio eſt, quia humor pituitoſus inſinuauit ſe in tunicas vẽtriculi, vnde hebetatur calor, & cibus in ventriculo degenerat, & vertitur in crudum humorem & viſcidum, qui poſtea inteſtinis adhæreſcit, & accedẽte obſtructione flatus copioſos ex ſe gignit, à quibus tumor & dolor, cum exitus illis ſupra & infra ſit intercluſus. Quid igitur agendum? dices. Non quidem contemnenda illa,quæ paulo ante nominaui, hoc eſt rotulæ,ſacculi, &c. Sed ſpero hæc, quæ dicturus ſum non parum profutura. Multos qui ſimiliter affecti fuerũt, iuſſi in hebdomada bis de Mithridatis antidoto ſumere quantitate piſi vnius aut duorum. Dictu mirum,quam illis hoc profuerit, non prima ſtatim vſurpatione, ſed tempore ſequente. Excitauit calorẽ, humiditatem ſuperfluam abſorpſit, &c. Nec metuendum quicquam de vehementia medicamenti, quia in parua quantitate ſumitur. De pipere inciſo ſemel dixi antea: ſi deglutiãtur ſeptem grana inſtar pillularum

Vis Mithridati.

Sed

Sed cum plus calfacere ventriculum volumus, contundimus grana craſſo modo, & in vno aut altero cochleari iuris gallinæ, aut alterius iuris carnis exhaurimus. Itaq; quoq; calefit ventriculus abſq; nocumento epatis. Zinziber quoq; conditum multum iuuat. Cum his domeſticis (quæ ſæpe plus iuuāt, quam valde medicamentoſa & operoſa) corrigi poteſt ventriculi imbecillitas, & excitari calor naturalis. Rogo Mithridatum experiri non omittas. Et ſi vētriculus tuus vſum eius ſufferre poterit, (nocere non poterit) dabo operam vt aliquid de præſtantiore alicunde nanciſcar, & tibi mittam. Quod ſubinde clyſteribus inteſtina exoneras, bene facis. Paſſulæ laxatiuæ quomodo conuenerint ſcire cupio. Ego his ſæpe vſus ſum, & bene cōtulerunt. Nihil in ſe habent quod purget, præter folia ſenæ. Rhabarbari nihil ineſt. Si ventriculus reſpuet illorum vſum, tū potius vſurpentur rotulæ illæ ex diaphœnicone. Video me oportere integro conſilio tibi explicare rationē præſeruationis à colico dolore, & quid in acceſſione agendum. Id (Deo teſte) iam illico

facere non poteram, cum hac hebdomada Elector & Adminiſtrator ſumpſerint medicamenta,& hodie quoque, meq; rariſſimè domi, ſemper autem in aula, eſſe oportuerit. Hæc ſcripſi noctu, cum alioqui multis ægris ſcribendum eſſet. Vitam profectò iam ago inquietam. Optime te valere opto,cuius precibus me commendo. Datæ feſtinanter Coloniæ ad Sueuū, 17 Febr.anno 1581.

ABRAHAMO BVCHOLZERO THEologo,&c. *Caſpar Hofmannus Med.S.D.*

ETSI cum tuæ mihi redderentur literæ, in magnis eram ædificandi moleſtiis: tamen moleſtiã omnem tuæ diſcuſſerunt literæ, quod ex iis cognoui, te priſtinæ valetudini aliquomodo reſtitutum eſſe.DEO ſit laus & gloria. Quod per clyſteres multum phlegmatis eſt eductum, id præcauebit ne tam facilè fiat recidiua. Morſuli (fateor) ſunt aliquanto fortiores, ſed mirum quã prædicet eos noſter Cancellarius. Si tantum particulã inde ſumit, ſentit aluum aliquoties aperiri. ſed ſua eſt cuique

cuique temperatura. Fortaſſe rotulæ ex diaphœnico efficiunt apud te, quod apud illum morſuli. Mitto denuò conditum & mithridatum. Modum vtendi non opus eſt, vt adſcribam, cum id antea factum ſit. Mitto & vnguentum ad impotentiam illam manus dextræ. Huius vſus talis eſt: ſumuntur herbæ hæ: betonica, origanum, ſaluia, roſmarinus & iua arthetica, ſingulorum manipuli duo, coquuntur in olla bene contecta, & effunduntur in vaſculũ, quod pãno multiplici tegatur, ne euaporet, inſeritur manus & fomentatur, per quartam horę partẽ manè & veſperi ante cœnam. Poſt fomentationem vſurpetur vnguentum, quod mitto, præſertim circa iuncturas. Vt autem videri poſſit, quæ ſint illa quæ accipis, mitto receptas vna, ſicut ſcriptæ & paratæ ſunt in pharmacopolio. Saluia etiam valdè commẽdatur, & vtilis eſt aduerſus tremorẽ, ſi quis aqua deſtillata crebrò manus vngat, aut potius ſi ſaluia imponatur aquę, ex qua manus lauandæ ſunt. Quidã hic ſimiliter penè affectus mira de ea prædicat, quantopere ſit adiutus. Sed hoc exile eſt quanq̃ exilia etiam,

Vnguentum pro manus dextra impotentia.

Saluia pro tremore.

lumbricor.an.ʒv.
ardeæ.
taxia.ʒ iiß.
Pulu.vermium terreſtr.ʒ ii.
Succi ſaluiæ,
Vini Rhenani a.ʒ ii.
Pul.fl.ſtœchad.arabic.
roſmarini,
lauendulæ an.℈ß.

Coq.ad ſucci & vini conſumpt.excolētur ſpecies craſſiores. ol. add. nucis conditæ per expreſſ. ℈ ii. miſc.& addita paucula cera f.vnguentum:ſig.*Salbe*.

ABRAHAMO BVCHOLZERO THE-
ol.&c.Caſpar Hofmannus Med.S.D.

PLVRIMVM lætor, ac tibi gratulor quod Deus tibi proſpexerit de cōmoda matrefamilias. Sic enim arbitror & tibi conſultū fore & liberis.Si vllis vnquam nuptiis intereſſe cupiui, his certe interfuiſſē libentiſſime, ſi mihi ex ergaſtulo meo prouolare licuiſſet. Adfui autem animo, votis & bene precando, quandoquidem aliter adeſſe nō potui. Quod vero ad corporis tui ſtatum, & medicamenta attinet,

mitto ea,quæ tibi profutura exiſtimo, nẽpe electuarium quoddã inſigne capiti & ventriculo inprimis cõferens, de quo interdum cum ventriculi imbecillitatem ſenties quantitate caſtaneę ieiunus ſumere poteris. Deinde conditum cõditorum ad vires reſtaurandas. Mitto etiã, mithridaticam antidotũ. Quod ad paſſulas attinet mitto quoq; illas. Guttas tres de oleo aniſi in vino ſumptas, nõ arbitror tibi nocituras. Diſcutiunt flatus.ſed vſus non ſit nimis creber, & obſeruetur quomodo vſum eius ferat ventriculus. Scribis me tibi ſcripſiſſe pinguedines ad pannum inceratum fortaſſe ad lenitionem alui, ſed miror te mirari cur in ea deſcriptione nõ addiderim quæ flatus diſcutiũt. Mea intentio fuit lenire aluum. Lenitio alui fit per humectantia. Quo cõſilio igitur addidiſſem ea, quæ hanc intentionem inhibuiſſent,qualia ſunt flatus diſcutientia,quæ omnia ſicca ſunt, & ſiccitatem inducunt. Quæ ex his mixtis reſultaret operatio? Scripſi igitur intus aſſumenda talia, quæ ventriculum frigidum calefacerent, & exiccarent, ac ſimul confortarent. Extra autem

autem volui adhibere humectantia, quæ feces nō ſinerent areſieri, & indurari, ſed potius ad alui lubricitatem conferrent. Vale, Coloniæ ad Sueuum, 9 Nou. an. 83.

CASPAR HOFMANNVS, MEDICVS, *&c. Laur. Scholzio Med. S. D.*

GRATISSIMÆ mihi fuerunt & priores, & hæ tuæ proximę literę. Deprehendi enim ex iis nō vulgarem ſanè tuam erga me beneuolentiàm, quæ plurimum mihi voluptatis attulit. Sed rurſus video te opinione falli, quam de me concepiſti, maiore nimirum, quam vt eam mea ſuſtinere poſſit tenuitas. Ad priores equidem diu reſpondiſſem, & tarditatem meam in reſpondendo, ipſemet accuſo, præſertim cum ad amicitiam ineundam (quæ mihi potius expetenda fuiſſet) vltro & præter meritum meum inuitatus ſum. Sed in eo iam vitæ genere verſor, vt me vitā meam foris in perpetuis peregrinationibus & moleſtiis, domi in ſumma inquietudine tranſigere oporteat. Quo fit vt minus nunc in ſcribendo officioſus eſſe poſſim, quam olim eram. Dabis igitur veniam non ſolùm tardè, ſed etiam raptim

atratum? aut quale tu propinas caſtorium quod guſtum plane abominabilem non participat? Habes igitur quæ in mumia reprehendiſti vitia vniuerſa in tuis: eaque tanto maiora, quãto hęc (de vulgari enim mumia nõ diſputo) croci, myrrhæ, gũmi, ſarcocollæ, aloes, ipſiusq; opobalſami cõditura ſanior ipſis euadit atq; melior: niſi tu forte crudum cranium conditiſſimis carnibus prætuleris: id quod forte audacter, cũ laude tamen & ratione nunquam aſſeuerabis. Hæc mihi quaſi leuis armaturæ tela depromere placuit: cui grauiora in procinctu ſenſeris adeſſe, ſi repugnaris. Sed cedam nunc hac arena, & quæ petiiſti reliqua attingam. Balſamo tuo ſulphureo vſus ſum, cũ felici & mirifico ſucceſſu in fiſtulis extirpandis: quas vero illi contra peſtẽ, & aſthma partes attribuiſti, equidem non inuenio. Quinetiam quomodo ipſum ſine piaculo intus exhibes, quum fœtore ſuo teterrimo non mumiã duntaxat, ſed cadauer quoque ipſum, ſed lacum palæſtinũ ſuperat? eũ autem myrrhæ & aloes adiectione minui ſcribis: neque ego admodum repugno, iis legibus,

Balſamum ſulphuris.

vt tu

vt tu idem in mumia fieri cõfitearis. Olei picis in fiſtuloſis vlceribus mirificam virtutem prædicas: plus autem valere ſcias contra herpetas, formicas, aliaq; eius generis tubercula. Olei ebulini deſcriptio Aragoſiana mihi, cũ rẽ aggrederer, fraudi fuit: tantum abeſt vt eam tibi, etiamſi velim maxime, tranſmittam. Quod Iudęi operam conducis ad chemiam, vitupero inſtitutum tuum: faxit Deus opt. max. ne illius impoſturæ tuam artis tam nobilis ſitim præpropere extinguant. Ponderoſitas plumbi neq; propter aquam fit, neque ob aerem. Sed quia multum obtinet Mercurii. hic autem in aerem expoſitus non augetur, ſed in locis ſubterraneis humidis: idq; nõ aeris acceſſione, vt ſuadere nobis voluit Gal. ſed potius aquæ viſcoſioris (nã in loco ſicco minuitur) vel potius alterius Mercurii coniunctione, qui ad maiorem quantitatẽ ceu ad mare riuuli ſe contulit. Noſti enim (ni fallor) humidum quemq; locum mineralẽ (de palude enim non loquimur) argẽto viuo plurimo ſcatere, qđ alii fæno madido, alii ſtercore bouino recenti in factã foueam coniecto & ſepulto

Oleum ebulinum.

tum dextrè,tũ vtiliter eliciunt. quod vero philoſophi ſecundas qualitates à primis procreatas ſcribunt,nil moror, ad tales enim abſurditates iam diu occalluerũt aures meę. Etenim ſi punctũ nullius eſt ponderis, nec lineæ etiam erunt: ſi hæc non ſunt,neq; extremitates, neque corpus: vt non ineptè cõtra Platonem olim Ariſtoteles diſputauit. Perinde ego mutata tantum hypotheſi. Nullũ graue ex nõ graui, nullum leue ex non leui: ſed primæ qualitates, neq; leues ſunt, nec graues: ergo tale aliquid non procreant. Mallẽ ego eius ponderoſitatem corporis denſitati atque compactioni aſcribere: nam iuxta Hipp. ſi quis in aqua per biduum molles lanas maceret; & veſtem quoq; laneam, ęqualis ponderis ad lanas: has multò leuiores cõperiet, quàm lanam. Quin etiam guaiaci lignum cæteris ponderoſius, quia dẽſius: imò tam graue eſt, vt præter lignorũ morem iniectum aquæ ſe mergat. Ita etiam Mercurius vigeſies ſublimatus, præcipitatus, coagulatus, & penè fixus, iterum recrudeſcet in argentum viuum, cũ exigua aut ponderis aut ſubſtantiæ ſuę iactura, id

De primis qualitatibus & ſecundis.

Cap. 2. lib. 3. de Cælo.

quod

quod ipſius denſitatis argumentum mihi ἀναίλειπτον videtur. Vlterius excurrere nec charta ſinit, negotium. His igitur cõtentus, feſtinantiſſimè ſcriptis, valeto: meq́;, vti facis, diligito. Magnif. D. Cratoni ſ. p. ex me dicito. 3. Maii, anno 1582.

REVERENDO VIRO, DN. ABRAhamo *Buchol*zero, *Theol. celeberr. &c. Caſpar Hofmannus, Elect. Brandeb. Med. S. D.*

ETSI ſpero te iam priſtinæ valetudini eſſe reſtitutum: tamen quia ſubinde ſe colligere ſolet pituita ex imbecillitate coctionis & defectu caloris naturalis, vigilãdum ſanè eſt, & tempore pacis cogitandum eſt de bello, aduerſus hoſtẽ tam truculentum, ne prælium redintegret. Ego video cardinẽ totius rei verti in eo, vt calor naturalis ſuaptè natura debilis exuſcitetur, ne ſequatur cruditas, & ex hac pituitæ collectio: & vt pituitoſi humores, collecti per interualla, abſq; nocumento interiorum membrorum è corpore educantur. Hæc ſi fierent, minus eſſet metuendum de morbi recurſu. Quod igitur ad exuſcitationem caloris natiui attinet, faciunt quidem intus rotulæ, morſuli, *Calorem exuſcitantia.*

pulueres,condita,&c.aliquid,& foris vnguenta, ſacculi,cerata, &c. ſed minus tamen q̃ fuit expectatū. Ratio eſt, quia humor pituitoſus inſinuauit ſe in tunicas vētriculi, vnde hebetatur calor, & cibus in ventriculo degenerat, & vertitur in crudum humorem & viſcidum, qui poſtea inteſtinis adhæreſcit, & accedēte obſtructione flatus copioſos ex ſe gignit, à quibus tumor & dolor, cum exitus illis ſupra & infra ſit intercluſus. Quid igitur agendum? dices. Non quidem contemnenda illa,quæ paulo ante nominaui, hoc eſt rotulæ,ſacculi, &c. Sed ſpero hæc, quæ dicturus ſum non parum profutura. Multos qui ſimiliter affecti fuerūt, iuſſi in hebdomada bis de Mithridatis antidoto ſumere quantitate piſi vnius aut duorum. Dictu mirum,quam illis hoc profuerit, non prima ſtatim vſurpatione, ſed tempore ſequente. Excitauit calorē, humiditatem ſuperfluam abſorpſit, &c. Nec metuendum quicquam de vehementia medicamenti, quia in parua quantitate ſumitur. De pipere inciſo ſemel dixi antea: ſi deglutiātur ſeptem grana inſtar pillularum

Vis Mithridati.

Sed

Sed cum plus calfacere ventriculum volumus, contundimus grana craſſo modo, & in vno aut altero cochleari iuris gallinæ, aut alterius iuris carnis exhaurimus. Itaq; quoq; calefit ventriculus abſq; nocumento epatis. Zinziber quoq; conditum multum iuuat. Cum his domeſticis (quæ ſæpe plus iuuãt, quam valde medicamentoſa & operoſa) corrigi poteſt ventriculi imbecillitas, & excitari calor naturalis. Rogo Mithridatum experiri non omittas. Et ſi vẽtriculus tuus vſum eius ſufferre poterit, (nocere non poterit) dabo operam vt aliquid de præſtantiore alicunde nanciſcat, & tibi mittam. Quod ſubinde clyſteribus inteſtina exoneras, bene facis. Paſſulæ laxatiuæ quomodo conuenerint ſcire cupio. Ego his ſæpe vſus ſum, & bene cõtulerunt. Nihil in ſe habent quod purget, præter folia ſenæ. Rhabarbari nihil ineſt. Si ventriculus reſpuet illorum vſum, tũ potius vſurpentur rotulæ illæ ex diaphœnicone. Video me oportere integro conſilio tibi explicare rationẽ præſeruationis à colico dolore, & quid in acceſſione agendum. Id (Deo teſte) iam illico

facere non poteram, cum hac hebdomada Elector & Adminiſtrator ſumpſerint medicamenta, & hodie quoque, meq; rariſſimè domi, ſemper autem in aula, eſſe oportuerit. Hæc ſcripſi noctu, cum alioqui multis ægris ſcribendum eſſet. Vitam profectò iam ago inquietam. Optime te valere opto, cuius precibus me commendo. Datæ feſtinanter Coloniæ ad Süeuũ, 17 Febr. anno 1581.

ABRAHAMO BVCHOLZERO THEologo, *&c. Caſpar Hofmannus Med. S D.*

ETsi cum tuæ mihi redderentur literæ, in magnis eram ædificandi moleſtiis: tamen moleſtiã omnem tuæ diſcuſſerunt literæ, quod ex iis cognoui, te priſtinæ valetudini aliquomodo reſtitutum eſſe. DEO ſit laus & gloria. Quod per clyſteres multum phlegmatis eſt eductum, id præcauebit ne tam facilè fiat recidiua. Morſuli (fateor) ſunt aliquanto fortiores, ſed mirum quã prædicet eos noſter Cancellarius. Si tantum particulã inde ſumit, ſentit aluum aliquoties aperiri. ſed ſua eſt

cuique

cuique temperatura. Fortaſſe rotulæ ex diaphœnico efficiunt apud te, quod apud illum morſuli. Mitto denuò conditum & mithridatum. Modum vtendi non opus eſt, vt adſcribam, cum id antea factum ſit. Mitto & vnguentum ad impotentiam illam manus dextræ. Huius vſus talis eſt: ſumuntur herbæ hæ: betonica, origanum, ſaluia, roſmarinus & iua arthetica, ſingulorum manipuli duo, coquuntur in olla bene contecta, & effunduntur in vaſculū, quod pāno multiplici tegatur, ne euaporet, inſeritur manus & fomentatur, per quartam horę partē manè & veſperi ante cœnam. Poſt fomentationem vſurpetur vnguentum, quod mitto, præſertim circa iuncturas. Vt autem videri poſſit, quæ ſint illa quæ accipis, mitto receptas vna, ſicut ſcriptæ & paratæ ſunt in pharmacopolio. Saluia etiam valdè commēdatur, & vtilis eſt aduerſus tremorē, ſi quis aqua deſtillata crebrò manus vngat, aut potius ſi ſaluia imponatur aquę, ex qua manus lauandæ ſunt. Quidā hic ſimiliter penè affectus mira de ea prædicat, quantopere ſit adiutus. Sed hoc exile eſt quanq̄ exilia etiam,

Vnguentum pro manus dextræ impotentia.

Saluia pro tremore.

lumbricor.an.ʒv.
ardeæ.
taxia.ʒ iiß.
Pulu.vermium terreſtr.ʒ ii.
Succi ſaluiæ,
Vini Rhenani a.ʒ ii.
Pul.fl.ſtœchad.arabic.
roſmarini,
lauendulæ an.℈ß.

Coq.ad ſucci & vini conſumpt.excolẽtur ſpecies craſſiores. ol. add. nucis conditæ per expreſſ. ℈ii. miſc.& addita paucula cera f.vnguentum:ſig. *Salbe.*

ABRAHAMO BVCHOLZERO THE-
ol.&c.Caſpar Hofmannus Med.S.D.

PLVRIMVM lætor, ac tibi gratulor quod Deus tibi proſpexerit de cõmoda matrefamilias. Sic enim arbitror & tibi conſultũ fore & liberis. Si vllis vnquam nuptiis intereſſe cupiui, his certe interfuiſſe libentiſſime, ſi mihi ex ergaſtulo meo prouolare licuiſſet. Adfui autem animo, votis & bene precando, quandoquidem aliter adeſſe nõ potui. Quod vero ad corporis tui ſtatum, & medicamenta attinet,

autem volui adhibere humectantia, quæ feces nõ ſinerent areſieri, & indurari, ſed potius ad alui lubricitatem conferrent. Vale, Coloniæ ad Sueuum, 9 Nou.an. 83.

CASPAR HOFMANNVS, MEDICUS, *&c. Laur. Scholzio Med. S. D.*

GRATISSIMÆ mihi fuerunt & priores, & hæ tuæ proximę literę. Deprehendi enim ex iis nõ vulgarem ſanè tuam erga me beneuolentiam, quæ plurimum mihi voluptatis attulit. Sed rurſus video te opinione falli, quam de me concepiſti, maiore nimirum, quam vt eam mea ſuſtinere poſſit tenuitas. Ad priores equidem diu reſpondiſſem, & tarditatem meam in reſpondendo, ipſemet accuſo, præſertim cum ad amicitiam ineundam (quæ mihi potius expetenda fuiſſet) vltro & præter meritum meum inuitatus ſum. Sed in eo iam vitæ genere verſor, vt me vitã meam foris in perpetuis peregrinationibus & moleſtiis, domi in ſumma inquietudine tranſigere oporteat. Quo fit vt minus nunc in ſcribendo officioſus eſſe poſſim, quam olim eram. Dabis igitur veniam non ſolùm tardè, ſed etiam raptim

& neglecte ſcribenti, culpamq; omnem non voluntatem, ſed viræ inquietudinem ſuſtinere patieris. Cæterũ quod ad animi tui affectu erga me attinet, niſi te viciſſim amore magno proſequerer, eſſem omniũ inhumaniſſimus. Ac ab eo tempore quo libellum Arãtii de fœtu humano a te editũ vidi, vere affirmare poſſum, me nomini tuo ſemper fauiſſe, & occaſionẽ optaſſe ac captaſſe etiam, vt noti inuicẽ eſſe poſſemus, quam nunc ex inſperato mihi obtigiſſe gaudeo. Velim igitur tibi ꝑſuadeas te a me magnifieri & amari. Quod ſi quid incidet, vbi amicitiæ edẽda ſit declaratio, dabo operã vt amici animus appareat. Sit igitur hoc amicitiæ initiũ ita conſtitutum literis & mutuis officiis poſthac alendum. De cęteris curſim me agere oportet, cum otio deſtituar. De Dn. M. Abrahami valetudine valde sũ ſollicitus, nec mihi quicquam triſtius accidit, quam cum audio ipſum ægrotare, aut lecto affixum eſſe. Expetit ſubinde conſilium meum, & medicamẽta ſibi mitti petit. Mitto ſane quæ petit, & quæ haberi poſſunt. ſed in conſilio dando rectius collimare præſentem, q̃ abſentem

abſentem Medicũ. Iacobo genero ipſius indicaui vſum eorum, quæ mittuntur. Oro te diligenter adſis huic optimo, & mihi chariſſimo viro, de publicis ſtudiis bene merenti, & digno quem nullus vnquã morbus infeſtet. Studebo ipſemet eã ob cauſam te demereri. Eſſet ſcribendum aliquid de thermis, ſed mihi (Deũ teſtor) nunc nihil eſt otii. nec adhuc aduenisse arbitror tempus idoneum vſurpandi. Vere appetente cum Dn. M. Abrahamus ſe recollegerit, & vires erunt validiores, tũ iniri conſiliũ hac de re poterit. Aliis temporibus ſcio illum non modo non thermas, ſed ne quidem iactationem in itinere perferre potuiſſe. Vt autem de thermis Hirſchbergenſibus aliquid interim memorem, mitto epiſtolam quandã meam ad D. Paulum Lutherum Electoris Saxoniæ Medicum ante aliquot annos, à me ex thermis illis reuerſum ſcriptam. Cupiebat enim & ipſe ſe illuc conferre, ſi à me prius monitus eſſet de viribus illarum & vſu. Supplebit epiſtola illa breuitatem mearum literarum. Libellum de ligno Saſſafras remitto. Non potui illum perle-

tum dextrè,tũ vtiliter eliciunt. quod verò philoſophi ſecundas qualitates à primis procreatas ſcribunt,nil moror, ad tales enim abſurditates iam diu occalluerũt aures meę. Etenim ſi punctũ nullius eſt ponderis, nec lineæ etiam erunt: ſi hæc non ſunt,neq; extremitates, neque corpus: vt non ineptè cõtra Platonem olim Ariſtoteles diſputauit. Perinde ego mutata tantum hypotheſi. Nullũ graue ex nõ graui, nullum leue ex non leui: ſed primæ qualitates,neq; leues ſunt, nec graues: ergo tale aliquid non procreant. Mallẽ ego eius ponderoſitatem corporis denſitati atque compactioni aſcribere: nam iuxta Hipp. ſi quis in aqua per biduum molles lanas maceret; & veſtem quoq; laneam,ęqualis ponderis ad lanas: has multò leuiores cõperiet,quàm lanam. Quin etiam guaiaci lignum cæteris ponderoſius, quia dẽſius: imò tam graue eſt, vt præter lignorũ morem iniectum aquæ ſe mergat. Ita etiam Mercurius vigeſies ſublimatus, præcipitatus,coagulatus,& penè fixus, iterum recrudeſcet in argentum viuum, cũ exigua aut ponderis aut ſubſtantiæ ſuę iactura, id quod

De primis qualitatibus & ſecundis.

Cap. 2. lib. 3. de Cœlo.

quod ipſius denſitatis argumentum mihi ἀσάλευτον videtur. Vlterius excurrere nec charta ſinit, negotium. His igitur cõtentus, feſtinantiſſimè ſcriptis, valeto: meq;, vti facis, diligito. Magnif. D. Cratoni ſ. p. ex me dicito. 3. Maii, anno 1582.

Reverendo viro, Dn. Abrahamo *Bucholzero, Theol. celeberr. &c. Caſpar Hofmannus, Elect. Brandeb. Med. S. D.*

Etsi ſpero te iam priſtinæ valetudini eſſe reſtitutum: tamen quia ſubinde ſe colligere ſolet pituita ex imbecillitate coctionis & defectu caloris naturalis, vigilãdum ſanè eſt, & tempore pacis cogitandum eſt de bello, aduerſus hoſtẽ tam truculentum, ne prælium redintegret. Ego video cardinẽ totius rei verti in eo, vt calor naturalis ſuaptè natura debilis exuſcitetũr, ne ſequatur cruditas, & ex hac pituitæ collectio: & vt pituitoſi humores, collecti per interualla, abſq; nocumento interiorum membrorum è corpore educantur. Hæc ſi fierent, minus eſſet metuendum de morbi recurſu. Quod igitur ad exuſcitationem caloris natiui attinet, faciunt quidem intus rotulæ, morſuli, *Calorem exuſcitantia.*

pulueres,condita,&c.aliquid,& foris vnguenta, ſacculi,cerata, &c. ſed minus tamen q̃ fuit expectatũ. Ratio eſt, quia humor pituitoſus inſinuauit ſe in tunicas vẽtriculi, vnde hebetatur calor, & cibus in ventriculo degenerat, & vertitur in crudum humorem & viſcidum, qui poſtea inteſtinis adhæreſcit, & accedẽte obſtructione flatus copioſos ex ſe gignit, à quibus tumor & dolor, cum exitus illis ſupra & infra ſit intercluſus. Quid igitur agendum? dices. Non quidem contemnenda illa,quæ paulo ante nominaui, hoc eſt rotulæ,ſacculi, &c. Sed ſpero hæc, quæ dicturus ſum non parum profutura. Multos qui ſimiliter affecti fuerũt, iuſſi in hebdomada bis de Mithridatis antidoto ſumere quantitate piſi vnius aut duorum. Dictu mirum,quam illis hoc profuerit, non prima ſtatim vſurpatione, ſed tempore ſequente. Excitauit calorẽ, humiditatem ſuperfluam abſorpſit, &c. Nec metuendum quicquam de vehementia medicamenti, quia in parua quantitate ſumitur. De pipere inciſo ſemel dixi antea: ſi degluttiãtur ſeptem grana inſtar pillularum

Vis Mithridati.

Sed

Sed cum plus calfacere ventriculum volumus, contundimus grana craſſo modo, & in vno aut altero cochleari iuris gallinæ, aut alterius iuris carnis exhaurimus. Itaq; quoq; calefit ventriculus abſq; nocumento epatis. Zinziber quoq; conditum multum iuuat. Cum his domeſticis (quæ ſæpe plus iuuãt, quam valde medicamentoſa & operoſa) corrigi poteſt ventriculi imbecillitas, & excitari calor naturalis. Rogo Mithridatum experiri non omittas. Et ſi vẽtriculus tuus vſum eius ſufferre poterit, (nocere non poterit) dabo operam vt aliquid de præſtantiore alicunde nanciſcat, & tibi mittam. Quod ſubinde clyſteribus inteſtina exoneras, bene facis. Paſſulæ laxatiuæ quomodo conuenerint ſcire cupio. Ego his ſæpe vſus ſum, & bene cõtulerunt. Nihil in ſe habent quod purget, præter folia ſenæ. Rhabarbari nihil ineſt. Si ventriculus reſpuet illorum vſum, tũ potius vſurpentur rotulæ illæ ex diaphœnicone. Video me oportere integro conſilio tibi explicare rationẽ præſeruationis à colico dolore, & quid in acceſſione agendum. Id (Deo teſte) iam illico

facere non poteram, cum hac hebdomada Elector & Adminiſtrator ſumpſerint medicamenta,& hodie quoque, meq; rariſſimè domi, ſemper autem in aula, eſſe oportuerit. Hæc ſcripſi noctu, cum alioqui multis ægris ſcribendum eſſet. Vitam profectò iam ago inquietam. Optime te valere opto,cuius precibus me commendo. Datæ feſtinanter Coloniæ ad Süeuũ, 17 Febr.anno 1581.

ABRAHAMO BVCHOLZERO THEologo,&c. Caſpar Hofmannus Med.SD.

ETsI cum tuæ mihi redderentur literæ, in magnis eram ædificandi moleſtiis: tamen moleſtiã omnem tuæ diſcuſſerunt literæ, quod ex iis cognoui, te priſtinæ valetudini aliquomodo reſtitutum eſſe. DEO ſit laus & gloria. Quod per clyſteres multum phlegmatis eſt eductum, id præcauebit ne tam facilè fiat recidiua. Morſuli (fateor) ſunt aliquanto fortiores, ſed mirum quã prædicet eos noſter Cancellarius. Si tantum particulã inde ſumit, ſentit aluum aliquoties aperiri. ſed ſua eſt

cuique

Digitized by Google

cuique temperatura. Fortaſſe rotulæ ex diaphœnico efficiunt apud te, quod apud illum morſuli. Mitto denuò conditum & mithridatum. Modum vtendi non opus eſt, vt adſcribam, cum id antea factum ſit. Mitto & vnguentum ad impotentiam illam manus dextræ. Huius vſus talis eſt: ſumuntur herbæ hæ: betonica, origanum, ſaluia, roſmarinus & iua arthetica, ſingulorum manipuli duo, coquuntur in olla bene contecta, & effunduntur in vaſculũ, quod pãno multiplici tegatur, ne euaporet, inſeritur manus & fomentatur, per quartam horę partẽ manè & veſperi ante cœnam. Poſt fomentationem vſurpetur vnguentum, quod mitto, præſertim circa iuncturas. Vt autem videri poſſit, quæ ſint illa quæ accipis, mitto receptas vna, ſicut ſcriptæ & paratæ ſunt in pharmacopolio. Saluia etiam valdè commẽdatur, & vtilis eſt aduerſus tremorẽ, ſi quis aqua deſtillata crebrò manus vngat, aut potius ſi ſaluia imponatur aquę, ex qua manus lauandæ ſunt. Quidã hic ſimiliter penè affectus mira de ea prædicat, quantopere ſit adiutus. Sed hoc exile eſt quanq̃ exilia etiam,

Vnguentum pro manus dextræ impotentia.

Saluia pro tremore.

lumbricor.an.ʒv.
ardeæ.
taxia.ʒ iß.
Pulu.vermium terreſtr.ʒ ii.
Succi ſaluiæ,
Vini Rhenani a.ʒ ii.
Pul.fl.ſtœchad.arabic.
roſmarini,
lauendulæ an.℈ß.

Coq.ad ſucci & vini conſumpt.excolētur ſpecies craſſiores. ol. add. nucis conditæ per expreſſ. ℈ii. miſc.& addita paucula cera f.vnguentum:ſig.*Salbe.*

ABRAHAMO BVCHOLZERO THE-*ol.&c.Caſpar Hofmannus Med.S.D.*

PLVRIMVM lætor, ac tibi gratulor quod Deus tibi proſpexerit de cōmoda matrefamilias. Sic enim arbitror & tibi conſultū fore & liberis.Si vllis vnquam nuptiis intereſſe cupiui, his certe interfuiſſē libentiſſime, ſi mihi ex ergaſtulo meo prouolare licuiſſet. Adfui autem animo, votis & bene precando, quandoquidem aliter adeſſe nō potui. Quod vero ad corporis tui ſtatum, & medicamenta attinet,

autem volui adhibere humectantia, quæ feces nō ſinerent arefieri, & indurari, ſed potius ad alui lubricitatem conferrent. Vale, Coloniæ ad Sueuum, 9 Nou. an. 83.

CASPAR HOFMANNVS, MEDICUS, *&c. Laur. Scholzio Med. S. D.*

GRATISSIMÆ mihi fuerunt & priores, & hæ tuæ proximę literę. Deprehendi enim ex iis nō vulgarem ſanè tuam erga me beneuolentiam, quæ plurimum mihi voluptatis attulit. Sed rurſus video te opinione falli, quam de me concepiſti, maiore nimirum, quam vt eam mea ſuſtinere poſſit tenuitas. Ad priores equidem diu reſpondiſſem, & tarditatem meam in reſpondendo, ipſemet accuſo, præſertim cum ad amicitiam ineundam (quæ mihi potius expetenda fuiſſet) vltro & præter meritum meum inuitatus ſum. Sed in eo iam vitæ genere verſor, vt me vitā meam foris in perpetuis peregrinationibus & moleſtiis, domi in ſumma inquietudine tranſigere oporteat. Quo fit vt minus nunc in ſcribendo officioſus eſſe poſſim, quam olim eram. Dabis igitur veniam non ſolùm tardè, ſed etiam raptim

abſentem Medicũ. Iacobo genero ipſius indicaui vſum eorum, quæ mittuntur. Oro te diligenter adſis huic optimo, & mihi chariſſimo viro, de publicis ſtudiis bene merenti, & digno quem nullus vnquã morbus infeſtet. Studebo ipſemet eã ob cauſam te demereri. Eſſet ſcribendum aliquid de thermis, ſed mihi (Deũ teſtor) nunc nihil eſt otii. nec adhuc aduenisse arbitror tempus idoneum vſurpandi. Vere appetente cum Dn. M. Abrahamus ſe recollegerit, & vires erunt validiores, tũ iniri conſiliũ hac de re poterit. Aliis temporibus ſcio illum non modo non thermas; ſed ne quidem iactationem in itinere perferre potuiſſe. Vt autem de thermis Hirſchbergenſibus aliquid interim memorem, mitto epiſtolam quandã meam ad D. Paulum Lutherum Electoris Saxoniæ Medicum ante aliquot annos, à me ex thermis illis reuerſum ſcriptam. Cupiebat enim & ipſe ſe illuc conferre, ſi à me prius monitus eſſet de viribus illarum & vſu. Supplebit epiſtola illa breuitatem mearum literarum. Libellum de ligno ſaſſafras remitto. Non potui illum perle-

gere præ ocii penuria,ſed amanuenſi meo negotium dedi, vt germanica conferret cum capite de ſaſſafras, quod eſt in Monardi libello, edito opera Caroli Cluſii. Ego hactenus eo vſus nō ſum, ſed D. Schroterum & Brunnerum eo vti ſcio. Et malo in iſtis nouis & raris ab aliis periculū fieri, quam à me, qui nō temere à veteribus ad noua proſilio. Quomodo Schroterus vtatur annotaueram, ſed non erat mihi nunc ad manum. Mitto etiam farraginem illam tumultuariam de Barbario, quam expetis. Dn. D. Baudiſio vt ſcriberē non vacabat. Rogo itaque vt tu illi deſcriptionem morſularum purgantium mittas, quæ ſequitur:

℞ Mannæ el. ℥ iiii.
Extract. ſolutiu. ℈ v.

Diſſoluta manna in aqua aliqua f. morſuli numero viii. Extractionis autem ſolutiuæ deſcriptio hæc eſt:

℞ Cinnamom. ʒ x i i i.
Zinziberis ℥ i. ß.
Caryophyll.
Galangæ,
Cardamom. an. ℈ viii.

Nucis

Nucis muſcatæ,
Macis,
Lig. aloes. an. ℈ iiii.
Roſar.rubear. ℥ii.
Turbith ℥ iiii.

f.ſ.a.extractio, addendo in fine ſcammonii extracti ℥ i ß. Miſc. reſeruetur vſui. Poſſunt inde fieri morſuli cum manna, vt dictum eſt, aut rotulæ, ſi ſumantur extractionis ʒ ii. ſacch. ℥iii. Vides deſcriptionẽ quo ad purgantia conuenire cũ Diaphenico. Miſit Dn. D. Baudiſius ad me terram ſigillatam & bolum. Cuperem ſcire an eius apud vos quoque eſſet magnus vſus. Sunt apud nos Gallici aliquot curati per turbith minerale. Idemque factum eſt Halæ. Vratislauiæ dicitur tonſor eſſe, qui mira præſtet, & ab eo noſter tonſor didicit hoc ſecretũ. ſi quid tibi ea de re comperrũ eſt, quæſo mihi ſignifices. Habeo aliquot deſcriptiones turbith mineralis, ſed cuperem ſi fieri poſſet tonſoris illius præparationem. Sed iam charta eſt expleta, & tempus deficit. Bene itaque te valere opto, & D. M. Abrahami valetudinem tibi commendo. Datæ Coloniæ

Digitized by Google

ad Sueuum, die 25 Decemb. anno 1585.

CASPARVS HOFFMANNVS Medicus &c. *Laurentio Scholzio Med. S. D.*

PVDERET me negligentiæ meæ, & eſſem accuſator mei ipſius, quod ad humaniſſimas, & erudiriſſimas literas tuas hactenus non reſcripſi, niſi excuſationem haberem nimis iuſtam. Nam ab ipſo huius anni exordio in hunc vſque diem ita circumactus ſum, idque mandante Electore, vt nunquam domi ſubſiſtere potuerim, ſed ſemper iter aliud ex alio mihi iniunctum ſit. Itaque ſpero te non ſolum excuſationi meæ locum daturum, ſed etiam miſeram ſortem meam, in quam detruſus ſum, condolētia aliqua proſecuturum eſſe, cum non mea, ſed aliena voluntate à ſcribendo retardatus ſim. Æquum ſane eſſet, vt tarditatem literarum prolixitate compenſarem, ſed hoc ipſo pene momento reuerſus ſum cum Electore Dreſda, cumque in ædibus meis inueniſſem Freiſtadienſes quoſdam cognatos meos, qui mihi à te, & Dn. M. Abrahamo literas

literas reddiderunt, & illi vehementer properarent ad nundinas ſuas, non potui facere, quin hanc exiguam ſchedam interim ad te mitterem, quæ ſi nihil aliud, hoc tamẽ efficiet, vt intelligas, quid hactenus obſtiterit, quo minus tibi reſcripſerim. Quod autẽ ad Dn. M. Abrahamum attinet, valde doleo illi iam rem eſſe cum tumoribus pedum. Sæpe illi dixi, & ſcripſi omnium fere morborum cauſam eſſe defectum caloris natiui, qui cum exercitio ſuſcitandus eſſet, ipſe libris affixus magnam inde debilitatem membrorum contraxit, vt & ventriculus non bene coquat, auocato inde calore, & fumi caput repleuerint prouocati nimiis animi intentionibus, vnde poſtea fluxiones cõſecutæ ſunt, & alia mala, quæ ſubito tolli Dn. Abrahamus cuperet, cum cauſæ, ex quibus morbus pendet, & diſpoſitio ad eas diu durauerint. Nã tumores pedum, quibus ad collectionem ſæpe multũ ſpacii relictum fuit, poſtea ſe tam facile abigi non patiuntur. Nunc libenter ei (teſte Deo) ſcriberem ea, quæ profutura ipſi ad tumorem pedum putarem, ſed quid

localibus perficitur, vbi vniuerſalibus opus eſt? Scribam tamen in hac feſtinatione aliqua quæ occurrunt. Marchio Iohannes in tumore pedum vinum in ollula calefieri ſinebat, in eoque calido lintea madefacta pedi circumcirca imponebat, & ſæpe hac ratione ſibi tumores crurum diſcutiebat. Cardanus ſpongiã vel vincula madefaciebat ex lixiuio & aceto eodẽ modo. D. Schiltelio contra tumores pedum, vbi dolores aderant, hoc erat vſitatiſſimum:

Pro pedum tumoribus.

℞ Farinæ fabar.
lentium,
Sem. lini,
fœnigræc.
boli armeni an. ℥ i.

Omnia pulueriſabat, & coque cum aqua plantaginis (ſi color aderat) vel alia, & addebat olei alicuius ad hanc rem conuenientis ℥ii. vt fieret cataplaſma. Plura mihi in aulam vocato ſcribere non licebat, & vrgebant hi Freiſtadienſes, vt maturarem, qui valde ad nundinas abituriebant. Vnde etiam factum eſt, vt nec ea remedia, quæ mihi communicaſti, remittere potue-

potuerim, nec mea aliqua tibi mittere. Fiet autem id propediem. Cogito enim moram illam alia via compenſare. D. Ioachimus Camerarius, vir doctiſſimus & humaniſſimus, Dreſdæ iam fuit, vocatus ab Electore Saxoniæ, cuius valetudo ad cachexiam inclinare videtur. Singulis diebus vltro ad me venit, & ſumus de variis rebus amantiſſime collocuti, de quibus libenter aliquid ſcriberem, ſed nihil (Deo teſte) ſupereſt temporis. Fiet autem alias. Editurus eſt breui herbarium Matthioli germanicum, adiectis quibuſdam experimētis εὐπορίστοις, quem poſtea ſequetur herbarius alter, qui herbarii Geſneri, cuius ipſe bibliothecam emit, veluti epitome erit. Oſtendit mihi effigies ſculptas, ſed pulchriores me videre non memini. Pollicitus eſt mihi, ſe miſſurum mihi ſemper aliquid, quæ tibi amico optimo ſum ego quoque communicaturus. Neque illa ſolum, ſed etiam quæ ab aliis Medicis hinc inde accipio. Vnum hoc oro, vt miſertus meæ miſeræ ſortis, me hactenus ſaltem excuſatum habeas, quod impiger alias ad ſcribendum ad te nihil aut parum

Herbarium Matthioli.

reſcripſerim, imo etiam nō reſcripſerim, ſed inopia temporis pronunciare ſaltem coactus ſim. Te Deus opt. max. bene valere velit. Datæ Coloniæ ad Sueuum, 12 Maii, anno 1584.

ANDREÆ AVRIFABRO MEdico celeber. &c. *Valerius Cordus S. D.*

Trochiſci de vipera.

POSTREMIS literis petis, vt tibi trochiſcos emam de vipera, volui pecuniam apud me retinere, quoniam magno emuntur precio, vt mihi ipſi ante vnum atque alterum annum miſſæ ſint in Germaniam vnciæ ſex pro ſex aureis ducatis, vt D. Caſparus prope nouit, cui eas vendidi eodem precio ad theriacæ confectionem, qua in re dabo operam vt recentes mittam, & vt me præſente fiant, vt ipſe videam num è veris parentur viperis. Nam magna eſt in hac re impoſtura. Fieri autē debent circa veris exitum ante initium æſtatis. Itaq; iam nō mittam ante annum compoſitos, quamuis facile habere poſſem. Præterii nuper in Bacchanalibus pharmacopolium quoddam Venetiis, vbi

ad ſolem exiccabantur trochiſci de vipera dictis aureis literis,, iiſq; maiuſculis adſcripto nomine, & ante tabernæ feneſtrā ſuſpēſo. Color illis erat niger propter cōbuſtum panem, quē viperæ carnibus miſcent. Ego inſolitum eos faciendi tempus conſiderās, ex patrono quæſiui, cur hyeme illos faceret, reſpōdit, ſe omnibus anni temporibus facere poſſe, oſtenditque nigros quoſdam ſerpentes, quos aiebat ſibi ex Ægypti Alexandria eſſe miſſos, ego ſubridens abii, aſino ſuos trochiſcos & ſerpentes relinquens. Simplicia hic habentur multa, quæ in Germaniam non afferuntur, egregiæ in medicina facultatis; vt ſunt, origanum candidum, origanum nigrum; vtrumque creticum, Ariſtolochia rotunda vera, &c. cum ad vos rediero incolumis, Chriſto fauēte, ſingulorum magnam copiam mecum feram, quæ multos in annos ſufficere poſſint: non enim facile deteriora fiunt, quemadmodū noſtræ herbæ in Germania natæ, ſed multos annos incorrupta durāt. Bis hoc anno ad montes Patauinos ſum expatiatus, & plurima inueni, quæ omnia recenſere longū

Google

foret. His vale amiciſſime D. Andrea. Ignoſce quæſo properanti. Datum Venetiis poſt natum Saluatorem 1544, 14 Aprilis.

CASPARVS LINDNERVS, PHYSICV *Poſſnau. &c. Ioachimo Baudiſio Vratiſlauienſi, Principis Lignicenſis Medico, &c. S. D.*

MVLTORVM ſermonibus intellexi de tua ſingulari humanitate, ac inſigni doctrina, quod etiam confirmauit magnifici ac generoſi Dn. Oſſowii noſtri de te iudicium, & D. Pauli eius filiorum præceptoris teſtimonium. Is enim demonſtratis tuis ad D. Oſſowium literis omnino fuit autor, vt ego prior hac mea epiſtola te ad ineundam & colendam amicitiam prouocarem, tamẽ vt communicatis ex arte medica conſiliis nobiliſſimo viro feramus ſuppetias, ſi poterimus; ſin minus vt ſaltẽ περὶ τῆς προγνώσεως, rectam pronunciemus, atq; vnanimem ſententiam. Et vt à prædictione incipiam, certe verſatur hic generoſus vir in grauiſſimo periculo non ob orthopneæ tantum impetus,

petus, qui (vt tu recte iudicas) ad leues, cordiq; vicinas arterias delabitur: ſed ob celerem, crebram, ac (quod omnium eſt deterrimum) intermittentem pulſuum motionem, quæ (vt ex decretis Galeni noſtri) omnium inæqualitatum eſt perniciosiſſima. Legiſti opinor hiſtoriam Galeni (lib. 4. capitis vltimi de locis affectis) Antipatri Medici Romani, qui mirabatur, quod ſine ſono ac ſtrepitu reſpiraret grauius, huic reſpondebat Galenus, cauſam eſſe in fluxu humoris non ad aſperas, ſed in leues, cordique proximas arterias, quod etiam arguebat omnium generum pulſuum inæqualitas. Tibi hæc viro erudito, vt in cæteris artis partibus, ita quoq; in anatomicis exercitatiſſimo, puto eſſe recte nota. qua de re ego poſthac vberius perſcribam, cum, Deo valente, verſabor Poſnauiæ, inde frequentius te meis ſalutabo. nunc enim occupatiſſimo cura iſtius magnifici mihi ignoſci peto, ſicubi errorem depræhenderis. Difficultatem curandi auget perpetua vaporum ac humorũ in iecore generatio, ex vitio αἱματώσεως ſeu officinæ ſanguificationis contracto,

ob natiuam & adſcititiam epatis calidi intemperiem cum febri cõiunctam. Dum enim frigidis alterare epar nitimur, materiam morbi augemus. Dũ vero calidis aut temperatis coctioni humorum attendimus, epatis æſtum augmentamus. Omnium optime illi ſucceſſit ex ſucco Iridis cum iure galli decrepiti vacuatio. Scis enim iure illo (cui Dioſcorides ἐπικεραστικὴν δύναμιν tribuit) non humorũ tantũ, verum etiam iridis temperari acrimoniam. Sed quid obſecro te interea proficimus? Eſt mollis flamma iecur (vt dicebat ille, licet in alio argumento) quod quidẽ corrigi raro poteſt, præſertim ſi cum virium detrimento (ob vigilias & continuas ob motum pulmonũ reſolutiones) iniecto, aquæ in ſpacia pectoris ac pulmonum influant. Adhibui ego, vt tu ſentiebas vna cum doctiſſimis Vratislauienſibus Medicis, fere omnia remedia. Tum ſex rerũ nõ naturalium obſeruatione, nil, (vt ego ſentio) à me eſt prætermiſſum ad robur mẽbrorum principalium, tamẽ ad corrigendas intemperies, occurſum eſt grauiſſimis ſymptomatibus deriuando & auertendo

Ius galli.

tendo fluxionum impetus, verum tanta eſt mali rabies ac tyrannis, vt ne placari quidem iam poſſit. Fruſtra hiera, & alia ſana adhibentur medicamina. incaſſum & braſſica marina, & alia plæraque à veſtris excellentiis excogitata remedia. Vna ſalus fidere Deo, ſunt cætera fruſtra. Victus ratio adhibetur morbo, & cauſæ conueniēs, vngitur regio epatis roborantibus & alterantibus. Coquuntur humores, verū vrinæ rubræ crudæ tenues, cum malis ſedimentis, ac diuulſis nil pollicētur melius. Pulſuum arteriarum, ac reſpirationis continua (de qua ſuperius dixi) ac deprauata inæqualitas terrent magis, quam cætera omnia indicia. Epati conſentit pulmo ac ventriculus. Et niſi euacuentur leniter ſuperflua, putreſcunt facile intus. Poſtremo tentatis omnibus, ad auxilium Dei confugimus, non intermiſſis tamen ſingulis auxiliorum generibus. Hæc tibi viro amiciſſimo & eruditiſſimo ſignificare volui, vt & candorem animi mei apud omnes teſtatū relinquerē, & de omnibus bene merendi ſtudium declararem. Peto iterum mihi ignoſci.

Digitized by Google

Nam cum hæc ſcriberem, eram occupatiſſimus. Datæ Poſnauiæ, 5 Iunii, an. 1575.

CASPAR LINDNERVS MED.
Ioachimo Baudiſio Med. S. D.

LITERÆ tuæ vltimæ magna me affecerũt voluptate. Tu vero dabis oro veniam ſi breuius reſponſum dedero, quam fortaſſis poſtulares. Cum & occupationes meæ multiplices, & iter quod inſtituo ad thermas Hirſchbergenſes magno mihi fuerint impedimento. De mea profectione hoc tibi ſignificare volui, quia per Glogouiam veſtram menſe Auguſto mihi erit tranſeundum, vbi te, Deo auxiliante, viſam & alloquar, & vt in notitiam iſtius magnifici Domini (cuius ampliſſimo præmio inuitatus eo) tu venias. Si ita & præſentia tua, & voluntas patientur. Ad herbam Dictamni Cretici vero, quam ſi veſter pharmacopola in horto alit, veniens, Deo dãte, videbo. De famulo Latinæ ac Polonicæ linguæ perito prouidebo ſedulo. Iam enim per eaſdem rationes impedimentorum nõ eſt mihi factu poſſibile. De Gordonio, cuius praxin

Gordonium.

mi-

mihi Wilkouii oſtenderas, ita ſcribit vir doctiſſimus Augerius in illa præclara medendi methodo: Gordonii ac Barbarorum ineptias quis ferat? Tam ſtupidi fuerant, vt quod integrum erat omiſerint, quod ſeminatum corruperint, & in nugas cõmutarint. Tabula medica illa prior (in qua manum Dn. D. Theodori Zuingeri agnoui) mihi eſt cordi, quod typos cõtineat non ſolum vniuerſæ medicinæ, quam prius ordine reſolutiuo ac definitiuo docuit, verum & adumbrationem illius compoſitiui ordinis in Hippocratica medicina explicandi, cuius in ſuis ad me literis, & in Theatro vitæ humanæ fecit mentionem. Hanc rurſus tibi remitto, ac ſummas tibi pro officio iſto habeo gratias. Ad pulſuum Theoriam, & in ægris experientiam te vir clariſſime vehementer adhortor, cum Galenus ille, & ante ipſum Eraſiſtratus nulla alia re apud ſummos Imperatores claruerint magis, quam illorum motuum arteriarum admirabili obſeruatione. Legas obſecro te librum de præcognitione ad Poſthumum (quẽ ego ſcio eſſe legitimum, & probare poſſum)

& reliquos de pulſibus 16 libros, non te pœnitebit operæ. Sic & 4 de locis affectis capite vltimo, ſic & in libris Methodi quantũ proſit Medicis egregiis hæc conſideratio, vel digito demõſtrat. Herbæ ſolis vel chryſanthemi Peruuiani foliũ tibi mitto incluſum inter tabulas. Alia mecũ, Deo volente, feram, quibus E. T. delectabitur plurimum. Iam vero ipſam optime valentem ſeruet Medicus omnipotens. Datæ Poſnauiæ celeri calamo, anno 1575. 28 Iunii.

Caspar Lindnervs, Medicus, *&c. Ioachimo Baudiſio Med. S. D.*

HIc puſillus tabellarius, qui mihi tuas literas reddidit, de reſponſo me flagitabat. Etſi autem maluiſſem ipſemet te Glogouiæ alloqui, ſed cum iter illud ob mea domeſtica impedimenta intermittere coactus fuerim, paucis reſpondebo. De medica pulſuum πραγματείᾳ non abs re toties monui, cum & neceſſitatem illud vrgere videam, & vſum in cognitione morborum experiar ſingularem. Habeo

& Ga-

& Galenum teſtem, præcipue in libello illo pulcherrimo ad Glauconem. Interea tibi de valetudine mea aduerſa, qua periculoſe laborabã aliquid ſignificabo. Ante menſem cũ redirem è cõuiuio cuiuſdam magnifici Caſtellani, correptus fui δυσουρίᾳ cum difficili ſpiratione, ſumma pulſuum paruitate, lãguore, raritate, & fere comitante ἀσφυξίᾳ, vrſit dolor renis dextri, coxendicis, & pubis cruciatus. Adhibui ẽnema balnea, vomitum cientia, tandem ʒ ß ol. vitrioli cum ℥ v aq. maluæ epotæ magnam arenæ rubrę, grumorum, ac farinarũ copiam per vrinas deiecit, & ſic; Dei beneficio, ac trium medicorum præſentiũ opera ſum leuatus morbo grauiſſimo, qui me fere biduum male tractabat. Herba ſolis (quam chryſanthemon Porrinianum vocat Dodonæus) in vaſibus meis hortenſibus excreuit in altũ, florem nondum vidi. Herba molucca florem oſtẽdit, & ſpem ſeminum pollicetur, herba omnium amãtiſſima (nam & hanc inter herbas cœleſtes colloco.) Vxor mea proximo mẽſe paritura filiolum elegantem ſpe in Deum coniectã, & euidenti-

Dyſuris.

bus Medicæ artis ſignis mihi obiectis promittit. Deus æternusque Medicus nobis præſto ſit. Tu vale, & interdum aliquid te oro ſcribe. Datæ Poſnaniæ, anno 1575. 15 Auguſti.

CASPAR LINDNERVS MEDIcus &c. *Ioachimo Baudiſio, Medico, S. D.*

MIRABAR clariſſime ſimul & doctiſſime vir, quod his nundinis nullas ad me per mercatores veſtrates dederis literas, quibus de ſtatu rerum, ac ſtudiorum tuorum fierem certior. Præſertim cum id mihi ante annũ ſanctiſſime fueris pollicitus, cum affirmares nil tibi gratius fore noſtra amicitia, quam mutuis literis ac colloquiis te alturũ recepiſti. Ego vero etſi meo deeſſe nolui officio (ne viciſſim ſilentium meum putares inurbanum) tamen argumentum vix aliud reperi, præter illud, quod quidam illam nobis quæſtionem obiecerit: vtrum febris acuta (iuxta Galenum, ac reliquos) ſit accidens inſeparabile pleuritidis. Si quis affirmauerit rem ita ſe habere, obiiciam illi Hippocratem,

tem, qui in hiſtoria Anaxionis febrem die 20 deſiiſſe aſſerit, cũ tamen pleuritis durauerit ad 34 diem. Regula itaq; Galeni fallit, quam ſi tu poſſis conciliare, meque his exoluere curis, multum hercle tibi debebo. Hanc ego quæſtionem ad te colloquii cauſa, vtque abs te erudirer profero: cum ἐκ τῆς ἀπορίας εὐπορία γίνεται, tum ne alimẽtum veteris amicitię deficiat, quo ſublato amor ille mutuus contabeſcit. Libros Medicos hic non vidi nouos, qui poſſent ad veterum inuenta aliquid addere. Ego veteres euoluo ſedulo, & cum datur occaſio ad vſus noſtros reuoco. Si quid literarum à Th. Zuing. legeris, proximo etiã mercatu quadrageſimæ per mercatores veſtros mihi perſcribas te oro ac obteſtor. Expecto enim tuas cupidiſſime. Interea rectiſſime vt valeas cura. Datæ Poſnaniæ, anno 1575. 16 Decemb.

Vtrum febris acuta accidẽs perpetuum pleuritidis.

IOANNI AVRIFABRO, THEOL. *celeberr. &c. Balthaſar Scheider Vratiſl. Med. S. D.*

CONIVNX tua ad nos venit penultimo ſeptemb. ad quã vocatus à fratre, dn. D. Heſſo, amico meo chariſſimo, ſtatim

acceſſi. Cumq; viderem in vniuerſo corpore pituitam redundare, decoctum ordinaui, quo cum ſub noctem vſa eſſet, ſequenti die ſummo mane ſumpſit minoratiuum: idque ideo exhibui, ne immundities contenta in ventriculo ad meſaraicas raperetur, & obſtructiones faceret. Nam cum vrina eſſet peſſima, nihil aliud ſperare potui. Sublata autem materia eodem die vrina viſa eſt melior, ſed tamen cruda. Et quia vehementer conquerebatur de planta alterius pedis, cui vix potuit inſiſtere mouere autem non ſine ingenti dolore, ita vt ne quidem progredi poſſet libere, ſed valde claudicaret; inſpexi locum affectum, & vidi tendines illius muſculi, qui ad quatuor pedis digitos deriuantur, nimium exiccatos eſſe, & propemodum ſcirrhoſam affectionem contraxiſſe. Quæſiui igitur quid applicaſſet pedi, & cum diceret de oleo iuniperi, & de quodam emplaſtro nigro, quod pertinaciſſime adhæſiſſet, & non ſine dolore detrahi potuiſſet, ſtatim paraui vnguentum emolliens, quo cum locum affectum veſperi & mane inunxiſſet, ſenſit ſe melius

habere

habere, & nunc libere progreditur, neq; de vllo dolore cõqueritur. Acceſſit poſtea dñ. Crato, qui coniugi tuæ vnicam potionem ordinauit, cum ad Ioachimũ ducem Munſterbergẽſem profectus eſſem. Quotidie tamen conuenimus, & factum eſt vt pauciſſimis exhibitis medicamẽtis ipſam ad thermas ablegare decreuerim, quæ ſine dubio optime cõueniunt. Nam cum toto corpore ſit refrigerata, meo iudicio nihil melius accõmodari poſſet, niſi quod anni tempus aliquo modo erit incommodum. Miror autem Medicos veſtros non potuiſſe pedi conſulere. Et ex cura adhibita manifeſtũ eſt, quod in chirurgia parũ, aut potius nihil profecerint. Si fuiſſem apud vos, facile huic malo inueniſſem remedium, & præterea curaſſem, quo minus iſtam profectionem ſuſcipere coacta fuiſſet. Cum vero ad nos venerit, & thermis videatur delectari, eo magis ſuaſi vt ad ipſas accederet, & nũc, poſtquam purgata eſt, ſine dubio magno ſuo cõmodo lauabit, ſi modo iuxta meum præſcriptum vixerit. De quo nihil omnino dubito, pręcipue cum viderim, quod hic in of-

ficio fuerit,& nihil prorſus neglexerit. Bene vale & certo crede, quod coniunx tua ſine vllo impedimento incedat, & quod ſatis proſpera fruatur valetudine. Id quod ſine dubio etiã ex litteris ipſius intelliges. Iterum vale,& iſtam breuitatem, atq; negligentiam in ſcribendis literis boni conſule Datæ Vratiſſ. pridie Non. Oct. an. 62.

ANDREÆ AVRIFABRO MEDICO, *&c. Georgius Vberus S. D.*

De ollis & vaſculis quæ effodiuntur.

DE ollis Trebintianis paucis, quæ ipſe ego vidi, quibus deniq; interfui, accipe. Eſt locus extra Trebinzum apprime arenoſus, inſtar monticuli, prope villam Maſſel noſtri vocant *den Toppelberg*, cuius hæres & dominus Maslowski, ab eadem villa nominatus, vt Polonorũ nobiles pleriq; conſueuere: huc ſub feriis Pentecoſtes, ſi quando ciues tædium & ſatietas vrbis cœperit, animi recreandi gratia ſeſe conferunt, agricolis nũmos aliquot enumerant, qui ligone & palo accincti ſcrobem in modum circuli effodiunt, ex qua tandem ollulam prope madidam, mollẽ & tenerrimam, cũ arenoſa terra, & variis inſtrumentis educunt, quę ſi paululum in

aerem

aerem ſublata & deteta fuerit indureſcit, & ex molli ſubdurior redditur. Vidi ego nonnũquam carbones, ligna, oſſa, inſtrumenta ænea, & ferrea, ærugine ſubducta, quę ego hinc inde aurifabris & ſerrariis exhibui, vt ſi qui talium inſtrumentorum, vel potius fragmentorum vſum nouiſſent referrent, atqui nemo illorũ repertus, qui ſaltem diuinare recte de eiuſmodi fragmentis potuiſſet adeo antiquitate & ferrugine contrita. Puto ego iſthic quãdam ſepulturam gentiliũ fuiſſe, qui cum vrnis carerent, ollas interim cum cinere, igne, fauilla, & reliquis inſtrumentis ex rogo relictis in ſignum pietatis collegerunt, condentes tumulo mediaq; inhumarunt arena. Vnde longinquitate temporis factum, quod madente terra aſſiduo humore ollæ liqueſcant, & in naturam priorem, ex qua factæ, reuertuntur, & ſi parum caute exemptæ fuerint lutum ac argillam pro olla retinebis. Si cautius & diligentius rem agas in eximendis vrnis aeris ſiccitate indureſcunt, & naturam priſtinam, qua à figulo formatæ retinent. Si quippiam inde E. T. melius ac rectius elicere poterit,

non repugnabo, imo ſi gratum fore intellexero, operam dabo ſedulo, vt ab incolis circa Trebinzium, ſi nō hac hyeme, certe vernali tempore tale quippiam collectum & conſeruatum ex ſepultura gentilium, vel, vt noſtri vocant, Toppelbergæ ad T.H. mittam. His optime valere T.H. cum coniuge & tota familia cupio. Datæ Vratiſlauiæ vltimo Ianuarii anno 1544.

ABRAHAM SEILER, MEDICVS *principis Bregenſis, &c. Ioachimo Baudiſio Med. S. D.*

HABENT nonnunquam, clariſſime vir, morbi eorumq; ſymptomata, vt quotidiana teſtatur experientia, aliquid præter idæam propriam peculiare, quo ipſorum inuaſiones exacerbantur. Hoc & regulares curationes cauſas reſpicientes denotant. Et ſane verēdum id in coniuge generoſi N. N. vſu venire, quæ ſingulari opera doctiſſimorum Medicorū reſtitui nō potuit, ſymptomata in peius, vt literis ſignificas ruunt. Ne autem ſus Mineruam videatur, hoc tibi præſcribere, cū ipſemet quod equidem lubens certis de cauſis feciſſem

ciſſem, ad vos ob molem negotiorũ meorũ recurrere non poſſim, libuit. Epilepſiæ ſiue per cõſenſum, vel eſſentiam fuerint, & cauſis antecedentibus ſublatis ſi recurrunt συναίτιον αἴτιον ſubeſſe, quæ cauſa vel in ſubſtantia cerebri, vel in vẽtriculo, vel in teſtino colo, vel matrice, vel externo mẽbro hæret. Vt autem auferri poſſit ad medicamenta factis vniuerſalib. appropriata vt vocant, recurrẽdum eſt, ſi talia excogitari poſſint. Et facile mihi perſuadeo præter cerebrum affectũ colon inteſtinum, ventriculum, & matricem cõſentire. Expertus ſum ſępenumero in epilepſia confirmata, ſi in quadratura, & in ipſo paroxyſmo præſentis medicamenti inſtar fabæ exhibitum fuerit, quod multi etiã adultæ ætatis liberati ſint: quo & generoſa domina ſine moleſtia vti poterit, ſi tibi videbitur. Eſt mirificæ efficacię in cõcurſu multarum cauſarũ. Proſpiciẽdum etiam ventriculo & matrici vnguẽtis minus odoratis & emplaſtris. ne euaporãdo ſua excrementa cerebro communicent. Per interiora multis medicamentis, cum reſpuat, moleſtare nõ video ex vſu eſſe. Hæc bre- Epilepſia.

uibus currente calamo ad te exarare volui, vt petitioni tuæ ſatisfacerem. Habes enim me ad quæuis officia tibi deuinctũ. Dabantur Vratislauiæ 13 Octob. an. 1570

Abraham Seiler. Medicvs *&c. Ioachimo Baudiſio Med. S. D.*

Affectiones, quibus nobilis vir moleſtatur, ex longo epatis vitio reſultant. Coaceruat indies multas cruditates ex ocio & ingluuie. Ita enim comparatum eſt, quando ægri ad ſatietatem vſq; corpus non replent, ſe frui inualetudine mediocri. Cum ignorẽt frugalitatem magnũ eſſe vectigal ſanitatis. Morbos ex repletione cõtractos curandos eſſe euacuatione nos nõ ſolum ſenex noſter, ſed quotidiana docet experientia. Cum ergo corpus ſcateat malis humoribus omnino cõmodis medicamẽtis euacuandum. Nota eſt mihi ægri natura, & corporis diſpoſitio, imaginatur ſe priſtinam poſſe acquirere valetudinem. Vtinã ars noſtra & natura hæc præſtarent, vt ſenectus in adoleſcentiam cõmutaretur. Sed hæc non ſunt artis noſtræ, verum vt affectiones, quas

natura auxiliatrice pharmacia reſarcire poteſt, Medicus ſolūmodo ſubit. Ad impoſſibilia nemo obligatur. Ad corpus euacuandum vniuerſaliter nihil commodius ſarza, vt E. T. eſt ſentētia. Vſum ligni vereor in corporibus epate calidiori præditis. Bene & feliciter vale. Dabantur raptim Vratislauiæ 22. Septemb. anno 1578

ABRAHAM SEILER MEDICVS *&c. Paulo Cloſio, Phyſico Glac. S. D.*

CONQVERITVR de febrili acceſſione de tertio in tertium, cum ingenti capitis dolore, vigiliis vomitu nonnunquam, cibi inappetentia, atq; virium deiectione. Certū eſt in ventriculo, atq; primis venis, cum vrina ſit rubicundior, atq; arenulæ ſemper excernātur, aliquam hærere materiam, cum etiam aliquando vomitus accedat, quæ fomes eſt febriculæ diuturnioris. Suaderē ergo vt die quietis de nodulo ex rhabarbaro infuſo in vino hauſtū faceret, poſſet aliquid cinnamomi admiſceri. Die vero inuaſionis hauſtu ex radice Chinæ propinarē, vel darem pulueris ex zedoaria, nuce condita, & caphura *Tertiana.*

Digitized by Google

confecti ʒ i. caperem ℥ ß.& cũ ℔.i i i i.aq. decoquerem ad medietatis caſum, in fine aliquid ligni aloes iniicerem, vtpote ʒ ß. deinde colaturã dulcorarẽ cum ℥ i.ſacch. candidi,de hac potione darẽ ℥ v. cum aliquot guttis aq. cinamomi. Carpo quoq; ante paroxyſmum adhiberem nodulos ex ruta,abrotano, ſaluia & burſa paſtoris cõfecto. Sunt autem madefaciendi in aceto vini. Quod ſi poſt vſum febris non remitteret,darem catapotia conciliatoris, quæ aggregatiuæ nuncupantur cum extract. ellebori nigri 4 vel 5 granis. Dolor capitis vt ſopiatur poſſes epithema ex aquis plantag. roſar. melil. hederæ arboreæ & verbenæ applicari, cui aliquid aceti adiiciatur, vt vis melius pertranſeat. Ventriculum quoque, vel vnguento aliquo, vel cerato roborarem. Expertus ſum etiam ſi ante acceſſionem febrilem telæ araneæ cum vnguento populeonis incorporatæ carpo & temporibus, vbi pulſus comprehenditur, appoſitæ fuerint,multum contuliſſe. Bene vale, & me ama.

In dolore capitis.

Abra-

ABRAHAM SEILER MEDICVS, *&c. Paulo Cloſio Med. S. D.*

INTELLEXI ex literis tuis coniugem iſtam nobilem febri tertiana notha laborare, & dolores intenſiſſimos circa vmbilicum, & in exterioribus in ipſo paroxyſmo multum moleſtiæ adferre, atq; vires deterere. Adhibita ſunt commodiſſima ſecundum rationem medicamenta: verum cum malum nō recedat poſt euacuationem electiuam, omnino mediam partem philonii pixidi incluſi ante paroxyſmum cum hoſtia præberem. Hoc ſane non ſolum ad febrem deturbandam, ſed etiam dolores demulcēdos commodum erit. Poteſt media quātitas vno bolo, vel ad ſummum duobus deglutiri. Neq; negligerē fomentationes ex anodynis concinnatas, forma cōmoda eſſet, ſi ſacculus conficeretur, & loco dolēti applicaretur. Dorſum inungerē infrigidante, cum non ſentiat horrores inſignes ante paroxyſmum, ne materia fuliginoſa nimium ad articulos decumbat. Magis per vrinam fluet, ſi iuſculis aliquid radicum fænicufi incoctū fuerit. Poſt philonii vſum omni

Tertiana notha.

mane darem ſucci plantag. depurati cum vino non potenti, ſed oligophoro ℥ I. Ita enim non ſolum apertionis habebitur ratio: ſed etiam membris naturalibus robur addetur. Quantũ ventriculus & epar ſolis aperientibus labefactetur, ſi ipſorum vſus nimium continuatur, experientia abunde teſtatur. His ſi febris & dolor non remitterẽt, repeterem alteram partem philonii ante paroxyſmum. Carpo etiã poſt euacuationẽ adhiberem nodulos ex abrotano, & aceto irroratos ante paroxyſmum. Enemata plurimum conferrent ſi poſſit perſuaderi. Vale.

CAROLVS OSLEVIVS, MEDICVS *Cæſareus, &c. Laurentio Scholzio Med. S. D.*

VEHEMENTER mihi placet fides tuã, qua mecũ agis: eandẽ ipſe quoq; præſtabo. De medicamentis mecũ communicatis gratias ago. D. Abrahamus iam ab aliquot ſeptimanis peregre abeſt. Itaque eum alloqui de illis, quæ ab ipſo cuperemus impetrare hactenus non potui. Faciam id vbi redierit. Interea ea tibi deſcribam, quæ mihi Crato patefecit, à ſe

vſu

vſu cognita. Me enim cunctātem, ac prope refugientem Crato vltro in ſuam familiaritatem pertraxit, mihique promiſit, ſe mecum ſua ſecreta medicamenta communicaturum: quæ eadem à me tu quoq; expectabis, ſi ab ipſo abſtulero. Interea dum familiariter mecum confabularetur dixit magnum eſſe remedium oculorum male affectorum, ſi comminuas & conteras lapidem calaminarem in tenuem puluerem, & cum medulla oſſis bubuli liquefacta commiſceas, forma linimenti, quo oculos clauſos inungas, ſed lauandum eſſe flexum cubiti lixiuio acri, vt ibi excitetur pruritus. ℞. carduum benedictum, aſperge aquam cardui, & fac vt denuo deſtillet. Hoc liquore linteolum imbutum Crato ſurdaſtris immittit in aurem, ſi doleant, vel non audiant. Nihil ex omnibus medicamentis, quæ expertus eſt, ſe condu cibilius comperiſſe fatetur. Oculos cancrorū tritos & leuigatos in marmore pluri mum poſſe in ſedādis doloribus immaniſſimis cancrorum ait, ſi ex vino, vel iuſculo bibātur. Idē affirmat folia perſicariç, aqua fluuiali madefacta, & impoſita ſanare fçda

Pro oculis lapis calaminaris.

Pro ſurdaſtris.

In doloribus cancri.

Fol. perſicaria pro vlceribus.

vlcera. Cataplaſmatis, quod in cõpeſcenda gangręna ſæpe vidi, cũ exoptato euẽtu vſurpari à D. Buccella, hæc eſt deſcriptio:

Cataplaſma pro gangræna

℞ Farin. lupinor.
fabarum ℥ i i i.
Succi rutæ ℥ i i. aut pul. rutæ ℥ i i i.
Oxymell. ſimpl. ℥ vi.
Lixiuii q. ſ.

Interdum addit puluerem ſcordii: nonnunquam etiam pauxillum vitrioli, ſi inualuerat gangręna. Cataplaſma in contuſionibus, & plagis capitis potens:

℞ Farin. hordei,
fabarum, an. ℥ ii.
Pul. betonic.
chamæmel.
melilot.
roſar. an. ʒ i.
Calam. aromatic. ʒ ß.
Oxymell. ℥ i.
Ol. roſar hypericon. an. ℥ ß.
Vini boni q. ſ.

Rationẽ parandi ſaccharum Saturni non plane intelligo. Nam ſi ſtatim ab initio fit dulciſſimum, quid cauſæ eſt, cur reſoluatur in aqua calida, vt deponat acredinem?

Quod

Quod ſi tritum immittitur curcurbitæ, vt ſoluatur in balneo Mariæ: tandem liquidum non autem aridum quid exorietur. Vnguentũ ex ſuccis arantii cœpi his diebus vſurpare, nõ abſq; vtilitate. Aliàs plura. Reſalutat te magnificus Dn. Dudithius. Vale cum familia tua, & me ama. Vratislauia 9 Martii anno. 1583.

CAROLVS OSLEVIVS MED. &c.
Laurentio Scholzio Med. D.

EGo vero, mi optime Scholzi, non minus libenter reſpondi, quam tu ad me ſcripſeris. Quos hic in caſu veſtri ciuis conſulam non habeo. D. Weyſelium de eo conuenirem, etiam mea, hoc eſt, diſcendi cauſa, ſi me non grauaretur audire. A tonſoribus noſtris nihil profectò expiſcareris, quod animo tuo ſatis faceret, neque eos puto Lignicenſib. anteponendos Meam itaq; ſententiam ad te libere perſcribam, quam velim ſeuero iuditio examines. Dislocationẽ tali cognoſcere is ab initio potuiſſet, qui certas eius factæ notas tenet. Exiſtimo autem non adhibitum fuiſſe ſtatim hominem intelligentem. Su- *In dislocatione.*

ſpicor perfectam non fuiſſe luxationem. Hac enim perit illius articuli motus, in quem ipſa incidit. narras autem virum illum iter feciſſe neglecto malo: lõgo tempore poſt, oborto tumore, minus dignoſci potuit luxatio. nec certum ſignum luxationis fuit, ſi cõmode inambulare non potuit. Hoc enim potuit contingere propter dolorem partis mouẽdæ, ex alia cauſa, quã ex luxatione ortum. Venio in eam opinionem, ſolam diſtorſionem factã fuiſſe, qua tenſa nimiũ fuerint vincula, quæ connexionem articuli continent, atque adeo, omnia, quæ ad articulationem illam conueniunt: vt ſolet accidere, ſi membrum caſu nimis vel extẽdatur, vel flectatur in partem quampiam, præter eius naturam, inde extitit dolor, & propter hũc, aut etiam propter ligamenta iuncturæ relaxata, nec firmiter iam amplius cõtinentia, difficilior & laborioſior inceſſus, dolor præſertim ex itineribus exacerbatus, attraxit humores ex corpore ad partem debilem & ægram, ad quam tanquam imã, ex ſe defluere ſolẽt. Hæc vero laxior iam reddita, eos facilius admiſit. Ex hoc afflu-

xu

xu humorum natus eſt tumor, & intemperie & diſtenſione partium occupatarum moleſtus. Materia autem tumoris qualis potiſſimum fuerit, non obſcurum puto cogitāti, naturam ad quodq; membrum tranſmittere alimentum, ipſi congruum & ſimile. Quod longiori tempore, & abundātius affluens, nec bene confectum à debili parte ceſſit in tumorem. Sunt autē extremæ partes neruoſæ, membranoſæ, oſſeæ, exangues. Huiuſmodi autem humor, id eſt, cognationem & ſimilitudinē cum ipſis habens, nempe glutinoſus, denſus, tenax, frigidus & ſiccus, non eſt aptus, neq; ad digeſtionē, vt conuerſus in vaporē exhalet, quamuis.n. partes quædam tenuiores, quas pro vehiculo fluxionis adiūctas eſſe oportet, diſcutiantur, reliquæ tamē magis impingūtur condenſatæ: nec ad ſuppurationem; ad hanc enim caliditas, & humiditas requiritur. Si ſcire velis qualem mihi humorē imaginer, finge te membranam aliquam, aut neruū adeo maceraſſe, vt quaſi in mucillaginē redegeris. Nō mirum igitur ſi facta apertione nihil humidi effluxit; diſcuſſus

enim fuit humor ſubtilior, & remāſit craſſior, magis coactus & quaſi concretus ex fluido. Porro calor, qui in mēbris extremis & excarnibus infirmior eſt, non potuit & eas tueri, & illapſum atq; penitus impactum humorem prope vincere, ne quid mali inferret. Hinc euenit, vt humor præter naturam ibi detentus, nec à calore naturali ſuperatus, aut gubernatus, cœperit & ipſe corrumpi, & ſanas partes corrumpere: ex quo tandem etiam oſſiculorum ſeparatio, facto maiori foramine nō

Fungi. miror excreuiſſe fungos. Hi autem non apparuerunt, quod ipſorum materiæ, hactenus concluſæ, non data fuit porta. Eſt autem iſtorum fungorum eadem ratio quæ illorum, qui enaſcuntur ex læſa meninge in vulneribus capitis, de quibus Iohannes Langius in Epiſt. vi. In cæca, inquit, & occulta cranii fractura raro vel ferè nunquam fungi naſcuntur. Quemadmodum ſane in ſtipitibus arborum humores protrudi, per corticem extuberantes, in fungos coaleſcūt, ſic vulnerato cranio, humores cerebri affluunt, qui (teſte Alexandro Aphrodiſio) oſſis frigore conden-

denſati, inſpeciem fungi cōcreſcunt: qui in ſuperiori parte ampliuſculi, infra vero prætenues pro ratione loci perficiuntur. Vnde Galenus lib. Epid. tertio ait: τῶ πάχοις τῶν χυμῶν τὰς τοιαῦτας ἐπιφύσεις ἐργαζομένων, καλοῦσι δὲ αὐτὰς οἱ πολλοὶ μύκητας. i. Denſitate humorū tales in vulneribus adnaſcētias efficien- te, quas multi fūgos appellāt, quos cū noſtrates chirurgi in capitis vulneribus enatos vidēt, ſubſtantiā cerebri eſſe arbitrati, aut ægros tāquā deploratos relinquūt: aut ſi forte fortuna eos curauerint, vulnera cerebri ſeſe curaſſe, tantillumq; de cerebro fruſtū exemiſſe gloriātur. Verba adſcribere volui, qnod dubitaui an librum haberes. Confer occultam cranei fracturam cum arcto humoris foramine, illam apertam cum hoc patente, & videbis ſimilitudinem in partibus natura ſimilibus. Vtræq; enim ſunt mēbranoſæ, exangues, oſſeæ, frigidæ. Cauſa autem cur in vulneribus & læſionibus, neruorum, tendinum, membranarū, oſſium, ſuccreſcat copioſa caro flaccida, hæc videtur eſſe, quod hæc ſunt corpora denſa, è quib. tenuior & ſeroſior pars ſanguinis

effluit, retēta, & per calorem extraneum exiccata, craſſiori. Adde etiam ex Langio, vel potius ex Alexandro Aphrodiſeo affluentes humores, partium excarnium frigore cōdenſari. Affluit autem ſanguis copioſus, & propter dolorem inſignem, qui eo redditur maior, quo plus affluit, & quia natura multum tranſmittit, ad ſeparādam partem corruptam & morituram, idq; propter inimicitiam inter viuum & mortuum. Caro illa flaccida non tantum in ſubſtantiæ raritate, &, vt ita dicam, varietate cum fungis terreſtribus cōuenit: ſed etiam in ſubito ortu & augmēto. Scis polypos reſectos, neq; ex arte poſt ſectionem curatos, vno atq; altero die in priſtinam molem excreſcere: quorum eadem prope eſt cauſa, quæ fungorum, de quibus agimus, & propterea vtrorumq; etiam curatio non diſſimilis. Ne mireris igitur tonſores medicamentis excrutiantibus, quæ plus, concitato dolore, attrahunt, quam eroſione abſumant, effeciſſe. Tu qua ſpe bonum virum curandum ſuſcipias bene delibera. Cum malum in ipſa iunctura inſederit, ibique corru-
ptio

ptio facta fuerit, claudicationem ille non effugeret, etiam ſanato vlcere, vti mea quidem fert opinio. Nam calor præter naturam ex dolore & affluxu nimii humoris in parte excitatus, mucilaginem cartilaginum, quæ inter oſſa articulata intercedunt & craſſiorem partem affluentis humoris ſeroſi, quem vulgus tonſorum, aquam articulorum, *das Gliedtwaſſer* appellant, exiccat & indurat. Hoc adeo verum eſt, vt eam ob rem, omnia etiam vulnera iuncturarũ, vel optime & rectiſſime curata, articulationem deſtruãt. Sed vehementer dubito an curari poſſit. Noſti vlcus nõ ſanari niſi pars vlcerata recipiat ſuam natiuam temperiem, & ab omnibus impedimetis carnis, qua explenda eſt, regenerandæ liberetur. Hic præterea adſunt fungi rebelles, ſunt indicia corruptorum oſſium. Ais naturã, quæ eſt curatrix morborum, in hoc ægro eſſe viribus afflictiſſimis & proſtratis. Hæc igitur cum ſit tam debilis, metuendum, vt poſſit corruptioni, ne ſerpat & inualeſcat, reſiſtere. Et ſunt alioquin pedes à fõte vitalis

caloris remotiſſimi, hocq; nõ nimio præditi. Nolim te docere curationem. Vnum hoc dicam, videri mihi ante omnia hoc faciendum, vt æger reficiatur, & pars hactenus doloribus fracta demulcentibus, & amicum temperatumque calorem inducentib. atq; roborantibus cataplaſmatibus refocilletur. Interea fungis etiam pulueres ſine cruciatu ſiccãtes, abſumentes, & adſtringentes, vel huiuſmodi aquæ aſpergi poſſent, quæ eadem ad putredinem cohibendam conducent. Atque hæc habui, quæ in hoc caſu reſponderem. D. Buccella primis me fungorum naturam in experiũdo docuit. Neminem vero legi vnquam, qui de ipſis ſcripſerit, præter Lãgium. Satis mihi fuit de ipſa natura rei meam tibi ſententiam explicare, quæ ſi falſa eſſet, falſam quoq; eſſe oporteret curationem ſuper ea extructam, quam facile colliges per te ipſum tanquam Medicus methodicus. Te rogo, ſi quid dubii in ea tibi relictum eſt, mihi id libere vt reſcribas. Memini te habere effigiem inſtrumenti cuiuſdam, quo Arantius vſus eſt ad polypum reſecãdum. Rogo te eam mitte.

te. Bona fide à me ſtatim recipies. Secreta Cratonis, quæ D. Monauius tecum cõmunicauit, nondum deſcripſi. Ignoſce pigritiæ meæ. Vale cum chariſſima coniuge. Reſalutant te amici, quos per me ſalutaſti, C. Albinus Heluigius & D. Abrahamus. Iterum vale, & me ama. Vratiſlauia 22, Iulii anno 1583.

CAROLVS OSLEVIVS MED. &c.
Laurentio Scholzio Med. S. D.

CVM ſciam me tibi debere, ne fidem quam tibi dedi, incuſes, exoluã; ſed ita vt velim porro tuis meritis obligari. Per●ara mihi eſt amicitia tua, quã ſemel cœptam coli, religioſe, quo ad vixero, colam; & etiam magis, quod ſperem nos aliquando in patria coniunctos fore. Perſpicio liberalem & apertum tuum animum erga me, eundemque minime ad communicandum difficilem, in quo N. N. vincis, qui ſedulo premit, ſi quid ſingulare ſe habere putat, vt vix multis precibus extorqueas, quod tamen ſæpe tale eſt, vt vel idem publice extet, vel par, aut eo etiam præclarius facile reperiatur. Cõſtitui plane apud me, nihil ab ipſo pe-

tere, niſi quod ipſe facile ac libenter, atq; adeo vltro largiturus ſit. Quod enim moroſe datur ab eo, qui mei amans & ſtudioſus haberi vult, tam mihi ingratum eſt, vt pœniteat rogaſſe. Si ſcires quam bene & ex animo D. Abrahamus mihi voluerit, crederes me ingẽtem dolorem ex ipſius obitu percepiſſe. Quædam præclara mecum communicauit, quæ volo tibi quoque mecum eſſe communia. Sed hoc pacto vt te mihi ſancte obſtringas, nulli te ipſorum copiam facturum, me inſcio. Si reſciuero illũ, cui ea patefacere velis, eſſe virum bonum, quique ſua liberali pectore communicet, lubentiſſime permittam. Homini vero in gratificando difficili relinquam ſua, mihi aſſeruabo mea. Sequenti medicamento, quod miraculoſum effectum habet, dixit mihi D. Abrahamus, vir longe optimus, ſe bonum ſibi nomen in Morauia comparaſſe:

℞ Spec. Diambræ ℥ ii.

Infundantur in vino deſtillato quatuordecim dies, vt latum digitum ſupereemineat, add.

Opii ℥ vi.

Mu-

Mumiæ ʒ ß

Succi Hioſcyami ℥ i.

Corall. rub.

Carabæ an. ℈ ij.

Croci ℈ i.

Moſchi gr. xvi.

Ambræ gr. xii.

Affuſo rurſus ſpiritu vini, vt ſuperemineat latum digitum, digerantur poſt fornacem per menſem, quotidie agitando. Δόσις ℈ ß pro ægri conſtitutione. Maniacis, in vigiliis extremis, colicis, in febrib. ardētibus, phreneſi, peripneumonia deſperata exhibetur. Curatio cācri, qua quidam feliciter vſus eſt, à magno quodam viro mihi communicata: ℞ Radic. ſerpentariæ maioris collectæ menſe Iunio, tranſuerſim inciſæ, & filo lineo traiectæ, & ad vmbram exiccatæ, ſuſpenſæ ne parietem attingat, in ſubtilem puluerem redactæ quātum volueris, cui adde Arſenici non ſplendentis tertiam partem, fuliginis camini parum, omnia bene commiſceantur, & ſubtiliſſime pulueriſentur, & ſeruentur in pixide lignea. Si vlcus ſit

Pro cancro

valde putridum, arundinaceo cultro ſcalpendum eſt, vt parum ſanguinis exeat, & puluis ſubtiliter inſpergendus, atq; goſſipium ſaliua madefactũ, ſuperponendum proteſtãdumq; eſt, quod per diem & noctem vnã, dolorem moleſtum excitabit, atq; pars intumeſcet, ſed quãto tumidior euadet, eò melius. Non eſt remouendum medicamentum. Sed faciet eſcharã, quæ ſponte per ſe poſt octauum diem cadet, ſi poſt eſcharam elapſam immũdum remanebit vlcus, mundifica cum melle roſato, ſucco apii, & parum farinæ hordei, vel vnguento Iſidis, & ſuperponatur vnguẽtum de Tutia. Si vero aliqua radix remaneret: rurſus appone prædictum puluerem; & pro remouẽda eſchara nihil addes, ſed naturæ permittes. Sed antequam aggrediaris curam, purga corpus competenti purgatione: & rectam victus rationem præſcribe. Ad Gonorrhœam ſingulare D. Belocati, Medici Patauini, experimentum:

Ad Gonorrhœam ſingulare.

℞ Gummi arabic.
Tragacanth.
Carab.

Mumiæ,

Boli armen.

Mandibul. lucii an. q.v.

Pulu. & cum ſyr. de roſis ſiccis, vel myrtino f. pilulæ pondere ℈i. Capiat prima vice pillulas tres, deinde pillulam vnam per plures dies. Hæc tria cum ſint præclara, & plane ſelecta, maximique momenti, velim inſtar multorum tibi ſint. Quæ nouarum acceſſione augebo: ſi pactum, quod tecum ineo, mihi confirmaueris. Sancte tibi affirmo, nihil eſſe apud me, aut vnquam fore, quod te celare velim. Pulueris illius conficiendi rationem, quem vehemẽter expetiuimus, D. Abrahamus me docuit. Illum dico puluerem, quo Bregæ, adminiſtrante curam D. Sebiſchio, quidam ſanatus eſt, habens collum vlceribus cauernoſis & contumacibus exeſum. Bonus vir, & vt perſpicerem ipſius fidem, non deſcripſit mihi parandi rationem: ex deſcriptione enim vix, ac ne vix quidem, potuiſſem diſcere: ſed domi ſuæ parauit me ſpectante. Idem tibi promitto. Sed eſt quædam grauis cauſa, cur diligẽter caueamus, ne pul-

uis ille innoteſcat vulgo, quam te malo diuinare, quam exprimere. Vide apud illum pixidem eo plenam, tibiq; inſcriptam. Si quæ habes vel Langii, vel aliorum, præterea, quæ à te petii, ſingularia, inquam, & certa, nec paſſim extantia, rogo ne me celes. Videor mihi hic eſſe in nundinis ſeu mercatu. Vnde bene onuſtus optimis mercibus redire in patriam cogito. Tunc mihi fidus eris Achates; quãuis ego non ſum Æneas. Vale. D. Hieronymus Michael te peramanter cum coniuge & filiolo ſalutat, quibus ego quoq; plurimã ſalutem adſcribo. Praga, 4 Decemb. an. 1583.

CAROLVS OSLEVIVS MED. &c.
Laurentio Scholzio Med. S. D.

AMICVS ille noſter, nunc libenter ea communicat, inquibus ante hac difficilem ſeſe præſtitit. Didicit ex familiari mea conſuetudine mihi ea demum grata eſſe, quæ ingenue & libenti animo communicantur; quæ vero iactantur & premuntur, præſertim inter amicos, contemnenda videri. Acceſſit obſequiũ meum, quo ita eum mihi deuincio, vt non poſſit

poſſit me à familiari neceſſitudine excludere. Recipit etiam à me ἀντίδωρα. Ladanum vſurpauit ſæpius admodũ feliciter, me teſte. Deſcriptionem ignoro. Tu ab ipſo pete. Si nullam habes, aut ille recuſabit, quod non puto, me mone, à me accipies, variam quidẽ, ſed in effectu principali cõſentientem. Nactus ſum deſcriptionẽ Turpith Mineralis multiplicem. Qualem habeat Stromerus nondum reſciui. Cum enim memoriter eam non teneat, commode à me hactenus ad librum compelli non potuit. Extant deſcriptiones apud diuerſos autores; è quibus pro tuo iudicio eliges, quæ maxime placeat. Modus applicandi ruptoria talis eſt: Præmiſſa purgatione corporis, circumdetur locus emplaſtro Diachylõn gũmato (hoc enim craſſe inunctum, tenaciter adhęret cuti) quod habeat tantum foramen aut ſpaciũ vacuum, quãtum erodere, aut excedere cutẽ velis, aut paulo minus. Cauterium.n. liquefactum & diffluens, amplius reddit foramen, quam feceris. In illud foramen ſeu ſpacium impone cauterium; & ſuperpone aliã petiam eiuſdẽ emplaſtri.

Modus applicandi ruptoria.

Sed videndum ne dum faſciis partem obligas, emplaſtrum cum cauterio dimoueatur loco. Stromæus ſolet relinquere cauterium 24 horas. Sed potes etiam citius remouere; ſi effectum eius prænoueris. Ablato cauterio; diſſeca quicquid carnis aut cutis mortificatum, & nigrum à cauterio redditum videris, & impone petiam digeſtiuo, quod vocant, iunctam, tantam, quæ eſcharã dumtaxat bene tegat, & ſuperimpone Diachylon ſimplex. Paucis diebus exibit eſchara, qua ſublata, ſi non tantum rumpere cutem, ſed fontanellã parare cogitas, imprime globulum, ex cera viridi, cũ præcipitato permixtũ, qui cum ea bene ſubactus ſit, quod potes facere digitis. Ita foramen profundius facies. Vide Capouaccium, cuius tractatum de recta adminiſtratione cauterii te habere exiſtimo: Ruptoriũ Gabrielis Beati cupio. Si ad manum eſt, ad me mitte. Venio ad caſum illum, quẽ mihi proponis. Difficillima ſanatu puto vlcuſcula ad talos, & propter conſuetudinem tot annorum, quibus humores illuc defluxerunt præ ſua grauitate ad locum decliuem, & quia

quia locus eſt exanguis & debilis, quæ cauſa eſt cur facile gangræna ex aliqua intemperie, aut defluxu ibidem excitetur, & quicquid vel puſtularum, vel vlcerum ibi exoriatur, difficulter ſanetur. Expurgari bene & exquiſite, atq; exiccari oporteret corpus, primum pharmacis, deinde Guaiaci vel ſarzæ decoctu, ſi conſolidari illa deberent. Quod ſi conſueta defluxio inhiberi non poſſet, paranda eſſet fontanella, palmum infra genu, ad illam intercipiendam. Corpore enim expurgato & intercepta defluxione, facile exhalaret, & reſolueretur humor circa talos, qui impactus intemperiem, tumorem, & vlcuſcula fouet. Si vero ſanatio nõ ſuccederet, aut prorſus æger conſtitutum apud ſe haberet, vlcuſcula illa retinere, equidem inſpergerem hunc puluerem : ℞ reſinam, liquefac ad candelam, vt ex ea guttæ cadant in aquam ſubiectam, eas collige, & in puluerem redige. Hic temperatus eſt, & concoquendi atque mundificandi facultate præditus. Et imponerem quotidie folia hederæ viridia, vt imponi ſolent fontanellis. Ad ruborem & pruritum tol- *Remedia pro rubore & pruritu.*

lendũ, ſi ſuperueniret, ex his duobus ſe-lectiſſimis remediis vnum applicarem: 1. pulpam ſeu carnem panis triticei, macera in aqua tepida, deinde exprime, & rurſus in alia aqua macera, vt inſtar cataplaſmatis linteo illini (quod ad craſſitudinẽ digiti fieri debet, ne facile exiccetur) poſſit. Refrigerat, humectat: non adſtringit cutim, ex qua adſtrictione impediri poſſit perflatio & exuperatio materiæ illapſæ; ſed potius, nonihil concoquit & reſoluit. Poſſes fallendi cauſa permiſcere puluerem foliorum maluæ. Item macerare in lacte, & vitellum oui cum oleo roſaceo addere, ſi anodynon parare velles. 2. Lixiuium acre feruefac, infunde pauxillum olei communis, & diligenter ſimul agitando commiſce, madefactis linteis multiplicatis locum fomenta. Ad refricanda vlcuſcula, omnia vtilia ſunt, quæ habent facultatem exulcerandi & veſicandi, quæ tamen nolim ſimplicia. i. citra aliorum commixtionem adhiberi, niſi moderata ſint. Poſſes imponere ranunculum leniter cõtuſum, aut flammulam Iouis. Si nihil aliud in promptu ſit, fac habeas emplaſtrum quodcunq;, exempli gratia,

pli gratia, drachylon ſimplex, aut potius gummatum, quod maiorem vim attrahendi effluxum habet, & cum eo permiſce aliquantum euphorbii, naſturcii, ſinapi, & applica petiam tantam, quantam vis exulcerationem facere inũctis circumcirca vicinis partibus, ſi opus ſit, vnguento roſato, aut albo camphorato, vel ſimili ad prohibendam inflammationem. Monauius noſter nunquam occupatior fuit, quam nunc, itaq; me rogauit vt tibi deſcriberem, 1. puluerem contra podagram magno hic apud Principes viros in pretio & vſu. 2. rationem reparandi naſi qui præſectus fuerit. 3. oleum quoddã cauſticũ: ſed hæc duo poſteriora partim legere, partim intelligere nequiui. Quare alio tempore à me habebis. Nunc accipe puluerem:

Puluis pro podagra.

℞ Chamed. (quæ eſt triſtago)
Dictam. cretenſ.
Chamæpith. ſiue iuæ artheticæ,
Rad. centaur. maior.
Herb. centaur. minor.
Gentianæ,
Rad. Ariſtol. rot. an. ℥ ii.

Putamin. nucleor. i. partis interior. quæ eſt illius corticis ſpõgioſi, qui eſt ſub cortice duro, qui frangitur. i. inter animam & corticem durum, ℔ i. & ℥ viii.

Miſc.& f. puluis ſubtiliſſimus . Δόσις ʒ ß per quadraginta dies. Sed quia amarus poteſt inuolui hoſtia, & ex vino albo, vel brodio bibi tribus circiter horis ante prãdiũ. Bene vale. D. Hieronymus Michael te plurimum & amiciſſime iuſſit ſalutari. Praga *22*. April.an. 1584.

MICHAELI BARTH, MEDICO *Lipſenſi, &c. Chriſtoph. Pithopœius, ſummi boni veritatis ac perfectionis cultor humilis, S. D.*

MI Barthe, ex fratre Adamo intellexi te quodãmodo affectare amicitiam & familiaritatem meam, propter Medicas quaſdam præparationes, quas me nouiſſe non dubitas, tribuendo forte tibi, vt coniicio, cum reliquis Galeni aſſeclis medicinæ intellectum: Theophraſti vero ſequacibus præparandi induſtriam. Ex qua prærogatiua illi domini, hi ſerui conſtituuntur, qui fornacem calefacientes pyra illis aſſa comedenda proponant.

nant. Digna certe ſentẽtia quæ ad poſteros propagetur. Sed ex paucis, vt multa colligas ſic habeto: Bonis ſemper meæ patent fores, neq quenquam eorum excludo, qui vel docendi, vel diſcendi, vel etiam conferendi cauſa me conueniunt. Arrogãtes, ſuperbos, inflatos, cane peius & angue odi, non ſatis apertis, aut mundi huius illecebris irretitis inuideo. Te non noui, licet in pueritia aliquoties mihi ſis viſus. Sed ex quadã Elegia tua Cyrenbergii libro de peſte præfixa, ex mera ignorantia inueheris in virum perpetua memoria digniſſimum. Id quod boni & docti non eſt. Qua igitur ratione te excuſem non inuenio. Memor tamen meæ quoq; fragilitatis errata agnoſcentibus condono, & ignoſco libẽter. Pręterea Medicinã profiteor non eam quidem, quæ ex cerebro Galeni, hominis & in Moyſen, & in Chriſtum, ideoq; in Deum ipſum blaſphemi, radices egit; ſed eam quæ fundata eſt in cognitione Dei, & naturæ, hanc ego arte ſpagyrica ex terræ pulueribus extrahere didici ſumptibus magnis, laboribus & tempore longo. Quæ autem di-

uina mihi conceſſit miſericordia, cui ſoli id,quod ſum,habeo ac poſſum,acceptum fero,ſciens non cuiuis communicanda naturæ myſteria, ſed piis ſolummodo, humilibus & manſuetis. Ad hunc lapidem ceu lydium te examina, & ſi es,qualem te cupio, me tu quoq; viciſſim qualem expetis, habebis. Ex montanis Diuæ Annæ, 16. Febr. an. 1569.

CHRISTOPHORO PITHOPÆIO, *Theophraſti ſequaci, Annaberga degenti, &c.* *Michael Barth. Med. S. D.*

LITTERAS tuas 16. Feb. ad me ſcriptas accepi Chriſtophore, quas vt ad me mitteres oſtendis cauſas prębuiſſe tibi Adamum fratrem meum. Non eo inficias multam ſæpe mentionē tui hactenus eſſe inter nos factā, cum per alias occaſiones tibi non ignotas, tum quod non ita dudum, hac iter faciens Alexander quidam à Sichten, de te apud me quæreret, & literas etiam ad te mittēdas traderet, quas ſcio te accepiſſe, & quod tua etiam nuper epiſtola ad Næuium exarata ad manus meas mitteretur, quodq;, vt ſcis, coemptione quorundam medicamentorum ti-

bi gra-

bi gratificari non inuitus ſtuduerim. Per hæc factum eſt, vt de profeſſione tua quærerem, & Theophraſti ſequacem te cognoſcerem. Scripſi tum ad fratrem, quem tecum multũ conuerſari, & abs te amari intellexeram, meipſum ſi daretur opportunitas non faſtidire tuã conſuetudinem: ſed potius optare, vt pernoſcendæ veritatis ſtudio perſpicere poſſem præparationes quorundam medicamentorum, in quibus vobis aliquid certe tribuitur merito, vt rectius ac certius de ipſis & vobis iudicium facere poſſem: Hoc tu ita arripis quaſi vobis adimam vſurpandi ea, quæ præparatis, ſcientiã, & coquos vos Galeni ſequacium, quem tu ſuperbe contemnis, conſtituã, quod tantum abeſt, vt ego ſenſerim, vt ſciam vos à Galeni placitis atq; inuentis, iudicione an quodam impetu, vos ſcitis, deſciuiſſe, & quæ agitis, Galeno nec ſeruire, nec cognita pleraq; aut vſurpata fuiſſe. Atq; vtinã hac laude prçclara profecto contẽtus & Theophr. coluiſſet & velletis eſſe, qui ei eſtis addicti, q̃ ſuperiorũ hominũ inuentis aliquid addidiſſet, qua ſane modeſtia videmus Arabes fuiſſe,

homines certe ſolide doctos, magno rerũ vſu, atq; inuentione inſtructos, quas nec Galenus, nec Hippocrates vnquam ſomniarunt. Non tamen illi propterea hos veritatis atq; artis Medicæ parentes, & tam præclara naturæ à Deo Opt. Max. excitata atq; accenſa lumina impudenter & contumelioſe abiecerunt. Aberrant ſæpe quidam Medici: quis hoc neget? maxime ob eam artis partẽ, quæ σημειωτικὴ eſt Græcis, hæc enim eſt στοχαστικὴ, & ex ea potiſſimum artifex præſtat artifici. Sed vos quid extruatis aut doceatis de principiis & cauſis, & in ipſa Therapeutica, & partibus cæteris ab horum doctrina diuerſum pariter & melius, peruidere ego non poſſum, qui ſane & Theophraſti ſcripta & Theophraſteorum legi non pauca, neq; medica tantum, ſed etiam Theologica. Miſſæ etiam ſunt ante aliquot annos ad me propoſitiones Alexandri amici tui; quas ſparſit in Pruſſia numero *17*, quibus ſit Medicus, quid medicina demonſtrare ſe profitetur, ſed de quibus mihi diſputare nõ placet. quid ex illis vtilitatis ceperim, nondum animaduerto.

uerto. ſane ſi quid eſt in Theophraſto, quod à principio nouã ſolide artẽ extruere debeat, & tollere ex hominibus ratione præditis demonſtrata doctiſſimorum Græcorũ atq; Arabũ, apertius illud oſtendatur atq; probetur neceſſe eſt. Quis enim rectæ rationis inuenta, & ſenſui manifeſta ita abiiciat, niſi cum ratione inſanire velit? Vidi quaſdam præparationes, antimonii præcipue, multas legi, in quib. ſtudium & diligentiã veſtrã probo, & oportune vſurpata veſtra medicamẽta, vt alia omnia, vtilitatẽ ſæpe magnam afferre poſſunt, aliter accepta ægrotos, quod ſæpe experti ſunt aliqui, præcipitare. Prædicatur ſtudiũ, opera & diligentia veſtra, ea nemo vobis inuidet. In Galeno ſi minus illa, quam in vllo alio eluxiſſe quis dicit, quam cum hoc dicat viderit, quẽ non ignoramus ardentiſſima cupiditate, vt videret σκελετὸς oſſium humanorũ Alexandriam, vt terrã ſigillatam pernoſceret, in Lemnum nauigaſſe, noctes atq; dies doctiſſimis commentationibus atq; ægrorũ curationibus cõſumſiſſe. Cui quod tu nihil in ſua profectione tribuendum exiſti- *Pro Galeno.*

mas, ideo quod in Moyſen & Chriſtum contumelioſus, &, vt tu ais, blaſphemus fuerit: videndũ tibi eſt, ne hęc ipſa ſit in Deum blaſphemia, à quo certe illum ſingulariter excitatum ad propaganda Medicinæ ſtudia, & ad alia genera ex gentilitate alios perſuaſum habemus. Quod vero gratia Chriſti in illũ non fuit effuſa, cõmiſeratione fortaſſe dignus, quã exagitatione fuerit. Neq; tamen illa mihi non ignota, quæ in Galeno de Moyſis atq; Chriſti mentione inſunt probo, aut excuſo. Abſit hoc ab homine Chriſtiano. Illud tamen ad Chriſtiana aſpiraſſe affirmari fortaſſe vere poſſit. Nã & audiiſſe illũ de Chriſti ſequaciũ curationibus per verbũ & admirabundũ, vt illas prouideret atq; cognoſceret, Iudęam verſus nauigationẽ inſtituiſſe accepimus, in qua ita Deo diſponente interierit. Scribis te ſummi boni veritatis ac perfectionis cultorẽ, ſcribis fores tuas patere bonis docendi, diſcendi, conferendi cupidis, arrogantes, ſuperbos, inflatos, nõ ſatis apertos, aut mũdi huius illecebris irretitos te odiſſe. hæc omnia mihi tecũ ſunt cõmunia; ſed catenus vt ſine iniuria aliorum ve-

rũ veritatẽ colamus & perquiramus. Ob cuius ſtudium plurimorũ nebulonũ & grã dium factionũ aduerſitates ſępe multũq; experior. Non noui ego tuã perſonam, ac ne vidiſſe quidẽ vnquã me puto aut ſcio, & vbi tu me videris ignoro. Carminis Cyrenbergii libro præſcripti, nihil adhuc me pœnitet. Non enim quis populo ſit, aut ad huc fuerit vſus maior libri Theophr. de peſte editi, an eſt qui ipſum per omnia loquentem intelligat vllus? Ego valde dubito, & hos ipſos, qui eius ediderunt libros iam aperto Marte cõgredi videmus, diuinare, coniicere, intelligere, proficere neſcio quid. Ego ſane de ipſo Theophr. præclare ſentio, ſingularia quædam de eo legi atq; etiam audiui. Admiranda præſtitit, ſed qui eum perfecte intelligat, & qui ea, quæ ipſe fecit, faciat nondum audiui. Vtinam hoc peſtis tempore in patria multum profueris per Theophraſteam medendi rationem, apud nos & hinc inde ſedula & diligenti Medicorũ attentione & præſcriptione multos præſeruatos, non paucos ſanitati reſtitutos, Deo fauente, ſcimus. Sed hæc omnia quorſum, vt animum meum

aperte tibi oſtendam, viciſſim perſpecto tuo, non vt inimicitias, ſed vt amicitiã ineamus, moneamus nos inuicẽ, & oblata oportunitate coram cõgrediamur, & de rebus mutuo conferamus, quod rectum, quod verum eſt, quæramus ſine inclinatione odii aut fauoris erga quenquã. Ego enim vel à puero diſcere, quod ignoro, quodq; neceſſitatem habet, & vtilitatem cum honeſtate coniunctã, non erubeſco. Tu ſi animum habes ſimilẽ, amicitiæ intra nos fundamẽta iacta ſunt. Neq; enim decet Chriſtianos propter neſcio quas diſputatiunculas, aut in Medicina Monarchiam alienos inter ſe gerere animos, ſed placide conferre rationes, & omnia cõferre ad ſalutẽ proximi, ni fallor, pium eſt atq; rectũ. De me ſane omnia tibi debes promittere beneuolẽtiæ ſtudia & officia. Vale. Lipſiæ Idibus Martii, an. 1569.

MICHAELI BARTH, PROFESſori in Academia Lipſica, &c. Chriſtoph. Pithopæius S. D.

NON poterat te Barthe melius vel ipſe depingere Apelles, atque te viuis coloribus tuæ depinxere ad me datæ literæ. O

ræ. O miſerum te,ac vère miſerũ, qui veterum Magorũ duce & via neglectà per ſomnia mendacium Gręcorũ atque Arabum ad veram Philoſophię & Medicinę metã,terminumque cõdendis Inquiſitionem & amorem ſapientię, omnibus mortalibus ex àſtris cõceſſum ſcimus, ac præmium cõſtitutum veris ſapientibus, æternãque poſſeſſionem, nec intelligẽtiis,nec geneſi, nec educationi etiam præclariſſimæ adſcribimus. Multi enim beneficio prædictarum cauſarum eo deuenerunt, vt viam conſpexerint, & finem intellexerint,verum ideo nõ ſtatim eum ſunt conſecuti,propterea quod ante Pentecoſtèn ſunt mortui. Duce opus eſt, filo nempe Dædali,ſi labyrinthum opinionum vitare & exire laboras,ſtella nimirum,qua duce Magi orientis Chriſtum natum in Bethlehem inuenerunt. Hęc tibi ſi illuxerit. èos videbis miſeros ſenſus tuos, coramq; plane tuã rationem, & intelliges me non Theophraſti aſſeclã,ſed ab eodem, à quo Paracelſus, edoctum, & ea habere principia, cauſas & elementa rerũ,quæ vti ſenſibilia nõ ſunt, ita nec ſenſibilibus trahun-

tur in publicum literis. Neq; enim margaritæ obiiciẽdæ porcis, nec ſanctũ dandum canibus. Quid autem præſtiterimus iis noſtris fundamentis noſtrũ non eſt gloriari. Deus nouit, & ii quibus noſtrã opem non denegamus, qui ſi nondum ad vos peruenerint, noſtra laude, nihil plane refert. Si enim gloriari licet, gloriamur in Domino gloria noſtra, amen. Si multi parum feliciter Theophraſtum Magum à tempore Apoſtolorum maximum & abſolutiſſimum imitãtur, quid ad me. Tu videris qua mente illum laudes ſimul & vituperes. Bonum vult laudari, malum vituperari. Placeat ergo tibi, vel diſpliceat, Galeni cerebrum in medicina contemno, indignum commiſeratione, quod non pœnituerit. Nec mihi tecum TEPIDO in poſterum quicquam erit commune, alius ni fueris. Hinc iudicium de Alexandri, deq; rebus noſtris, quas non intelligis, ſuſpende, & bene vale. Ex mõtanis D. Annę 12. Cal. April. an. 1569.

CHRISTOPHORO PITHOPÆIO *Spagyrico, &c. Michael Barth. Med. S. D.*

NON poterat, Chriſtophore, nec potuit, nec debet, vllus pictor melius me depin-

depingere, quam meæ me repręſentant literæ. Neq; enim animi eſt ingenui aliud dicere, vel ſcribere, & aliud ſentire. Nulli igitur in meis literis colores inſunt, ipſa effigies ſunt animi mei ipſiſſimus ἐμῶν. Quod vero idcirco miſerum tu me eſſe exclamas, atq; ingeminas, doleo ego te eſſe multo miſerrimum, qui magorum pentecoſtes, & ſimilium vocularum nemini vel leuiter literato ignotarum noua metamorphoſi cum obſeſſum animũ circumferas, perſtringi etiam aliorum ſenſus atq; iudicia illarum obiectione illico oportere, atq; in ſtuporem ſaxeum adduci, quaſi viſo Meduſæ capite temere perſuaſum habes. Si alicubi ſunt mẽdaces Gręci & Arabes, relinquantur, vel repudientur potius ipſorum mẽdacia. Imo & mendaces Germanos, vbi tales ſunt, auerſemur. Quid enim aliter faciat is, qui eſt veritatis ſtudioſus, quin apud omnes quærat, non quis loquatur, ſed quid dicatur? Docuit Paulus Apoſt. nõ eſſe ferẽdũ in Eccleſia, vt aliq̃s ſe addicat vel ipſi, vel vlli alteri. Quod cũ ita ſit, in medicina, in philoſophia, quis ferat vt in alicuius iuretur verba magiſtri? Non

valde abſimile eſt huic, quod de intelli-
gentiis, geneſi, & educatione ſubiicis, de
quibus quid ſentiēdum ſit, tanto rectius
prouidet quiſque, quāto præditus eſt ma-
iore, & philoſophiæ veræ ſcientia, & rerū
Stella Magorum vſu atq; experientia. Quid de ſtella aſper-
gis, qua duce Magi orientis Chriſtum na-
tum in Bethlehem inuenerunt? nihil am-
plius efficit, quam quod Magiſter tuus in
libro de vita longa de illis tribus Sabæis
(quorum tamen numerū miror vbi in ſa-
cris legerit) ſcripſit, quod magica, nō na-
turali vi equorum ad Betlehemitas vene-
rint. Et tamen ſcholiaſtes illam ipſam ſtel
lam cometā facit & nominat. Scio & pie
credo, mi Chriſtophore, & diuinitus illos
fuiſſe adductos, & in omnib. actionib. no
ſtris diuino filo nobis opus eſſe. Sed hoc
ab vtriſq; commemorato in ſpecie quid
extruimus? ſpero, vel ſcio potius, lucem
Dei, quē quotidie inuoco, mihi vndique
prælucere, ſed ratione, quæ haud dubie
eſt diuinæ lucis radius, & nobiliſſimum
Dei donum, & ſenſibus adminiculis ſtu-
diorum, quos ipſe condidit, ideo me pri-
uabo? Abſit. Theophraſti aſſeclam mira-
tus

tus ſum cur nũc te eſſe quodãmodo ſubpuduerit, antea ſis profeſſus. De magaritis non obiiciendis porcis, videre diuinis abutens prouerbiis, quibus multi multa palliãt. Quodporro videre me iubes qua mente Theophraſtum laudem ſimul & vituperem, facile me poſſum expedire, quanquam neq; effuſe laudaſſe, vel vituperaſſe me ſcio. Sed tu laudationẽ vocas haud dubie ea, quę nuper ad te perſcripſi. Vituperationẽ intelligis, quod nugas Paracelſi nominauerim in verſib᷒, quos mihi obiicis. Heus tu non putas fieri poſſe, vt bona & mala laudãda & vituperãda ſint in vno & eodem? Profecto nimis multa ſunt exempla. Homerus in odyſſea inducit Muſicum in cõuiuio Alcinoi, ſi recte recordor, regis Phænicũ, cui Iupiter vt ipſe ait, dederat bonũ & malum, inquo ſeipſum haud dubie poeta adumbrauit. Nam largitus ei erat, vt eſſet optimus cantor, & addiderat cæcitatem. Simili ꝓfecto modo & bona & mala, & laudabilia, & vituperabilia multis modis in hac humanæ naturæ mediocritate, vel fragilitate potius auſim pene dicere, ineſ-

ſe omnib. hominibus, vel pleriſq; ſaltem.
Sed ad Theophraſtum quod attinet, non debeo, neq; volo vituperare, quod quędã pręclare inuenerit, atq; operatus ſit, ꝙ ſine ratione & vario atq; irrito conatu recte inuenta atq; demonſtrata quã plurima ſubuertere friuolis verbis præſumpſerit, probare nõ poſſũ, neq; modeſtiore, quã nugarum vocabulo poſſũ appellare. nõ ſolũ ea, ſed & ſpontaneam obfuſcationẽ, quã profitetur, atq; vſurpat in iis, ſi quę recte eruit. Neutiquã enim hoc decet eũ, qui gloriari vult, quod fecit, humano generi cõſulere velle, neq; hic vos tuentur ſuperius notata prouerbia. Quę vero ſint taliũ inuolutionũ conſilia non libet tibi obiicere, etſi facile eſt illa colligere. Ita video me nõ aliter facere, quam vt laudem bonum & vituperem malũ. Galeni cerebrũ quoniam contemnere te profiteris, ſed ſoli addictũ non eſſe Theophraſto, quẽ tu totũ pene adoras, ego ſecundũ mediaſtinũ diſtinguens, & iuxta ea, quę iã ſcripſi, vna parte tanquã ſanum amplector, altera ſanũ eſſe affirmare non poſſum. Quod me tepidũ vo-

Tepidus.

cas,

eas,atq; ea voce, vt exaratio maiuſcula indicat,pungere voluiſti,nõ ſum ita feruid⁹,vt me hoc inflãmet,neq; ita frigid⁹ vt vrat. Scio quoſdã qui nullas in rebus diſtinctiones adhibẽt, & omnia cõfundere,glorioſũ. n.autumant in contentionibus iſtud, & neutraliũ nomẽ & ſimilia tanquam probroſũ obiicere aliis. Sed hoc quid ad me ?Plerumq; tamen tepidi illi & temperati quietiori animo, & iudicio omnia rectius diſpicere deprehẽduntur,quam vel frigidi, qui omnẽ ſenſũ amiſerunt,vel nimis calidi,qui feruore nimio omnia deprauant atq; corũpũt. Si tibi non placet mecum cõmunicare facile te,quoniam ita libet dimitto. Sed ego ita non incitor,vt ferre nõ poſſim,vt per omnia ſalues tuũ Paracelſum, & tuũ propoſitum. Laudabo te cũ video. Alexandrũ abſentẽ nolo mordere, ſed idem ꝙ nuper ſcripſi affirmo,me ex illius poſitionibus nihil proficere,quas tamẽ nemo iudicabit,vt opinor,ita abſtruſa cõtinere vt intelligi nõ poſſint,cõuicia ſane decerer nõ eſſe ita manifeſta.igit᷑ ꝙ tibi videtur facito,vt vel reſcribas,nõ vel reſcribas

Ego de glorioſa & ſempiterna Hippocratis & Galeni, & eorũ, qui hos ſecuti ſunt in medicina monarchia nihil ſum ſolicitus, non vereor ne quis illis hunc principatum eripiat, nec dubito quin temporis progreſſu ſano adhibito iudicio, ea quæ Paracelſus, atq; eius aſſeclæ vtiliter & recte inuenerunt, atq; prodiderũt, ad horum rationes accommodata, ſint acceſſoria futura in id potius, vt Arabũ & chemicum, atque, ita dicam, Quinteſſentianorum alia. Inanis autem & friuola affectatio atq; arrogãtia euaneſcet in auras, ſicut Aſclepideorũ, Eraſiſtratiorũ, Diatricariorum, & Theſſalicorũ temeraria, & plane ſimilis iactantia, quæ aliquandiu quoſdam faſcinatos tenuit, dudum prorſus euanuit. Bene Vale. Lipſiæ Cal. Aprilis, anno 1569.

PAVLVS CLOSIVS, PHYSICVS *Glacenſis, &c. Laurentio Scholzio Med. S. D.*

SECVNDAM partem practicæ Melichii, cum iis, quæ adhuc apud me reſtabãt, tandem tibi remitto. Adiunxi his, vt vo-

vt voluiſti, duas ad me D. Abrahami epiſtolas, & formulas medicamentorum Mag. Domini Cratonis, quib. iuuenem quendam delirantẽ, & piſces viuos, excrementaq; propria deuorantem feliciter cum ſucceſſu priſtinæ ſanitati reſtituit. Quas cum relegeris vt per Iohãnem noſtrum mihi remittas oro. In prouocãdis menſibus D. Abrahamus vtitur aqua pulegii bis probe deſtillata. Exhibet illius poſt euacuationem vniuerſalẽ ſingulis diebus mane, & ſub lecti introitũ pro vna doſi ℥ ii. & aquę cinamomi aliquãtulũ admiſcet. Eodẽ remedio & ego, Dei beneficio, aute mẽſẽ, virginẽ nobilẽ, cognatã domini Capitanei noſtri à mẽſium ſuppreſſione, aliquot menſibus durante, liberaui. De ſemine, quo D. Abrahamus in retentione vrinæ à calculo vti ſolet, ad me ſcripſit ipſe his verbis: Subſequẽs euulſio in ſuppreſſione vrinæ vltra ſeptimũ diem ad miraculũ vſq; exeruit ſuas vires in coniuge Ioachimi Panwitz, & eſt ſecretum Diui Maximiliani. Excreuit calculos vltra mille & quingentos, & aliquot menſuras vrinæ.

In prouocandis mẽſibus

In vrina retentione.

℞ Sem: violar. purpur. ℥ ß.
cum aqua veronicę ſufficiente quãtitate f. emulſio. Hæc ille. Plura alias. Nam infirma valetudo, quę me adhuc exercet, & mæror, quẽ ex charisſimę cõiugis meę periculoſiſſima dyſenteria, in quam grauida ante octiduum incidit, capio, plura me ſcribere, aliaq; his adiungere nũc nõ permittunt. Ignoſces itaq; & breuitati, & inconcinnitati literarum. Salutat te D. Raphanus, cõmunis amicus noſter, hodie iter demũ verſus ingreſſus. Vale, teq; à me amari certo tibi perſuade. Datæ feſtinanti calamo Glacii, 24 Ianuar. an. 82.

IVSTINVS PETZOLDVS, PHYSICVS *Gothanus, &c. Laurentio Scholzio Med. S. D.*

GRATISSIMÆ mihi literæ tuæ fuerunt, vel ob id inprimis, quod in fouenda augendaq; amicitia noſtra cõſtantiã tuam animaduerti. De qua etſi nũquam dubitaui, ea tamẽ animi tui ſignificatione nihil mihi iucundius accidere potuit. De me viciſſim tibi perſuadebis velim, me ſanctam & perennẽ nominis tui memoriã apud me culturũ eſſe: ζητήσως. Et mu-

tuas

tuas laudo, quibus vis quædã ineſt, vt ea ratione ſcribendi officium continuetur, & amicitia cõfirmetur. Quæſtiones propoſuiſti duas. 1. Quid ſit id plantæ, quod Schroterus palmæ Chriſti nomine crebro in medicinę exercitatione vſurpat. 2. An diuretica in calculo cõueniãt. Ad priorem antequam reſpondeam: amãter te rogo, vt D. Schroterum, quod ad tuas literas nihil ſcripſerit, excuſatum habeas, nihilq; ſiniſtri de ipſius erga te animo ſuſpiceris. Coburgi eſt infinitis negotsii aulicis quaſi obrutus. In Illuſtriſſ. principũ Saxonię valetudinis ſuſtẽtatione Simonio ſucceſſit. Et animaduert illũ principibus & à corporis cura, & à cõſiliis eſſe, ita vt ob plurima negotia rariſſime animũ ad ſcribendum appellere poſſit. Palma Chriſti igitur ipſi eſt ex triorchidũ ordine: mucronata folia habens, porri ſimilia, latiora tamen, incurua, & humum reflexa, maculata: flores purpuraſcẽtes, odoratos, ſpicatos. Mẽſe maio folia & flores emittit. Digitos citrinos Auicennæ eſſe arbitratur. In melancholicis & pituitoſis affectib. etiã nos vſu ab ipſo

aperte tibi oſtendam, viciſſim perſpecto tuo, non vt inimicitias, ſed vt amicitiā ineamus, moneamus nos inuicē, & oblata oportunitate coram cōgrediamur, & de rebus mutuo conferamus, quod rectum, quod verum eſt, quæramus ſine inclinatione odii aut fauoris erga quenquā. Ego enim vel à puero diſcere, quod ignoro, quodq; neceſſitatem habet, & vtilitatem cum honeſtate coniunctā, non erubeſco. Tu ſi animum habes ſimilē, amicitiæ intra nos fundamēta iacta ſunt. Neq; enim decet Chriſtianos propter neſcio quas diſputatiunculas, aut in Medicina Monarchiam alienos inter ſe gerere animos, ſed placide conferre rationes, & omnia cōferre ad ſalutē proximi, ni fallor, pium eſt atq; rectū. De me ſane omnia tibi debes promittere beneuolētiæ ſtudia & officia. Vale. Lipſiæ Idibus Martii, an. 1569.

Michaeli Barth, Profeſſori in Academia Lipſica, &c. Chriſtoph. Pithopæius S. D.

NOn poterat te Barthe melius vel ipſe depingere Apelles, atque te viuis coloribus tuæ depinxère ad me datæ literæ. O

ræ. O miſerum te,ac vere miſerũ, qui veterum Magorũ duce & via neglecta per ſomnia mendacium Græcorũ atque Arabum ad veram Philoſophię & Medicinę metã,terminumque cõdendis Inquiſitionem & amorem ſapientię, omnibus mortalibus ex aſtris cõceſſum ſcimus, ac præmium cõſtitutum veris ſapientibus, æternãque poſſeſſionem, nec intelligẽtiis,nec geneſi, nec educationi etiam præclariſſimæ adſcribimus. Multi enim beneficio prædictarum cauſarum eo deuenerunt, vt viam conſpexerint, & finem intellexerint,verum ideo nõ ſtatim eum ſunt conſecuti,propterea quod ante Pentecoſten ſunt mortui. Duce opus eſt, filo nempe Dædali,ſi labyrinthum opinionum vitare & exire laboras,ſtella nimirum,qua duce Magi orientis Chriſtum natum in Bethlehem inuenerunt. Hęc tibi ſi illuxerit. eos videbis miſeros ſenſus tuos, coramq; plane tuã rationem, & intelliges me non Theophraſti aſſeclã,ſed ab eodem, à quo Paracelſus, edoctum, & ea habere principia, cauſas & elementa rerũ,quæ vti ſenſibilia nõ ſunt, ita nec ſenſibilibus trahun-

tur in publicum literis. Neq; enim margaritæ obiiciẽdæ porcis, nec ſanctũ dandum canibus. Quid autem præſtiterimus iis noſtris fundamentis noſtrũ non eſt gloriari. Deus nouit, & ii quibus noſtrã opem non denegamus, qui ſi nondum ad vos peruenerint, noſtra laude, nihil plane refert. Si enim gloriari licet, gloriamur in Domino gloria noſtra, amen. Si multi parum feliciter Theophraſtum Magum à tempore Apoſtolorum maximum & abſolutiſſimum imitãtur, quid ad me. Tu videris qua mente illum laudes ſimul & vituperes. Bonum vult laudari, malum vituperari. Placeat ergo tibi, vel diſpliceat, Galeni cerebrum in medicina contemno, indignum commiſeratione, quod non pœnituerit. Nec mihi tecum TEPIDO in poſterum quicquam erit commune, alius ni fueris. Hinc iudicium de Alexandri, deq; rebus noſtris, quas non intelligis, ſuſpende, & bene vale. Ex mõtanis D. Annę 12. Cal. April. an. 1569.

CHRISTOPHORO PITHOPÆIO *Spagyrico, &c. Michael Barth. Med. S. D.*

NON poterat, Chriſtophore, nec potuit, nec debet, vllus pictor melius me depin-

depingere, quam meæ me repręſentant literæ. Neq; enim animi eſt ingenui aliud dicere, vel ſcribere, & aliud ſentire. Nulli igitur in meis literis colores inſunt, ipſa effigies ſunt animi mei ipſiſſimus ἐμῶν. Quod vero idcirco miſerum tu me eſſe exclamas, atq; ingeminas, doleo ego te eſſe multo miſerrimum, qui magorum pentecoſtes, & ſimilium vocularum nemini vel leuiter literato ignotarum noua metamorphoſi cum obſeſſum animũ circumferas, perſtringi etiam aliorum ſenſus atq; iudicia illarum obiectione illico oportere, atq; in ſtuporem ſaxeum adduci, quaſi viſo Meduſæ capite temere perſuaſum habes. Si alicubi ſunt mẽdaces Gręci & Arabes, relinquantur, vel repudientur potius ipſorum mẽdacia. Imo & mendaces Germanos, vbi tales ſunt, auerſemur. Quid enim aliter faciat is, qui eſt veritatis ſtudioſus, quin apud omnes quærat, non quis loquatur, ſed quid dicatur? Docuit Paulus Apoſt. nõ eſſe ferẽdũ in Eccleſia, vt aliq̃s ſe addicat vel ipſi, vel vlli alteri. Quod cũ ita ſit, in medicina, in philoſophia, quis ferat vt in alicuius iuretur verba magiſtri? Non

valde abſimile eſt huic, quod de intelligentiis, geneſi, & educatione ſubiicis, de quibus quid ſentiēdum ſit, tanto rectius prouidet quiſque, quāto præditus eſt maiore, & philoſophiæ veræ ſcientia, & rerū vſu atq; experientia. Quid de ſtella aſpergis, qua duce Magi orientis Chriſtum natum in Bethlehem inuenerunt? nihil amplius efficit, quam quod Magiſter tuus in libro de vita longa de illis tribus Sabæis (quorum tamen numerū miror vbi in ſacris legerit) ſcripſit, quod magica, nō naturali vi equorum ad Betlehemitas venerint. Et tamen ſcholiaſtes illam ipſam ſtellam cometā facit & nominat. Scio & pie credo, mi Chriſtophore, & diuinitus illos fuiſſe adductos, & in omnib. actionib. noſtris diuino filo nobis opus eſſe. Sed hoc ab vtriſq; commemorato in ſpecie quid extruimus? ſpero, vel ſcio potius, lucem Dei, quē quotidie inuoco, mihi vndique prælucere, ſed ratione, quæ haud dubie eſt diuinæ lucis radius, & nobiliſſimum Dei donum, & ſenſibus adminiculis ſtudiorum, quos ipſe condidit, ideo me priuabo? Abſit. Theophraſti aſſeclam miratus

Stella Magorum

tus

tus ſum cur nūc te eſſe quodāmodo ſubpuduerit, antea ſis profeſſus. De magaritis non obiiciendis porcis, videre diuinis abutens prouerbiis, quibus multi multa palliāt. Quodporro videre me iubes qua mente Theophraſtum laudem ſimul & vituperem, facile me poſſum expedire, quanquam neq; effuſe laudaſſe, vel vituperaſſe me ſcio. Sed tu laudationē vocas haud dubie ea, quę nuper ad te perſcripſi. Vituperationē intelligis, quod nugas Paracelſi nominauerim in verſib', quos mihi obiicis. Heus tu non putas fieri poſſe, vt bona & mala laudāda & vituperāda ſint in vno & eodem? Profecto nimis multa ſunt exempla. Homerus in odyſſea inducit Muſicum in cōuiuio Alcinoi, ſi recte recordor, regis Phænicū, cui Iupiter, vt ipſe ait, dederat bonū & malum, in quo ſeipſum haud dubie poeta adumbrauit. Nam largitus ei erat, vt eſſet optimus cantor, & addiderat cæcitatem. Simili ꝓfecto modo & bona & mala, & laudabilia, & vituperabilia multis modis in hac humanæ naturæ mediocritate, vel fragilitate potius auſim pene dicere, ineſt

ſe omnib. hominibus, vel pleriſq; ſaltem.
Sed ad Theophraſtum quod attinet, non debeo, neq; volo vituperare, quod quędã pręclare inuenerit, atq; operatus ſit, ꝙ ſine ratione & vario atq; irrito conatu recte inuenta atq; demonſtrata quã plurima ſubuertere friuolis verbis præſumpſerit, probare nõ poſſũ, neq; modeſtiore, quã nugarum vocabulo poſſũ appellare. nõ ſolũ ea, ſed & ſpontaneam obfuſcationẽ, quã profitetur, atq; vſurpat in iis, ſi quę recte eruit. Neutiquã enim hoc decet eũ, qui gloriari vult, quod fecit, humano generi cõſulere velle, neq; hic vos tuentur ſuperius notata prouerbia. Quę vero ſint talĩũ inuolutionũ conſilia non libet tibi obiicere, etſi facile eſt illa colligere. Ita video me nõ aliter facere, quam vt laudem bonum & vituperem malũ. Galeni cerebrũ quoniam contemnere te profiteris, ſed ſoli addictũ non eſſe Theophraſto, quẽ tu totũ pene adoras, ego ſecundũ mediaſtinũ diſtinguens, & iuxta ea, quę iã ſcripſi, vna parte tanquã ſanum amplector, altera ſanũ eſſe affirmare non poſſum. Quod me tepidũ vocas,

Tepidus.

eas,atq; ea voce, vt exaratio maiuſcula indicat,pungere voluiſti,nõ ſum ita feruid⁹,vt me hoc inflãmet,neq; ita frigid⁹ vt vrat. Scio quoſdã qui nullas in rebus diſtinctiones adhibẽt, & omnia cõfundere,glorioſũ. n.autumant in contentionibus iſtud, & neutraliũ nomẽ & ſimilia tanquam probroſũ obiicere aliis. Sed hoc quid ad me ?Plerumq; tamen tepidi illi & temperati quietiori animo, & iudicio omnia rectius diſpicere deprehẽduntur,quam vel frigidi, qui omnẽ ſenſũ amiſerunt,vel nimis calidi,qui feruore nimio omnia deprauant atq; corũpũt. Si tibi non placet mecum cõmunicare facile te,quoniam ita libet dimitto. Sed ego ita non incitor,vt ferre nõ poſſim,vt per omnia ſaluẽs tuũ Paracelſum, & tuũ propoſitum. Laudabo te cũ video. Alexandrũ abſentẽ nolo mordere, ſed idem ꝙ nuper ſcripſi affirmo,me ex illius poſitionibus nihil proficere,quas tamẽ nemo iudicabit,vt opinor,ita abſtruſa cõtinere vt intelligi nõ poſſint,cõuicia ſane deceret nõ eſſe ita manifeſta.igit᷑ ꝙ tibi videtur facito,vt vel reſcribas,nõ vel reſcribas

Ego de glorioſa & ſempiterna Hippocratis & Galeni, & eorũ, qui hos ſecuti ſunt in medicina monarchia nihil ſum ſolicitus, non vereor ne quis illis hunc principatum eripiat, nec dubito quin temporis progreſſu ſano adhibito iudicio, ea quæ Paracelſus, atq; eius aſſeclæ vtiliter & recte inuenerunt, atq; prodiderũt, ad horum rationes accommodata, ſint acceſſoria futura in id potius, vt Arabũ & chemicum, atque, ita dicam, Quinteſſentianorum alia. Inanis autem & friuola affectatio atq; arrogãtia euaneſcet in auras, ſicut Aſclepideorũ, Eraſiſtratiorũ, Diatricariorum, & Theſſalicorũ temeraria, & plane ſimilis iactantia, quæ aliquandiu quoſdam faſcinatos tenuit, dudum prorſus euanuit. Bene Vale. Lipſiæ Cal. Aprilis, anno 1569.

PAVLVS CLOSIVS, PHYSICVS *Glacenſis, &c. Laurentio Scholzio Med. S. D.*

SECVNDAM partem practicæ Melichii, cum iis, quæ adhuc apud me reſtabãt, tandem tibi remitto. Adiunxi his, vt vo-

vt voluiſti, duas ad me D. Abrahami epiſtolas, & formulas medicamentorum Mag. Domini Cratonis, quib. iuuenem quendam delirantẽ, & piſces viuos, excrementaq; propria deuorantem felici cum ſucceſſu priſtinæ ſanitati reſtituit. Quas cum relegeris vt per Iohãnem noſtrum mihi remittas oro. In prouocãdis *In prouocandis mẽſibus* menſibus D. Abrahamus vtitur aqua pulegii bis probe deſtillata. Exhibet illius poſt euacuationem vniuerſalẽ ſingulis diebus mane, & ſub lecti introitũ pro vna doſi ℥ ii. & aquę cinamomi aliquãtulũ admiſcet. Eodẽ remedio & ego, Dei beneficio, aute mẽſẽ, virginẽ nobilẽ, cognatã domini Capitanei noſtri à mẽſium ſuppreſſione, aliquot menſibus durante, liberaui. De ſemine, quo D. Abra- *In vrinæ retentione.* hamus in retentione vrinæ à calculo vti ſolet, ad me ſcripſit ipſe his verbis: Subſequẽs euulſio in ſuppreſſione vrinæ vltra ſeptimũ diem ad miraculũ vſq; exeruit ſuas vires in coniuge Ioachimi Panwitz, & eſt ſecretum Diui Maximiliani. Excreuit calculos vltra mille & quingentos, & aliquot menſuras vrinæ.

tuas laudo,quibus vis quædã ineſt, vt ea ratione ſcribendi officium continuetur, & amicitia cõfirmetur. Quæſtiones propoſuiſti duas. 1. Quid ſit id plantæ, quod Schroterus palmæ Chriſti nomine crebro in medicinę exercitatione vſurpat. 2. An diuretica in calculo cõueniãt. Ad priorem antequam reſpondeam: amãter te rogo, vt D.Schroterum, quod ad tuas literas nihil ſcripſerit,excuſatum habeas, nihilq; ſiniſtri de ipſius erga te animo ſuſpiceris. Coburgi eſt infinitis negotsii aulicis quaſi obrutus. In Illuſtriſſ. principũ Saxonię valetudinis ſuſtẽtatione Simonio ſucceſſit. Et animaduert illũ principibus & à corporis cura, & à cõſiliis eſſe,ita vt ob plurima negotia rariſſime animũ ad ſcribendum appellere poſſit. Palma Chriſti igitur ipſi eſt ex triorchidũ ordine: mucronata folia habens,porri ſimilia,latiora tamen, incurua, & humum reflexa, maculata: flores purpuraſcẽtes, odoratos,ſpicatos. Mẽſe maio folia & flores emittit. Digitos citrinos Auicennæ eſſe arbitratur. In melancholicis & pituitoſis affectib. etiã nos vſu ab ipſo

aperte tibi oſtendam, viciſſim perſpecto tuo, non vt inimicitias, ſed vt amicitiā ineamus, moneamus nos inuicē, & oblata oportunitate coram cōgrediamur, & de rebus mutuo conferamus, quod rectum, quod verum eſt, quæramus ſine inclinatione odii aut fauoris erga quenquā. Ego enim vel à puero diſcere, quod ignoro, quodq; neceſſitatem habet, & vtilitatem cum honeſtate coniunctā, non erubeſco. Tu ſi animum habes ſimilē, amicitiæ intra nos fundamēta iacta ſunt. Neq; enim decet Chriſtianos propter neſcio quas diſputatiunculas, aut in Medicina Monarchiam alienos inter ſe gerere animos, ſed placide conferre rationes, & omnia cōferre ad ſalutē proximi, ni fallor, pium eſt atq; rectū. De me ſane omnia tibi debes promittere beneuolētiæ ſtudia & officia. Vale. Lipſiæ Idibus Martii, an. 1569.

MICHAELI BARTH, PROFESſori in Academia Lipſica, &c. Chriſtoph. Pithopæius S. D.

NON poterat te Barthe melius vel ipſe depingere Apelles, atque te viuis coloribus tuæ depinxere ad me datæ literæ. O

ræ. O miſerum te,ac vere miſerũ, qui veterum Magorũ duce & via neglectâ per ſomnia mendacium Græcorũ atque Arabum ad veram Philoſophiæ & Medicinæ metã,terminumque cõdendis Inquiſitionem & amorem ſapientiæ omnibus mortalibus ex àſtris cõceſſum ſcimus, ac prænium cõſtitutum veris ſapientibus, æternãque poſſeſſionem, nec intelligẽtiis,nec geneſi, nec educationi etiam præclariſſimæ adſcribimus. Multi enim beneficio prædictarum cauſarum eo deuenerunt, vt viam conſpexerint, & finem intellexerint,verum ideo nõ ſtatim eum ſunt conſecuti,propterea quod ante Pentecoſten ſunt mortui. Duce opus eſt, filo nempe Dædali,ſi labyrinthum opinionum vitare & exire laboras,ſtella nimirum,qua duce Magi orientis Chriſtum natum in Bethlehem inuenerunt. Hęc tibi ſi illuxerit. eos videbis miſeros ſenſus tuos, coramq; plane tuã rationem,& intelliges me non Theophraſti aſſeclã,ſed ab eodem, à quo Paracelſus, edoctum, & ea habere principia, cauſas & elementa rerũ,quæ vti ſenſibilia nõ ſunt, ita nec ſenſibilibus trahun-

tur in publicum literis. Neq; enim margaritæ obiiciẽdæ porcis, nec ſanctũ dandum canibus. Quid autem præſtiterimus iis noſtris fundamentis noſtrũ non eſt gloriari. Deus nouit, & ii quibus noſtrã opem non denegamus, qui ſi nondum ad vos peruenerint, noſtra laude, nihil plane refert. Si enim gloriari licet, gloriamur in Domino gloria noſtra, amen. Si multi parum feliciter Theophraſtum Magum à tempore Apoſtolorum maximum & abſolutiſſimum imitãtur, quid ad me. Tu videris qua mente illum laudes ſimul & vituperes. Bonum vult laudari, malum vituperari. Placeat ergo tibi, vel diſpliceat, Galeni cerebrum in medicina contemno, indignum commiſeratione, quod non pœnituerit. Nec mihi tecum Tepido in poſterum quicquam erit commune, alius ni fueris. Hinc iudicium de Alexandri, deq; rebus noſtris, quas non intelligis, ſuſpende, & bene vale. Ex mõtanis D. Annę *12*. Cal. April. an. 1569.

Christophoro Pithopæio
Spagyrico, &c. Michael Barth. Med. S. D.

Non poterat, Chriſtophore, nec potuit, nec debet, vllus pictor melius me depin-

depingere, quam meæ me repręſentant literæ. Neq; enim animi eſt ingenui aliud dicere, vel ſcribere, & aliud ſentire. Nulli igitur in meis literis colores inſunt, ipſa effigies ſunt animi mei ipſiſſimus ἰμῶν. Quod vero idcirco miſerum tu me eſſe exclamas, atq; ingeminas, doleo ego te eſſe multo miſerrimum, qui magorum pentecoſtes, & ſimilium vocularum nemini vel leuiter literato ignotarum noua metamorphoſi cum obſeſſum animũ circumferas, perſtringi etiam aliorum ſenſus atq; iudicia illarum obiectione illico oportere, atq; in ſtuporem ſaxeum adduci, quaſi viſo Meduſæ capite temere perſuaſum habes. Si alicubi ſunt mẽdaces Gręci & Arabes, relinquantur, vel repudientur potius ipſorum mẽdacia. Imo & mendaces Germanos, vbi tales ſunt, auerſemur. Quid enim aliter faciat is, qui eſt veritatis ſtudioſus, quin apud omnes quærat, non quis loquatur, ſed quid dicatur? Docuit Paulus Apoſt. nõ eſſe ferẽdũ in Eccleſia, vt aliq̃s ſe addicat vel ipſi, vel vlli alteri. Quod cũ ita ſit, in medicina, in philoſophia, quis ferat vt in alicuius iuretur verba magiſtri? Non

valde abſimile eſt huic, quod de intelligentiis, geneſi, & educatione ſubiicis, de quibus quid ſentiēdum ſit, tanto rectius prouidet quiſque, quāto præditus eſt maiore, & philoſophiæ veræ ſcientia, & rerũ vſu atq; experientia. *Stella Magorum* Quid de ſtella aſpergis, qua duce Magi orientis Chriſtum natum in Bethlehem inuenerunt? nihil amplius efficit, quam quod Magiſter tuus in libro de vita longa de illis tribus Sabæis (quorum tamen numerũ miror vbi in ſacris legerit) ſcripſit, quod magica, nõ naturali vi equorum ad Betlehemitas venerint. Et tamen ſcholiaſtes illam ipſam ſtellam cometā facit & nominat. Scio & pie credo, mi Chriſtophore, & diuinitus illos fuiſſe adductos, & in omnib. actionib. noſtris diuino filo nobis opus eſſe. Sed hoc ab vtriſq; commemorato in ſpecie quid extruimus? ſpero, vel ſcio potius, lucem Dei, quē quotidie inuoco, mihi vndique prælucere, ſed ratione, quæ haud dubie eſt diuinæ lucis radius, & nobiliſſimum Dei donum, & ſenſibus adminiculis ſtudiorum, quos ipſe condidit, ideo me priuabo? Abſit. Theophraſti aſſeclam miratus

tus ſum cur nūc te eſſe quodāmodo ſubpuduerit, antea ſis profeſſus. De magaritis non obiiciendis porcis, videre diuinis abutens prouerbiis, quibus multi multa palliāt. Quodporro videre me iubes qua mente Theophraſtum laudem ſimul & vituperem, facile me poſſum expedire, quanquam neq; effuſe laudaſſe, vel vituperaſſe me ſcio. Sed tu laudationē vocas haud dubie ea, quę nuper ad te perſcripſi. Vituperationē intelligis, quod nugas Paracelſi nominauerim in verſib᷒, quos mihi obiicis. Heus tu non putas fieri poſſe, vt bona & mala laudāda & vituperāda ſint in vno & eodem? Profecto nimis multa ſunt exempla. Homerus in odyſſea inducit Muſicum in cōuiuio Alcinoi, ſi recte recordor, regis Phænicū, cui Iupiter, vt ipſe ait, dederat bonū & malum, inquo ſeipſum haud dubie poeta adumbrauit. Nam largitus ei erat, vt eſſet optimus cantor, & addiderat cæcitatem. Simili ꝑfecto modo & bona & mala, & laudabilia, & vituperabilia multis modis in hac humanæ naturæ mediocritate, vel fragilitate potius auſim pene dicere, ineſt

ſe omnib. hominibus, vel pleriſq; ſaltem.
Sed ad Theophraſtum quod attinet, non debeo, neq; volo vituperare, quod quędã pręclare inuenerit, atq; operatus ſit, ꝙ ſine ratione & vario atq; irrito conatu recte inuenta atq; demonſtrata quã plurima ſubuertere friuolis verbis præſumpſerit, probare nõ poſſũ, neq; modeſtiore, quã nugarum vocabulo poſſũ appellare. nõ ſolũ ea, ſed & ſpontaneam obfuſcationẽ, quã profitetur, atq; vſurpat in iis, ſi quę recte eruit. Neutiquã enim hoc decet eũ, qui gloriari vult, quod fecit, humano generi cõſulere velle, neq; hic vos tuentur ſuperius notata prouerbia. Quę vero ſint talſũ inuolutionũ conſilia non libet tibi obiicere, etſi facile eſt illa colligere. Ita video me nõ aliter facere, quam vt laudem bonum & vituperem malũ. Galeni cerebrũ quoniam contemnere te profiteris, ſed ſoli addictũ non eſſe Theophraſto, quẽ tu totũ pene adoras, ego ſecundũ mediaſtinũ diſtinguens, & iuxta ea, quę iã ſcripſi, vna parte tanquã ſanum amplector, altera ſanũ eſſe affirmare non poſſum. Quod me tepidũ vocas,

Tepidus.

cas,

eas,atq; ea voce, vt exaratio maiuſcula indicat,pungere voluiſti,nō ſum ita feruid⁹,vt me hoc inflāmet,neq; ita frigid⁹ vt vrat. Scio quoſdā qui nullas in rebus diſtinctiones adhibēt, & omnia cōfundere,glorioſū. n.autumant in contentionibus iſtud, & neutraliū nomē & ſimilia tanquam probroſū obiicere aliis. Sed hoc quid ad me? Plerumq; tamen tepidi illi & temperati quietiori animo, & iudicio omnia rectius diſpicere deprehēduntur,quam vel frigidi, qui omnē ſenſū amiſerunt,vel nimis calidi,qui feruore nimio omnia deprauant atq; corūpūt. Si tibi non placet mecum cōmunicare facile te,quoniam ita libet dimitto. Sed ego ita non incitor,vt ferre nō poſſim,vt per omnia ſaluēs tuū Paracelſum, & tuū propoſitum. Laudabo te cū video. Alexandrū abſentē nolo mordere, ſed idem ꝙ nuper ſcripſi affirmo,me ex illius poſitionibus nihil proficere,quas tamē nemo iudicabit,vt opinor,ita abſtruſa cōtinere vt intelligi nō poſſint,cōuicia ſane deceret nō eſſe ita manifeſta.igit᷑ ꝙ tibi videtur facito,vt vel reſcribas,nō vel reſcribas

Ego de glorioſa & ſempiterna Hippocra-tis & Galeni, & eorũ, qui hos ſecuti ſunt in medicina monarchia nihil ſum ſolicitus, non vereor ne quis illis hunc princi-patum eripiat, nec dubito quin temporis progreſſu ſano adhibito iudicio, ea quæ Paracelſus, atq; eius aſſeclæ vtiliter & re-ctè inuenerunt, atq; prodiderũt, ad ho-rum rationes accommodata, ſint acceſ-ſoria futura in id potius, vt Arabũ & che-micum, atque, ita dicam, Quinteſſentia-norum alia. Inanis autem & friuola affe-ctatio atq; arrogãtia euaneſcet in auras, ſicut Aſclepideorũ, Eraſiſtratiorũ, Dia-tricariorum, & Theſſalicorũ temeraria, & plane ſimilis iactantia, quæ aliquan-diu quoſdam faſcinatos tenuit, dudum prorſus euanuit. Bene Vale. Lipſiæ Cal. Aprilis, anno 1569.

PAVLVS CLOSIVS, PHYSICVS *Glacenſis, &c. Laurentio Scholzio Med. S. D.*

SECVNDAM partem practicæ Meli-chii, cum iis, quæ adhuc apud me re-ſtabãt, tandem tibi remitto. Adiunxi his, vt vo-

vt voluiſti, duas ad me D. Abrahami epiſtolas, & formulas medicamentorum Mag. Domini Cratonis, quib. iuuenem quendam delirantē, & piſces viuos, excrementaq; propria deuorantem felici cum ſucceſſu priſtinæ ſanitati reſtituit. Quas cum relegeris vt per Iohānem noſtrum mihi remittas oro. In prouocādis menſibus D. Abrahamus vtitur aqua pulegii bis probe deſtillata. Exhibet illius poſt euacuationem vniuerſalē ſingulis diebus mane, & ſub lecti introitū pro vna doſi ℥ ii. & aquę cinamomi aliquātulū admiſcet. Eodē remedio & ego, Dei beneficio, aute mēſē, virginē nobilē, cognatā domini Capitanei noſtri à mēſium ſuppreſſione, aliquot menſibus durante, liberaui. De ſemine, quo D. Abrahamus in retentione vrinæ à calculo vti ſolet, ad me ſcripſit ipſe his verbis: Subſequēs euulſio in ſuppreſſione vrinæ vltra ſeptimū diem ad miraculū vſq; exeruit ſuas vires in coniuge Ioachimi Panwitz, & eſt ſecretum Diui Maximiliani. Excreuit calculos vltra mille & quingentos, & aliquot menſuras vrinæ.

In prouocandis mēſibus

In vrina retentione.

tuas laudo, quibus vis quædã ineſt, vt ea ratione ſcribendi officium continuetur, & amicitia cõfirmetur. Quæſtiones propoſuiſti duas. 1. Quid ſit id plantæ, quod Schroterus palmæ Chriſti nomine crebro in medicinę exercitatione vſurpat. 2. An diuretica in calculo cõueniãt. Ad priorem antequam reſpondeam: amãter te rogo, vt D. Schroterum, quod ad tuas literas nihil ſcripſerit, excuſatum habeas, nihilq; ſiniſtri de ipſius erga te animo ſuſpiceris. Coburgi eſt infinitis negotsii aulicis quaſi obrutus. In Illuſtriſſ. principũ Saxonię valetudinis ſuſtẽtatione Simonio ſucceſſit. Et animaduerti illũ principibus & à corporis cura, & à cõſiliis eſſe, ita vt ob plurima negotia rariſſime animũ ad ſcribendum appellere poſſit. Palma Chriſti igitur ipſi eſt ex triorchidũ ordine: mucronata folia habens, porri ſimilia, latiora tamen, incurua, & humum reflexa, maculata: flores purpuraſcẽtes, odoratos, ſpicatos. Mẽſe maio folia & flores emittit. Digitos citrinos Auicennæ eſſe arbitratur. In melancholicis & pituitoſis affectib. etiã nos vſu ab ipſo

edocti vſurpamus. Syrupũ enim e bulbulis illis cõfectũ in officinis noſtris habemus, cuius deſcriptionem apud te eſſe opinor. Ad alteram vero difficilius mihi eſt concinne reſpondere, propter multiplices fallaciarũ tricas, quæ dicturo tẽſæ ſunt: vt tamen quod ſẽtio dicam, aſſeuero: Diuretica proprie ita vocata, etiã purgato corpore in calculo perfecto & abſoluto non cõuenire. Id vt probem, 1 Diureticorũ facultates, 2. calculi eſſentiales

Diuretica quæ.

cauſas oſtendã. Diuretica propria ſunt, quæ ſerum, aut craſſum, aut viſcidum, ſanguini permixtũ, hæc enim vitia ſunt, ob quæ vrina à renibus attrahi nequeat) attenuant, incidunt, fundũt & ſeparant, & præterea vt alte ſubire poſſint, tenuiũ ſunt partiũ, & eximie ac inſigniter calida. Horum enim eſt eliquare, fundere, deſiungere heterogenea, vt Daucus, petroſelinum, Ammi. De improprie diureticis, vtpote quæ ex accidẽti, dũ obſtructiones tantũ expediunt, vrinæ emiſſioni conducunt, eamq; non per ſe prouocãt: nihil hic dicã. Nec de mediis, quæ frigida ſunt, & abſtergendi facultatẽ aliquã

ha-

habẽt, vt ſunt 4 ſem. frig. halicacabus, radix graminis. Nam & hæc diuretica proprie dici nõ poſſunt, dum calorem alienum tantum reprimunt, & ad temperãtiã ducunt, vt commodior deinde ſeroſi humoris ad renes fiat attractio. Sũt igitur nobis proprie diuretica tantum illa, quæ ſunt calida & ſicca tertio ordine. Calculi cauſa effectrix, prętor inſitam diſpoſitionem calculoſã, & arenoſam, eſt ignea renum & partium circumſtãtiũ caliditas, vt Aetius, Alexander, & Paulus vno ore aſſerũt. Materialis vero eſt nõ tenax, viſcidus, & pituitoſus humor. Hic enim nunquam, etiãſi intenſiſſime vratur, lapideſcet: ſed craſſum, terreum & ſiccum ſerum. Iam ſi calculus curari debet, (fingamus enim illũ cum Fernelii & Argẽterii venia morbũ) requiruntur proprie medicamẽta attenuantia, incidẽtia, ſubtilium partium citra manifeſtũ calorẽ. Quę enim calida ſunt, cauſas morbificas non auferunt, ſed augẽt ita vt magis calculus excoquatur & dureſcat. Efficitur igitur diuretica proprie vocata in calculi perfecti curatione neutiquam cõuenire

cauſa Calculi

Diuretica in calculo perfecto non conueniunt.

Perfecti dico. Nam vbi calculus leuiter concreuit, nec tenaciter cõpactus eſt, valido calore & exiccatione illud glutinis, quo leuiter cohæret cõſumitur, vt in puluerẽ is collobatur. Deinde vbi ſunt multa calculorũ fruſtula q̃ aut cauitati, aut meatibus inhærẽt, vt ablutiõe & abſterſione opus ſit: diuretica conuenire poſſunt, vt violentia lõgi vrinæ profluuii calculi quaſi eluantur. Atq; hoc modo ad propoſitas quæſtiones reſpondendũ mihi eſſe iudicaui: quæ, ſi iudicio tuo ſatis factũ non eſt, etiã atq; etiam rogo vt amice me monere velis. Sententiã enim tuã lubenter audiam, nec doceri erubeſcam. Verũ vt ζητημάτων aliquid etiã viciſſim tibi proponã, ex Aretæo vetuſtiſſimo ſcriptore ſententiam excerpam eius enodationem abs te peto. Multis inquit lib. diuturn. c. 12. ſub finẽ) in hydropicũ morbum prodagra cõceſſit, quibuſdam in deprauatã ſpirationẽ ſeu aſthma. Hæc vero ſucceſſio immedicabilis eſt atque ineuitabilis. Hoc pronunciatũ Aretęi eſt de trãſmutatiõe & ſucceſſione hydropis & aſthmatis ad podagram ſeu dolorem coxen-

Translatio hydropis & aſtomatis in podagram.

coxédicis. Tu mihi data occaſione, expone cauſã huius ſucceſſionis & veritatis. Nam nuper in magno quodã viro hic obſeruatum eſt; quod vterq; morbus & hydrops & aſthma ſimul dolori coxæ ſucceſſerit:& hęc vitia omnibus etiã dexterrime peractis fuerint inſanabilia. 11. Cur hydrops nonnunquam Aſthma ſequatur. Ego quæ de hortuli tui cultura ſcripſiſti, lubentiſſime legi. Habeo quidem elegãtem & ſpacioſum hortum, qui multa capit, verumtamen quia, Dei gratia, paterfamilias ſum, non tantum Medicinæ ſtudioſus, nunc magis ſapida pyra & longæua poma requiro, quam ſpecioſos rerũ inutilium flores,& ſumptuoſa exotica. Studium tamen rei herbariæ non abiicio,& voluptatis cauſa nõnulla colo. Helianthemum ad maximam altitudinem aſſurrexit,& nũc perpulcre floret, ſemina vix puto ad maturitatẽ ventura. De tuis rebus ſi mihi quid nũdinis hyemalibus Lipſenſibus miſeris, grato id animo accipiam. Nihil autẽ q, mihi magis placeret donare poſſes, quam bulbum Tulipaceum. Nam è ſeminibus

nihil mihi pullulat. Habemus hic febres vulgares, de quibus ſententiã mihi ſuã Doctor Schroterus miſit ex aula, cuius exemplum tibi pro amicitia mitto. Eius filius Philippus cum magna laude & felicitate Ienæ artem Medicam & publice decet & exercet. Diſputauit aliquoties cum magna omnium admiratione. Habes etiã hic Theſes duas, quas nuper propoſuit. Iohannes Fridericus Schroterus Baſileæ etiam rem optime geſſit, & ob eruditionem, cuius aliquot diſputationibus inſignia ſpecimina edidit Doctoratus gradum adeptus. Rediit autem, vt Zuingerus mihi ſcripſit, in Italiam, quã curſim luſtrata Monſpelium ſe cõferet. Schneppius Iſnaci Medicinam exercet. bene vale, mi amantiſſime Laurenti, & meo nomine officioſe & amanter ſaluta Dn. Schillingum, & D. Hennemannũ. 3 Kalend. Octob. anno 1581. Gothæ.

IOH. SCHROTERVS MED. CELEberr. &c. *Iuſtino Pezoldo, Med. S. D.*

EGo cum videam hoc tempore febres populariter graſſantes eiuſmodi conditio-

ditionem habere, vt protinus omnes humani corporis actiones proſternant: primum equidem non caloris remiſſionē quærendā: ſed maximo ſtudio ſine vlla cunctatione in hoc incumbendum eſſe iudico, quod antea ſępe ſimilibus in caſibus me facere memini, vt augmentum venenoſitatis prohibeatur, ne hoc lōgius ſerpat, mēbraque principalia corroborentur, vt ipſa ſe à venenoſitate tueri poſſint: nō neglectis poſtea tamen, quæ moderate refrigerent. Nam hanc reſolutionem, quam febres hæ afferunt, omnino ſtatuo peſtiferam, ipſamque venenoſā malignitatem eſſe, inficientem omnes ſpiritus & horū virtutes. Vnde in his exquiſite & copioſe euacuare nullo modo tutum erit: maxime cum alui fluxus copioſus eas ſæpiſſime comitetur: & ſi natura morbi, ægriq; euacuationē patiuntur: illa qualiscunq;, vel per venæſectionem, vel pharmacum inſtituitur, moderata & ſine vlla violētia ſit oportet: adhibeanturq; ſemper, quę venenoſitati reſiſtunt. operę prætium itaque eſt: ſemper partium principalium corroborantia, &

In venenoſitate peſtiſerenti quid faciendum.

horũ ſpiritus recreãtia exhibeamus æ-
gris cum in cibo, tum potu & pharmacis.
Quare recte aluo ſubducta ſequẽtis pul-
ueris in aquis ſcabioſę acetoſę, boraginis
bis terve in die à ʒ i ad ʒ i ß & ʒ i i
pro natura indiuidui exhibemus:

℞ Succini alb ℈ i i.
Sem. ocymi garyophyll. ʒ ß i.
acetoſæ,
card. bened.
citri an. ʒ i i.
Rad. tormentill.
diptami,
gentianæ a. ʒ i i ß.
Boli armen.
Terræ Læmniæ,
Cinamom. a. ℥ ß.
Margarit.
Hyacinth. præpar.
Oſſ. de corde cerui a. ʒ i i i.
Sandal. omnium a. ʒ i ß.
Miſc. f. pulu. ſubtilis.

FINIS LIB. III EPIST. MED.

Digitized by Google

IOHANNIS CRATONIS A KRAFTHEIM, ARCHIATRI CÆSAREI,

Μικροτεχνή, ſeu parua ars Medicinalis,

NVNC PRIMVM STVDIO ET INDVSTRIA

LAVRENTII SCHOLZII MEDICI Vratiſlauienſis in lucem edita.



HANOVIÆ
Typis Wechelianis, apud Claudium Marnium, & heredes Ioan. Aubrii.

M. DC. IX.

Cum S. Cæſarea Maieſt. priuilegio.

Digitized by Google

LAVRENTII SCHOLZII, MEDICI VRATISLAVIENSIS,

Ad lectorem candidum Præfatio.

NE libellus iſte, quem Crato noſter, piæ memoriæ, μικροτεχνην inſcripſit, ἀνευλόγου καὶ προοιμίων in Medicinæ ſtudioſorum manus perueniat, procemii loco præcepta quædã generalia, ad Medicinã noſtram, artium omniũ præclariſſimam, eoſq;, qui hanc fideliter exercent, pertinentia, quæ autor ſcripti huius, cum ex grauiſſimo morbo, anno ſalutiferi partus MDLX, Dei gratia, conualuiſſet, ſibi obſeruanda præſcripſit, in medium adferam. Sunt autem hæc: Primum, pietatem colat. Ea enim eſt vera felicitas. Secũdum: artem recte diſcat, nec temere, priuſquam

Digitized by Google

didicerit, exerceat. Tertium: ad ægrum veniens vtatur blanda oratione, non inquirat,& curet, quæ ad valetudinem ægri non ſpectant. Quartum: interroget de ætate, conſideret habitum corporis, ſtudia, vitæ genus, rationem victus. Quintum: inueſtiget temperaturam ex habitu & colore corporis, cumprimis membrorum principalium, circa cor, affectiones, pulſum; circa epar, hypochondria, venas, excrementa; in cerebro, conſideret cum inferiorum, tum exteriorum ſenſuum vigorem. Sextum: quærat de ſymptomatibus, quia ea monſtrant morbum,&locum affectum. Hic diligenter doctrina ſignorum obſeruetur. Quare ſi quis accuratè, certè Montanus in obſeruationibus Rhaſis tradidit. Septimum: inueſtiget cauſas ſymptomatum, & ita demum in exactam cognitionem morbi perueniet. Octauum: dicat præſagium, obſeruet diligenter dies criticos; morbi tempora, ſtellarum, inprimis luminariũ aſpectus malos. Ac etiamſi res ſit in dubio, moneat amicos, ægrum ſemper bene ſperare iubens, niſi ille ea ſit infirmitate, vt potius cum CHRISTO, quàm

quàm in hac miſera vita cito viuere cupiat. Nonum: ſi contagioſus eſt morbus, aſtantes admoneat. Decimum: in vulgus nihil ſpargat, vel de ſalute, vel morte ægri, ſed dubitanter loquatur, nec in vllum, quam magnitudinem morbi cauſam mortis conferat, niſi propriam famam, & conſcientiam tueri neceſſe ſit. Vndecimum: in curatione primum inſtituat victus rationem. Interdum vbi noxa non eſt magna, aliquid ægro concedat. Ægro non recitet catalogum ciborum; ſed qui eius curam gerunt. Duodecimum: ſi interrogabit æger de remediis, parum proponat, ac ipſe neceſſaria recte & fideliter agat. Decimumtertium: ſi morbus non cedit, diligentia intendatur. Decimumquartum: ſi conualeſcit æger, non accedas, ne videaris petere pecuniam. Fuge auaritiam radicem omnium malorum, & nihil ſine ratione, & inprimis inuocatione Dei facias. Ita eris bonus Medicus. Et hæc ſunt, humaniſſime lector, quæ præfationis loco huic libello præmittere volui. Quæ vt ab animo bono, ac reipubl. literariæ quouis modo gratificandi cupidiſſimo profe-

cta ſunt: ita bona quoq; beneuolaq; mente vt accipias, inq; bonam interpreteris partem, peramanter oro. Quod ſi iſta vſibus tuis vlla ratione inſeruient, vt mihi id gratiſſimum erit: ita operam deinceps ſedulo dabo, vt in aliis quoq; tibi in poſterum gratificari queam. Interim bene feliciterque vale, ac ſtudium iſtud meum ad Medicinam, quæ nullis non ſeculis glorioſa & diuina eſt habita, exornandam, amplificandamq; directum, æqui boniq; conſule.

Vratislauiæ die S. Georgio ſacro, anno ſalutis humanæ M. D. XCII.

Ad virum clariſſ.

D. LAVRENTIVM SCHOLZIVM, MEDICVM VRATISLAVIENSEM.

Lis eſt. Vter beatior
Sit inter hos: qui repperit
Opes reconditas ima
Tellure; vel qui prodidit?
Non errat is, κειμήλιον
Qui deſtinauit vſibus
Illud ſuis, nec exhibet
Promiſcuè petentibus.
Laudem meretur at magis
Repoſitum ſibi qui Bonum
Non mancipat, ſed omnium
Scit applicare commodis.
Proin quis inuideat tibi
SCHOLZI, *tuæ gentis decus,*
Quod mutuum pro mutuo
Capis labore gratiam?
Enimuerò quod abdidit
Medentium numen CRATO,
Solerter id, quò ſingulis
Patêre poſſit, eruis.

Ioachimus Specht, I.V.D.

Ad eundem.

Cur tibi tot Scholzi *premuntur ab indole fru-*
ctus?
Publica cur totiens tam bona ſcripta facis?
Floſculus & tibi cur nouus omni naſcitur hora?
Cur tua ſemper ouant flore vireta nouo?
Cum Flora Pallas certat, cum Pallade Flora:
Fertilem habes hortum, fertile & ingenium.
Inde tibi aſsidue florent, & perpetuum ver
Luxurians agitant hortus, & ingenium.

Albertus Fridericus Melle-
manus I. C.

MIKPO-

Digitized by Google

ΜΙΚΡΟΤΕΧΝΗ SEV PARVA ARS MEDICINALIS,

AVTORE

IOH. CRATONE.

TRES ſunt præcipuæ Medicorum ſectæ: Empirica, Methodica, & dogmatica, quæ rationalis dicitur. eius vero omnium bonorum autor (vt à Galeno veriſſime appellatur) princeps eſt Hippocrates. Is Medicam artem conſtituturus; *Hippocr. tria conſiderat.* tria in corpore humano, tanquam in ſubiecto, circa quod ea verſatur, conſideranda monet, videlicet, ſubſtantiam, facultates & actiones. In conſideratione ſubſtantiæ ad tria principia ſenſibus obuia, *1. Subſtantiam in tribus.* videlicet, membra ſolida, humores, & ſpiritus reſpiciendum: ea ille τὰ ἴσχοντα, τὰ ἐνισχόμενα, καὶ τὰ ὁρμῶντα σώματα nominat. Mēbra vero ſolida, vel quatenus ſunt ſimplicia, & ſimilaria, vt nerui, venæ, arteriæ, mēbranę, caro, &c. vel quatenus ſunt compoſita, ſiue organica, vt caput, brachia, manus, pedes, Medico conſideranda do-

I. *Solida.* cet. Actiones, vſumq; ſimilarium variis in locis exponit: trium autem præcipue, neruorum videlicet, arteriarum & venarum. Neruorum actionem eſſe tradit, inſeruire facultati animali, & deferre vim animalem, ſeu ſenſum & motum, adminiſtrantibus ſpiritibus in vniuerſum corpus. Arteriarum vero, vitali virtuti famulari, dum quaſi per canales calorem, ſeu ſpiritus vitales è corde acceptos in vniuerſum corpus diſtribuunt, vt is det actum, ſeu ἐνέργειαν calori in ſingulis partibus, in quibus eſt τῇ δυνάμει, & ἔμφυτος ſeu innatus dicitur. Venarum, ſeruire virtuti & facultati naturali, & per vniuerſum corpus nutrimentum, quo animal nutriatur, augeatur, & conſeruetur, deferre. Organicorum actiones, tanquam notas ſuo more (vt qui maxime neceſſaria veterum conſuetudine breuiter complectitur) Hippocrates præterit, & ortum ſolidarum omnium partium ex quatuor humoribus eſſe aſſerit. Contra quam ſententiam cæteri Medici diſputabant; vt videre eſt apud Galenum. De humoribus autem hæc Hippocratis eſt ſententia. Quatuor reperiri

II. *Humores quot & quid.*

periri

periri in corpore: eoſq; non excrementa, ſed ſuccum, ſine quo animal non poſſit ſuſtentari, aſſerit. ac ſanguinem bilem, Melancholicum ſuccum, & pituitam nominat. Hi licet in maſſa ſanguinea perpetuo ſimul contineantur; tamen peculiares affectiones habent, propter quas, & hoc modo diſtinguuntur, & ab excrementitiis humoribus in quantitate & qualitate peccantibus diſcernuntur. Nam ſanguis nutrit corpus, & calori, cum is in ſpiritus tranſeat, quaſi pabulum præbet; inde enim primum calor ſeu ſpiritus in corde gignitur: qui deinde per arterias delatus, in reliquis membris ſuas vires ſuſcipit. Ex hoc corpus vniuerſum & robur, & colorem floridum accipit. Bilis vero calorem acuit, ſenſum quaſi, & motus excitat; diſtributionemq; humorum, ac excrementorum expulſionem adiuuat. His effectionibus humoris Melancholici, ſeu bilis atræ actio quaſi contraria eſt. Eſt enim veluti frenum duorum humorum calidorum, videlicet, ſanguinis ac bilis: atque vt calor & ſpiritus in reliqua maſſa ſanguinis contineantur, humoreſ-

Sanguis. Bilis. Melancholia.

que in officio (dum modo ſit hic humor integer) maneant, efficit. Pituitæ actiones ſecundum Hippocratem ſunt; nutrire membra frigidiora: humectare partes quæ mouentur, ne ſiccitate impediatur motus, vt in iuncturis & lingua videre eſt; deniq; nutrimento deficiente, ſanguinis partes explere. Analogiam autem quatuor humorum ad quatuor elementa ſic oſtendit: vt bilis ſit calida & ſicca, tãquam ignis, ſanguis calidus & humidus, veluti aer, pituita frigida & humida, vt aqua, humor melancholicus, veluti terra, frigidus & ſiccus. Ea re humores ex quatuor illis primis corporibus, videlicet elementis affirmat generari. His vero proportione reſpondere quatuor ætates hominum: quatuor item anni tempora: & augeri, minui, atque mutari humores, ſecundum ætatum, & temporum mutationem. Docet enim in pueritia & vere (hoc enim tempus pueritiæ reſpondere propter temperiem calidam & humidam cenſet) ſanguinem præcipue augeri, & deinde pituitam; humorem vero melancholicum primum minui, deinde bilem. In æſtate au-

Pituita.

Analogia ad elementa & ætates.

tem & iuuentute, ſeu conſtanti ætate, corporibus calidis & ſiccis bilem augeri primum, ſecundo ſanguinem, minui vero magis pituitam, minus humorem melancholicum. In ætate ingraueſcente atque autumno cum eorum frigida & ſicca temperatura ſit, humorem melancholicum primum abundare, deinde pituitam: diminuique ſanguinem præcipue, minus bilem. In extremo ſenio atq; hiemis conſtitutione humida & frigida maxime augeri pituitam, deinde humorem melancholicum: minui vero ſanguinem & bilem. Hæc de humoribus tanquam de altero principio in ſubſtantia corporis obſeruanda, Medicum Hippocrates docet. Tertium vero principium, quod ad conſtitutionem corporis humani requirit, ſunt ſpiritus: quos Hippocrates *ἐνορμῶντα σώματα* appellat: horum vero fons eſt ille, quem Naturalem vocamus. Is enim materia vitalis eſt, quemadmodum vitalis rurſus animalis. Spiritus autem naturalis, qui nihil aliud eſt, quàm vapor ſubtilis ex ſanguine expreſſus; in epote à Medicis tanquam ſua ſede, in qua generatur ſan-

3 Spiritus

Naturalis.

guis collocatur. Non libet hic, cum Hippocratica recitem, attingere diſputationem: Generetur ne ſanguis in corde, epate vel venis. Illud de ſententia Hippocratis tyrones moneo: hunc ſpiritum è maſſa ſanguinis expreſſum vt d xi, in corde elaborari: atque virtutem, eiuſque actionem duplicem eſſe, vnam in corde, vnde effectuum varietas: alteram à corde, vnde motus arteriarum pulſuſque, & caloris vitalis in totum corpus diffuſio, quâ videlicet in ſingulis partibus innatus fouetur & excitatur. De calore innato, quem dixi à ſpiritu ſeu calore influente foueri atque excitari, qui humido primogenio in omnibus corporis partibus inſidet, & omnium actionum naturalium opifex eſt: hoc in loco dicere multa non debeo. Saltem illud moneo: Hippocratem 6. Epid. 5. hunc ψυχὴν appellare; quod ad mortem vſque corpus ſua mediocritate ſuſtentet: cuius copia nunquam in vitio ſit, cum mediocritatem non excedat. Is vero ſi bene temperati modum in toto, vel in aliqua corporis parte excedat, morbum conſequi. Sicut cùm inflammatur, atque

Vitalis.

ad

ad igneam naturam accedit; febres excitat: multumque ſua dignitate à calore illo fluxibili, quem ſpiritum vel calorem vitalem dicimus, diſtat. Hippocrates huius caloris plurimum in iis, qui creſcunt, ineſſe dixit. Nam humido primogenio, cui hic calor inhæret, abundant. Ideoq; quatenus illud ætatis progreſſu diminuitur; eateñus & hic calor infirmatur. Quod Hippocrates declarat, cum iuuenes maxime, ſenes febribus acutis minus corripi, aſſerit. quia in ſenibus calor ille imminutus, & exſtinctioni vicinus ſit. Licet & fluxibilis ille calor; qui à corde defertur, & in febribus non minus, quam fixus & innatus afficitur, (etiamſi tum primum febris, cum innatus & congenitus læditur, dicatur) in ſenibus infirmior, & propemodum exſtinctus videatur. Sed hæc longiorem explicationem deſiderant. Fluxibilis vero calor, ac potius ſpiritus, cum defertur per arterias in cerebrum, in eo contemperatur, atque diuinam quaſi vim acquirit, Animaliſque, quia præcipuis actionibus animalibus, ſenſui & motui inſeruit, dicitur. Hinc recte Ariſtote- *Animalis.*

Digitized by Google

les ait: Cerebrum datum homini ad contemperandam caliditatem cordis videtur, cum ſpiritus vitales in eo ſuam temperiem conſequuntur & conquieſcunt. Vnde idem Ariſtotel. 7. Phyſic. inquit: Animam quieſcendo fieri prudentem. Ex his intelligimus, quæ ſit ſpirituum origo, queve ſingularum actiones, ac naturalem, etiamſi in prima origine à ſemine & ſanguine initium acceperit, vitalis atque animalis baſin & fundamentum eſſe. Cum vero ſpiritus ſint proximum facultatis inſtrumentum: vel ipſa facultas: de ſecundo

II. Principiũ. Facultas. principio, quod Hippocrates circa corpus humanum, quod ſubiectum artis Medicæ eſt conſiderauit; hæc ex doctrina Hippocratica tenenda ſunt. Triplicem iſtum ſpiritum, tres quoq; facultates atq; totidem actiones conſequi. Spiritus enim, facultates, & actiones, inuicẽ ſibi reſpõdent.

Quid ſit. Porro facultas non eſt ipſa anima, quã vnicam eſſe in corpore humano ſtatuimus, ſed vis

Quot: 1. ſeu principiũ agendi. Harũ facultatum vnam in epate collocant, tanquam in ſua propria ſede, & Naturalem appellant eam nutri-

nutritioni, auctioni & generationi præeſſe ſtatuunt. Alteram, quæ vitalis dicitur, in corde ponunt: ea tanquam inſtrumẽto, ſpiritu, quem vitalem appellamus, vtitur. Tertiam facultatem omnium nobiliſſimam, quæ per ſpiritum animalem, mediãtibus neruis vniuerſo corpori ſenſum & motum diſtribuit; cerebro inſidere Hippocratica doctrina tradit. Ab his tribus facultatibus prodeunt actiones diſtinctæ, & quidem à qualibet earum duplices: quædam intrinſecæ, quædam vero extrinſecæ. Sic facultatis animalis intrinſecæ actiones, ſcilicet vis imaginatiua, cogitatiua, & memoria. Extrinſecæ à cerebro prodeuntes, ſenſus quinq; exteriores; & motiua vis in neruis, ita & virtutis ſeu facultatis in corde intrinſecæ actiones ſunt: affectus: Extrinſecæ ſeu à corde progredientes, arteriarum motus, qui pulſus dicitur, & calor, ſeu potius eius in reliquum corpus diffuſio. Facultatis vero in epate intrinſeca actio eſt *αἱμάτωσις*, quæ vulgo ſanguificatio dicitur: Extrinſecæ ſeu ab epate prodeuntes; diſtributio ſanguinis in corpus per venas medi- III. *Actiones.*

ante ſpiritu ad nutriendum, augendum, & conſeruandum corpus. hæ facultates, cum ſint integræ: proficiſcuntur ab his integræ actiones, & ſanitas partis vel totius conſequitur: cum vero male affectæ, ita vt vitioſam actionem edant; corpus vel membrũ morbo tentari dicitur. itaque qua ratione corpora humana à morbis afficiantur, ſeu (vt Medici loquuntur) ad patiendũ diſponantur, ex doctrina Hippocratis conſiderandum eſt. Primum autem hoc tenendum: Corpus humanum tunc cenſeri ſanum, atq; integra valetudine præditum: cum vel temperies quatuor humorum eſt iuſta; vel compoſitio partium ad organi rectam ſtructuram faciens, integra, proportionata, atq; illæſa, vel vnitas atq; continuatio partium conuenienter cohærens, & minime ſoluta. Itaq; ſanitatem eſſe & dici optimam ſimilarium partium temperiem, organicarum ſymmetriam, & vtrarumque vnionem. Cum vero vnumquodq; à ſuo contrario patiatur atq; afficiatur: conſequitur, primam corporis conſtitutionem, videlicet, quatuor humorum temperationem lædi: quan-

Vnde morbi oriantur.

Corpus ſanũ.

di: quando eorum temperies contraria oppugnatur atque opprimitur. Eſt autem vna temperies maxime temperata: in qua quatuor primarum qualitatum, calidi, frigidi, humidi, & ſicci eſt ſumma conuenientia. hanc cogitatione magis complecti, quam in vllo humano corpore demonſtrare poſſimus. Deinde ſunt quatuor ſimplices, calida, frigida, humida, & ſicca, frigida & humida, frigida & ſicca. hæ immutantur ſuis contrariis. Alteratio vero ſeu immutatio in his fit, vel per qualitates oppoſitas tantum ſine materia, vt quando caliditas à frigiditate ſimpliciter oppugnatur: vel non per qualitatem ſolam, verum etiam accedēte materia contraria, licet imaginarie potius, quam reuera qualitates ſine materia eſſe videantur. Ea autem materia vel vaporoſa eſt, vel corpulenta. Vaporoſam materiam flatus, dum intus; & exhalationes ſeu ἀποκρίσεις, cum foras è corpore ſeſe efferūt, appellamus. Corpulentam quatuor humores, ſanguinem, bilem flauam, nigram, ſeu humorem melancholicum, & pituitam dicimus. Iſti vero humores non tan-

Temperies. *Alteratio duplex.* *Materia duplex.*

Digitized by Google

Humores quomodo peccent.

tum ſua multitudine: verumetiam qualitate varia, quam tum ab aere; tum à praua victus ratione: tum vero à putredine acquirunt, alterant, ac à putredine tot modis corrumpuntur humores; vt infinitæ pene alterationes ac immutationes in humano corpore conſequi poſſint. hinc nihil mirum, ſi quotidie noua morborum quaſi monſtra, & Medici cogitationem perturbantia conſpiciantur. Accedunt ad has cauſas, effectiones ſyderũ, de quibus alii aliter exiſtimant; adhæc hominum intemperantia & ingluuies, & mira in luxu varietas; alia itidem errata, atq; etiam flagitia, quæ ſingulares pœnas diuinas merentur. Hinc cum malæ διαθέσεις aliquam actionem ſiue in toto corpore, ſiue in parte lædant, (non enim morbus cenſetur niſi actio lædatur) morbi appellantur. Tria verò ſumma morborũ genera cum Hipp. atque veteres ſtatuerint, non libet ab horum doctrina diſcedere, atque de morbis, quos totius ſubſtantiæ appellant, & præter intemperiem in partibus ſimilaribus ponunt, dimicare. Formæ enim corruptio vel in numero morborum

Morbus.

Tria morborum genera.

borum non eſt, vel certe niſi læſa temperie conſiderata, inane atq; imaginarium. An enim à contagione læſus & à putrido vapore affectus nulla intemperie laborat? Licet non à quouis putrido vapore contagium conſequatur, ſicut nec diſſipatio ſpirituum, caloris extinctio à quauis venenata qualitate. Hos comitantur ſymptomata tãquam vmbra corpus, quorum tria ſunt genera: videlicet: Actiones læſæ, Excrementa debito modo ſeſe non habentia, ſiue exeant, ſiue detineantur; & immutatæ qualitates. Sed de his paulo poſt. Secũdo corporis rectam διάθεσιν, quã ſanitatem dicimus, in membrorum diſſimilarium, ſeu organicorum compoſitione conſiſtere ſtatuimus. Ea quot modis in ſua integritate eſſe videtur: tot etiam à contrario ſuo alterari atque euerti poteſt. Spectatur autem debita compoſitio quatuor potiſſimum modis: vel in recta formatione ſeu figura: iuſta quantitate, numero conuenienti, ſitu partium accommodato. Forma ſeu figura membri organici recta eſt; cum primum eſt tale, quale eſſe conuenit, & vtile atq; actioni

II Morbi inſtrumentorum.

Compoſitio eſt in 4.

Figura quæ. 1.

Humores quomodo peccent.

tum ſua multitudine: verumetiam qualitate varia, quam tum ab aere; tum à praua victus ratione: tum vero à putredine acquirunt, alterant, ac à putredine tot modis corrumpuntur humores; vt infinitæ pene alterationes ac immutationes in humano corpore conſequi poſſint. hinc nihil mirum, ſi quotidie noua morborum quaſi monſtra, & Medici cogitationem perturbantia conſpiciantur. Accedunt ad has cauſas, effectiones ſyderũ, de quibus alii aliter exiſtimant; adhæc hominum intemperantia & ingluuies, & mira in luxu varietas; alia itidem errata, atq; etiam flagitia, quæ ſingulares pœnas diuinas merentur. Hinc cum malæ διαθέσεις aliquam actionem ſiue in toto corpore, ſiue in parte lædant, (non enim morbus cenſetur niſi actio lædatur) morbi appellantur. Tria verò ſumma morborũ genera cum Hipp. atque veteres ſtatuerint, non libet ab horum doctrina diſcedere, atque de morbis, quos totius ſubſtantiæ appellant, & præter intemperiem in partibus ſimilaribus ponunt, dimicare. Formæ enim corruptio vel in numero morborum

Morbus.

Tria morborum genera.

borum non eſt, vel certe niſi læſa temperie conſiderata, inane atq; imaginarium. An enim à contagione læſus & à putrido vapore affectus nulla intemperie laborat? Licet non à quouis putrido vapore contagium conſequatur, ſicut nec diſſipatio ſpirituum, caloris extinctio à quauis venenata qualitate. Hos comitantur ſymptomata tãquam vmbra corpus, quorum tria ſunt genera: videlicet: Actiones læſæ, Excrementa debito modo ſeſe non habentia, ſiue exeant, ſiue detineantur; & immutatæ qualitates. Sed de his paulo poſt. Secũdo corporis rectam διάθεσιν, quã ſanitatem dicimus, in membrorum diſſimilarium, ſeu organicorum compoſitione conſiſtere ſtatuimus. Ea quot modis in ſua integritate eſſe videtur: tot etiam à contrario ſuo alterari atque euerti poteſt. Spectatur autem debita compoſitio quatuor potiſſimum modis: vel in recta formatione ſeu figura: iuſta quantitate, numero conuenienti, ſitu partium accommodato. Forma ſeu figura membri organici recta eſt; cum primum eſt tale, quale eſſe conuenit, & vtile atq; actioni

11 Morbi inſtrumentorum.

Compoſitio eſt in 4.

Figura quæ. 1.

2. accommodatum in corpore ſit; ſecundo
3. ſi habeat debita vaſa; tertio, conuenien-
4. tes cauitates. videlicet, vt ſit conuacuum, ſi eiuſmodi eſſe oporteat: item vt in ſuperficie ſit læue, ſi læuitas in eo requiratur, & econtra aſperum, ſi aſperum eſſe

Quantitas. expediat: Secundo, in quantitate: vt habeat eam magnitudinem, qua acuta, vel diminuta membri ſanitas lædatur. Ter-

Numerus. tio, ne numerus mutetur, videlicet, eo modo vt accedat aliquid, vel decedat, vt

Situs. ſi quis habeat ſex digitos. Quarto, ne ſitus varietur in vllam contrariam partem naturæ, & actioni incommodam atque aduerſam. Poſtremo, conſtitutio corporis ſpectatur in vnitate & continuitate partium. Ea cum ſoluitur: habitus præter naturam, qui morbus appellatur, conſe-

3. Solutio vnitatis. quitur. Sunt qui hoc tertium genus ad ſecundum morborum referant: quod membri vnitas, & continuitas ad eius cõformationem ſpectare videatur. hoc concedi poteſt: quatenus diſſimilare eſt: non autem quatenus ſimilare. Sed cum his nunc non diſputo. Vnumquodq; autem genus morborum iſtorum habet denominatio-

minationem à ſubiecto, at ſi temperatura læditur, morbus in temperatura dicitur : ſi compoſitio partium, videlicet, frigida, quantitas, numerus, vel ſitus, morbus in compoſitione appellatur : ſi continuitas ſoluitur, vt per vulnus, aut vlcus, morbus *συνεχείας λύσις*, continui ſolutio, autore Galeno nominatur. Sæpe autem hæc morborum genera complicantur. Nam humores non tantum in qualitate alterantur, atq; *κακοχυμία*, quæ morbis in temperatura annumeratur, comitatur, ſed acuti quoq; faciunt obſtructiones, atq; ita morbus in compoſitione, videlicet viarum obſtructio, accedit. Interdum & vaſa ab iis rumpuntur, & *συνεχείας λύσις* conſequitur. Quando autem omnes, aut plures humores æquali proportione ſupra modũ augentur, vitium illud pleuritidem ſeu *πληθώραν* vocãt, cum ſicut vnus humor auctus immodice, vel plures ſimul malam *διάθεσιν* afferunt; *κακοχυμίαν* appellant. Ceterum ſi penes qualitatẽ humores tantum alterantur : ægritudines quoq; iuxta qualitatum naturam, diuerſitatemque conſequuntur. Cauſarum vero

Morbi complicati.

πληθώρα.

alterantium, atque lædentium malignitas, multum ad malitiam morbi faciunt; vt de putredine diximus. De ſpiritibus res eodem modo, vt de humoribus, ſeſe non habet. Aucti enim nullam noxam inferre videntur: ſed alterati, corrupti, vel diminuti. Sic dum ſpirituum animalium integritas illæſa eſt: ſenſuum tam interiorum quam exteriorum actiones, & virtus motiua viget. Si corrupti vel diminuti ſunt, ſenſus aut motus corrumpitur, vel certe diminuitur. ita & ſpiritus vitalis dũ conſtat: vitalis virtus ſalua permanet. Si exhauſtus diminuitur, aut à mala aliqua qualitate afficitur, animi deliquium conſequitur. Simili modo & de ſpiritu naturali æſtimandum. Is enim cum diminuitur: flatus, qui multorum morborũ cauſæ ſunt, vt Hipp. in libro de flatibus explicat, conſequuntur. Iſtæ autem alterationes, ſiue διαθέσεις ſiue habitus, quos morbos appellamus, qui huiuſmodi alterationes comitantur; non ſine cauſa accidunt. Eſt enim hoc principium Methodi: NIHIL fieri ſine cauſa. Cauſarum igitur conſequitur conſideratio: quas duplices eſſe conſtat,

Spiritus quid in morbis patiantur.

Cauſæ morborum.

conſtat, extrinſecas atq; intrinſecas. Extrinſecarum, quæ procatarcticæ, Latinis vero primitiuæ, præincipientes etiã, prægreſſæ ſeu euidentes dicuntur. Aliæ neceſſario humano corpori occurrunt, idq; alterant: vt aer, cibus & potus, accidentia animi. Motus & quies, ſomnus & vigilia, repletio & inanitio, atq; hæ à Medicis res non naturales appellantur. quia licet ad vitam animalis neceſſario requirantur; tamen naturæ & prodeſſe & obeſſe, niſi in ſua mediocritate conſiſtant, poſſunt. Cum enim ſe ſecundũ naturam habent, ac κτ' φύσιν alterant & mouẽt ſalubres & conſeruatrices dicuntur, quia ſalubritatis ſunt cauſę. atq; nunc quantũ neceſſe eſt, quando, vbi, & quomodo oportet, corporibus offeruntur. Cum modum excedunt; alterationes, & πάθη in corpore fiunt, quæ ſi perdurant, διάθεσιν inducunt, lædentem actiones, quæ vel à facultatibus animalibus vel vitalibus, vel naturalibus procedunt. Hæc vero affectio, à qua primò & per ſe læditur actio; Morbus dicitur. qui vel εὐήθεις, vel κακοήθεις, id eſt, benigniores, & maligniores ſecundum cau-

Duplices extrinſeca.

ſarum intenſionem, vel remiſſionem exiſtimantur. Procatarcticæ autem ſeu exteriores cauſæ non neceſſario alterantes ſunt: quia extrinſecus corpori adueniunt, vt plagæ, ictus, caſus ex alto, deſtructiones, diſtorſiones; vel alia huiuſmodi, quæ adurunt, rodunt, exedunt &c. Nam talia non neceſſario corpori offeruntur; ſed ſæpe in illa caſu incidimus. Intrinſecæ vero cauſæ ſunt, quatuor humores nõ ſeruantes debitam temperaturam, proportionem, locum. Morbi autem qui cõſequuntur alterationes modo dictas triplices ſunt: vel acuti, vel chronici, vel ſalubres, vel inſalubres, aut primario lædẽtes affectu, aut per conſenſum. neque hæ differentiæ à morbo, quoad morbus eſt, ſumuntur: ſed ab accidẽte. Acuti dicuntur Hippocrati, in quibus periculum in propinquo eſt; ita vt ad vitæ exitum, niſi ſit natura valentior, ſubito tendant. Atq; hi, qui fiunt, vel ab humoribus calidis, vt ſanguine aut bile; vel qualitate calida: vel in membro organico præſtantes actiones habente; ſicut ſunt cerebrum, cor, epar. Qui ab humoribus calidis, vel à calore

Neceſſaria. *Intrinſeca.* *Morbi triplices* 1. *Acuti.* *Vnde.*

lore

lore oriuntur; maxime iuuenibus tempore æſtatis, & in regione calida infeſti ſunt. Qui vero ratione nobilitatis membri organici; ſenibus etiam accidere poſſunt. imo ad eos procliuiores videntur: cum eorum membra ætate debilitata, & exhauſta viribus minus reſiſtere poſſunt. Chronici morbi,ſeu tardi & longi, opponuntur acutis, & fiunt ab humoribus frigidis, pituita ſcilicet,& humore melancholico, item autumno, hyeme, vel in regione frigida, atq; patiuntur hos plurimum ſenes. Altera differentia morborum eſt. Quidam ſunt ſalubres,fiuntque cum humores non multum à natura ſua, vel quantitate, vel qualitate, vel ſubſtantia recedunt; aut non occupant partem aliquam nobilem: vel quando aliqua qualitas pura, vt calor, frigus ſine materia alterat quidem membrum, verum non intensè: aut ſi intenſe; membrum tamen illud ignobile eſt. Inſalubres vero oppoſitas cauſas habent. Quod autem de vno genere morborū, ſcilicet, morbo in temperatura diximus: idem de morbis in cōpoſitione, & continui ſolutione tenen-

Chronici qui.

11. Salubres.

Inſalubrii.

Digitized by Google

dum. Cum enim membrũ nobile amittat ſuam conſtructionem naturalem, continuitatem: morbus inſalubris, & lethalis conſequitur. Si vero membrum ignobile patiatur: ſanabilis morbus, & minimè periculoſus cenſetur. Tertia differentia morborum eſt, Quoſdam primario ſeu

III. Primarius. primogenito affectu aliquam partẽ corporis afficere: videlicet, quando membrum eſſentialiter & per ſe habuit, & habet cauſas malæ affectionis, actioniſq; læſæ in ſeipſo, neq; aliunde afficitur. Quoſ-

Per conſenſum. dam verò per conſenſum lædere, vt cum membrum in ſe nullam morbi cauſam

Pars vicina. habet: ſed à vicino, ſeu affini patitur. Vicinum dicimus, quod loco proximum eſt:

Affinis. Affine, quod etiam remotum; cum eo tamen quiddam commune & conſentiens habet. Sic vterus quamuis remotus ſit à cerebro: tamen ratione ſubſtantiæ membranoſæ, quæ ex neruis conſtat; magna inter cerebrũ & vterum ſympatheia eſt. Sed iſta quidem medica potius opinio, quam ſententia, cum euidenter nerui in vtero non ſint, videtur. Reuera autem fumi potius aſcendunt, qui capitis grauitatem

tatem efficiunt. Affinitas autem vel ratione ſubſtantiæ ex qua cōponitur membrum; vel materiæ, ſeu ſimplicis qualitatis alicuius ſpectatur. Ratione membri affinia ſunt ea; quæ vel ſimili ſubſtantia cōſtant, aut vniuntur, vt cum ex cerebro in ventriculum nerui tendant: cerebrum à ventriculo per conſenſum afficitur. Ita & cōtra affecto ventriculo cerebrum interdum laborat, vel partium cōſenſus eſt, nonquidem quod materia aliqua transferatur de membro vno ad aliud: vel ſeſe mutuo illa contingant, ſed quia membra ſimilis naturæ, ſeu ſubſtantiæ ſunt. Sic veſica & vterus muliebris inter ſe conſentiunt: quia vtrumque membrum ſimili ſubſtantia, ſcilicet, membrana neruoſa præditum eſt. Sic omnes partes ſubſtantiæ neruoſæ cum cerebro communicant, & ſympatheia quadam afficiuntur: quia cerebrum fons neruorum eſt. Ratione autem materiæ, vel qualitatis conſenſus eſt: cum ſcilicet materia vel qualitas ſucceſſiue partes vicinas alterat. Hanc ſympatheiam Galenus cum de puero Epileptico agit, qui per conſenſum à pollice *Affinitas vnde.*

dextri pedis laborabat; declarat. Inter pollicem quidem & cerebrum, cuius Epilepſia eſt affectio, nulla eſt affinitas: ſed ratione illius malignæ qualitatis aſcendētis à pollice, id eſt continue ſeu ſucceſſiue partem vnam poſt alteram alterantis; donec tandem ad cerebrum pertingat affectio in ipſo cerebro, id eſt, ſpaſmus vniuerſalis conſequitur. Materia autem quæ aſcendit vel de membro in membrum transfertur, eſt duplex: vel corpulenta; vel vaporoſa. Materiam corpulētam, humorem; vaporoſam vero flatus appellamus. Vtraque autem cum fertur de parte ad partem: ita vt intermedias alteret; per conſenſum materiæ membrum illud, ex quo peculiarem morbum adducit, affici dicitur. Recenſuimus tres præcipuas morborum differentias. Vt vero in morborum rectam cognitionē deueniamus: ſignorum fontes inueſtigandi ſunt. Cognitionem ſignati, ſigni cognitionē præcedere neceſſe eſt: cum ſignum alicuius ſignati impreſſio vel accidens ſit. Eſt autem ſignū duplex: aliud vniuerſale, quod cognoſcitur ab intellectu: aliud particulare,

Signa.

Signum duplex.

lare, quod ſenſu percipitur. Sic fumum ſequi flammam cognoſcit intellectus. Vbi igitur ſenſus percipit fumum :. reminiſcitur illius conuenientiæ, quæ eſt inter flammam & fumum, & ex particulari ſigno, vniuerſalis illa cognitio, Flammam fumo proximam eſſe, confirmatur. Medicus autem qui ſenſibus obuia conſiderat: particularia ſigna obſeruat. quorum tres ſunt fontes: primus actiones læſæ, ſecundus excrementa, tertius affectus corporis, ſeu accidentia peculiaria, quæ ſumuntur, vel à qualitate, vel à quantitate mutata. Ab actione læſa ſumuntur ſigna firmiſſima. quia illud membrum ſanum eſt, cuius actiones ſunt ſanæ & integræ: ac ſecundum naturam ſe habent. Cum vero paulo ante dictum ſit: triplex eſſe actionum genus, quæ à tribus ſcilicet facultatibus, Naturali, Vitali, & Animali, progrediuntur: triplex etiam læſionum genus conſequitur. Videlicet, vt læſa naturali actione; διάθεσιν naturalium inſtrumẽtorum offenſam eſſe auguremur: læſa vitali; cognoſcamus vitalium facultatum inſtrumenta offenſa: læſa animali; inſtru-

Tres fontes ſignorum.

1\. *Actio læſa.*

menta facultati animali deſeruientia offenſa iudicemus. Hic autem vt inſtrumēta vniuſcuiuſque facultatis memoria teneamus neceſſe eſt. Obſeruandum etiam hoc: Actionem lædi tripliciter: vel vt diminuatur; id quod diminute appellant: aut corrumpatur; quod corrupte: vel vt prorſus auferatur; quod in ſcholis ablate dicimus. Diminuitur, autem, atque aufertur, vel ab immodica frigiditate, vel obſtructione, vt cum ſpiritibus, qui membris calorem & vigorem præſtant, negatur tranſitus. Corrumpitur à caliditate immoderata, vel ſpiritibus maligna qualitate perturbatis. Alter fons ſignorum ab excrementis deducitur. Excrementa autem vel ſunt naturalia; vt egeſtio alui, vrina, vel præter naturam; vt pus, ſanguis excretus, & ſimilia. Vbi igitur excrementa naturalia à naturæ debito modo non gubernātur, & vel mutata in ſubſtantia, vt ſi egeſtiones alui & vrinæ ſint ſanguinolentæ; vel in qualitate vitium illis obuenerit, vt ſi acria nimium, & mordicantia: vel in quantitate modum exceſſerint, aut infra illum ſubſtiterint: vel non debito

Actio lædi- tur tripliciter.

II. *Excremēta.*

debito tempore, ſed frequentius, vel rarius, quam oporteat, emiſſæ. Hæ mutationes cum fient, indicabunt illorũ membrorũ naturalem διάθεσιν læſam eſſe, à quibus excrementa prodeunt. vt egeſtiones alui indicabunt ventriculi, epatis, vel inteſtinorum temperaturam mutatam, atque in iis affectum aliquem præter naturam, ſiue per ſe, ſiue per conſenſum eſſe. Sic vrinæ immutatæ ſiue in ſubſtantia, ſiue in qualitate, ſiue in quantitate, ſiue tẽpore excretionis, videlicet, cum vel frequentius emittitur, vel prorſus ſupprimitur: vitium vel in renibus; vel venis emulgentibus ſeu vreteribus, vel veſica, vel in epate, in quo ſeroſitas ſanguinis, quæ eſt vrinæ materia, primum cõficitur, eſſe indicabunt. Sic, cum inter accidens & ſubſtantiam cui inhæret, ſeu in quam fit impreſſio, ſit quædam (vt in ſcholis loquuntur) habitudo: ex ſudore de membris ſolidis iudicamus. Sudoris enim materia ſeu humiditas illa ex partib. ſolidis, quibus inhæret, profluit. E ſputo, quod tuſſiẽdo excernitur, de affectionibus pectoris ſeu membrorum (vt appellant) ſpi-

Vrina.

Sudor.

Sputum.

ritualium, quæ ſunt trachea arteria, ſubſtantia pulmonis, cõcauitas pectoris, muſculi, & membranæ thoracis, iudiciũ facimus. Hoc modo ſecundum doctrinam Hippocratis de excrementis naturalibus exiſtimamus, quæ cum naturæ terminos egrediuntur, morborum indices ſunt: & tempus eorũ, quo coquuntur, & ad ſuam quaſi maturitatem deueniunt, videlicet, ſit ne morbi principium, augmentum, ſtatus, vel declinatio, deſignant. Priuſquam enim illa concocta appareant: morbum non finiri recte poſſe, Medici (cum ante coctionem morbi declinatio vera, multo minus perfecta atque integra non ſit ſperanda) exiſtimant. De excrementorum vero coctione ſeparatim inſtituendi ſunt Tyrones: & à communi errore, in quo præclari etiã Medici verſantur (qui cum ſuis ſyrupis ægros & naturam defatigant: dum non coctioni, ſed humorum præparationi, ſi tamen hoc ſyrupi præſtant, inſeruiunt, ac potius, dum matutinis poculis ex aquis in æreis vaſis deſtillatis, quæ grauiſſime ventriculum lędunt, concoctionem turbant) abducendi. Vbicunq; autem

De excrementorum coctione.

autem excrementa toto genere præter naturam apparuerint; perpetuo membrũ, à quo excernuntur, præter naturam eſſe affectum indicant. Fit vero iudicium de excrementis præter naturam; ſicut de naturalibus, videlicet, ex ſubſtantia, quãtitate, qualitate; & temporibus excretionis. Sic pus excretum ſi eſt album, æquale, & ſine fœtore graui, probum exiſtimatur. ita & in Quantitate, minus malum æſtimamus: ſi ſecundum loci proportionẽ emanat, quam cum redundat, vel plus æquo deficit. Itẽ ſi qualitate nulla erodenti ſit præditum, quam ſi acre & erodens. Deniq; ſi iuſto tempore excernatur. hæc de excrementis in genere. Nam peculiaris doctrina de ſingulis hoc in loco inſtitui non poteſt. Tertium fontem ſignorum Accidentia poſuimus. In qualitate *Accidentia.* igitur primum ſpectatur Color, an ſecundum naturam membri, vel partis ſeſe habeat. ſi enim quod album eſſe debet, ſit liuidum, vel nigrum, aut immodice rubens: affectio præter naturam eſſe indicatur. Simile iudicium de qualitatibus, quæ tactui offeruntur: vt ſi ſit frigidum; quod

Digitized by Google

calidum eſſe debebat: & contra aſperum, quod leue eſſe cõueniebat. Idem de qualitatibus ſentiendum, quas olfactus percipit: vt ſi ſint fœtida; quæ bene olere oportebat. Sic & de his, quæ guſtatu percipiuntur, vt amara, vel ſalſa: quæ dulcia & inſipida eſſe debebant. Item ſi ſit in parte aliqua ſonitus & rugitus præter naturam. Similiter cum quantitate naturæ modum excedunt: vt cum humores in aliqua parte augentur. Item cum laſſitudines, dolores fiunt; & amiſſio ſenſus accidit: vel ſenſus diminuitur, & membra ſtupent. fiunt item motus; ſaltus; atq; vibrationes præter naturam, atq; omnia iſta accidentia, quæ ex ſingulis prædicamentis deducuntur, Medico doctrinam Hippocratis ſequenti conſideranda ſunt; atq; vniuerſalia particularibus applicanda. Hæc autem de ſignorum fontibus, quos Medicus plane exhaurire debet, monuiſſe ſat eſt. Diuiſio

Signa duplicia. vero ſignorũ talis eſt: Quædam ſunt perpetua; quædam ſequentia; quædã aſſidentia ſeu comitantia. *Perpetua.* Perpetua Græcis παθογνωμονικὰ dicta. Ea vbicunq; ſunt; neceſſario affectũ, quem indicant, adeſſe conſtat.

Semper

Semper enim illum comitãtur, tanquam vmbra corpus. vt dolor pungitiuus in latere pleuritici, ſemper indicat inflammationem eſſe in membrana, ſeu membro neruoſo, eſtq́; perpetuum ſignum pleuritidis. Signum ſubſequens ſeu ἐπιφαινόμενον nõ ſemper comitatur: ſed prout ſignatum fuerit affectum aperiet. Sic pleuriticum non poſſe iacere in latere dolente: ſignum eſt inflammationẽ eſſe in membrana exteriore tegente coſtas. Nam ſi in interiori eſſet: melius in latere dolente; quam in oppoſito quieſceret. Aſſidentia vero ſigna, ſeu comitantia, Græcis τὰ συνεδρεύοντα dicta, interdũ ſimul cum morbo vna adoriuntur, interdũ ſuperueniunt; nonnunquam omnino abſunt. Neq; enim eſſentiam morbi conſtituunt: ſed proprias differentias efficiunt, vt ſputum familiare eſt pleuritico: eſtq; ſignum proprium: nõ tamen ſemper apparet, neque pleuritidis eſſentiam conſtituit. Siquidem in principio pleuritidis nihil exſpuitur; cum tamen pleuritis adſit. Eſt & alia ſignorum diuiſio: nam quædam indicãt præterita, quædam futura, quædam præſentia. Præterita

Signum comitans.

Signa triplicia.

Præterita.

Digitized by Google

non multum ſpectat Medicus, licet aliquãdo, exemplo Hippocratis primo prognoſtic. intueatur. Sed præſentia atque
Præſentia. futura. Pręſentia quidẽ quę διαγνωστικὰ appellantur: vt in certam cognitionẽ morbi
Futura. bi deueniat. Futura, quę προγνωστικὰ dicuntur,
1. tur, tribus de cauſis, quarum prima eſt, vt
2. ſe petitum ſuæ artis declaret: altera ne in lethali ægritudine in infamiam incurrat:
3. tertia, vt ægro proſpiciat, & curationem ſuam recte inſtituat. Aliter enim in breui morbo, aliter in longo medicandum: ſicut lethali ne manus quidem admouendas, vt Hippocrates monet. Nam æger de quo nulla ſpes eſt, eum ſolis prognoſticis relinquendum, (ne bona remedia infamentur, & vt prudentes nos præſtemus, neq; in dedecus, & repræhenſionem incurramus) iubemur. Loca autem ſeu fontes ſignorum indicantiũ præſentem affectum, & prognoſticorum: ſunt prorſus eadem quæ ſuperiorum; aliter tamen conſiderata. In ſignis enim prognoſticis collatio habetur magnitudinis morbi & virium, cum vires valẽtiores morbo ſunt, ſemper in ſpem bonã erigimur. Spectatur etiam vtrum

vtrum ſigna præſentis morbi ſeu diagnoſtica ſint intenſa & maligna; vel remiſſa & benigna. Si enim intenſa & maligna ſunt, malũ denunciant. Si remiſſa & benigna, bonum. Sed in ſignis prognoſticis Hippocrates κρίσιμα id eſt decretoria, quæ ſi coctionis tempore ſe prodiderint, ſemper ſunt bona: cruditatis vero mala, vt vel iudicatu difficilia, vel mortifera, conſiderat: de quibus hoc in loco breuitas, quam ſequimur, dicere non admittit. Habitis igitur & cõſideratis ſignis, quæ morbum indicant: eoq́; recte per ſuas cauſas cognito; vt eius Curationẽ aggrediamur, reſtat. Principio vero illud tenendum: Medicũ ex arte tantum recte facere: quantum recte cognoſcit. Eſt autẽ Hippocrati Curatio, remotio eius quod lędit, & quod contra naturam eſt, videlicet, vel morbi, vel cauſę permanentis (Procatarcticæ enim cum non permaneant; nihil indicãt) per cõtrarium. Hic apparet, ſcopum vniuerſalem artis curatiuę eſſe: remouere cõtrarium contrario, à quo vniuerſalis naſcitur indicatio, quæ eſt ἔμφασις τῆς ἀκολουθίας, id eſt, lux conſecutionis in intellectu Me-

Curationis methodus.

Scopus curationis.

dici de morbo ſeu nocente, & remedio ſeu iuuante cogitantis excitata, quæ quid in actione ſequendum ſit, vt tollamus vel remoueamus ex humano corpore, quod ei nocet, & grauiter fertur, monſtrat. Cũ autem hic ſcopus (contraria contrariis remouenda) generaliſſimus ſit, eo vſq; dum ad particularia omnia deueniamus; & quid primo, quid ſecundo faciendum ſit, appareat, is diſtinguẽdus eſt. Et quia ſcopus, & indicatio, tanquam duo correlatiua, ſemper ſibi reſpondent, conſequitur, vt diſtincto ſcopo generali, diſtinctę indicationes emineãt, quæ eo certiores ſunt, quo diligẽtius ſcopi ſpeciatim ponuntur, & conſiderantur. Actio enim Medici verſatur circa ſingularia, & indiuidua; eamq; gubernat indicatio, quæ vt dixi, à ſcopo, quem ſtatuit Methodus, petitur. Ita vero generalem ſcopum recte diſtinguimus: ſi conſiderabimus; quot modis poſſint remoueri contraria contrariis. Remouentur autem conſiderata vel ſubſtantia, vel quantitate eius quod remouendum, vel qualitate, vel tempore, in quo fieri debet remotio, & quo in loco. Subſtantiam hic non

Quomodo remoueantur cõtraria.

1. *Subſtantia.*

non intelligimus proprie : ſed de forma aut materia morbi. Illi occurrimus remotione ſcilicet eius, qnod nocet, forma tantum, ſeu qualitate. Vt in ephemera, in qua ſola qualitas peccat : ſola alteratione in contrarium medemur. Formaliter enim (vt ſic loquar) ſubſtantiam morbi intelligimus, alterationem, ex qua ſequitur nocumentum. Sublato igitur ſuo contrario formaliter, id eſt, alterãdo ad oppoſitum, cõſequitur ſanitas. Subſtantia vero morbi materialiter intellecta ; eſt ipſa materia immediate faciens morbum : quæ cũ ſua præſentia noceat; remouẽdã eſt per euacuationem. Atq; hinc oriuntur circa ſubſtantiæ conſiderationem duo ἐνδείξεις, ſeu indicationes, id eſt, collationes artificioſæ nocentis cum iuuante, quæ demonſtrant nobis cohærentiam conſequutionis (vt Galeni verbis vtar) in actione. Videlicet quid primo, quid ſecũdo, quid tertio (niſi aliquid quod vrgeat, id quod κατεπεῖγον appellant, interueniat) agendum. Eſt autem hoc primum in progreſſu iſto præceptum. Quod in reſolutione ſeu cognitione vltimo offertur, primũ in actione eſſe

Indicationes circa ſubſtantiam.

debere. Quæſtio vero Methodica prima: Quid eſt. Etſi autem quid (vt in ſcholis docemur) de ſubſtantia quærat, non de accidente: tamen hic non proprie accipitur: Morbi enim ſunt accidentia. Ita quid de morbo & eius cauſa quærit. Nam hoc ὁρμητήριον eſt methodi: nihil fieri ſine cauſa. Cum vero cauſa eſt præſens, ea tollenda.

Febris putrida. Exempli loco ſit febris putrida. In hac cũ calor naturalis in præternaturalem à putridis exhalationibus ſublatis ad cor (non enim calor afficiens cor vere febris eſt, niſi innatum calorem illius alteret,) ſit mutatus: putredo vero in humoribus: (licet illa nõ de corruptione ſecundum omnes partes, neque de putredine quam definit Ariſtoteles, dũ naturali generationi eam opponit: ſed de ea quæ κατὰ μέρος eſt, intelligitur, quamuis illius quæ καθόλου dicitur, naturam ſemper recipit, cum in febribus putridi vapores vbicunque ſit eorum focus, ad cor ferantur. ſicut in peſte ſeminaria contagii, ſeu νοσερὴ ἀπόκρισις extra ſuũ ſubiectum effuſa & ſpiritu mediante aere in quo hæret hauſta, ſubito cor & inſitum ſpiritũ & calorem lethaliter oppugnant:)

Humo-

Humores autem putreſcãt; propter prohibitam tranſpirationẽ: Tranſpiratio, vel propter craſſitiem, vel copiam humorum prohibeatur; hinc inſurgũt indicationes; Copiam humorũ minuendam; craſſitiem attenuãdam; procurandam tranſpirationem. ita putredo ceſſabit: & febris curabitur. Habitis indicationibus à forma & materia morbi deſumptis, ad ſecundũ eſt progrediendum: & pro altera indicatione alius ſcopus inſtituendus, videndumq; Quantum ſit agendum, id eſt, quo vſq; al- 11.
terando, vel euacuando procedendum. *Quantum ſit agendum.*
Hunc vero moderatur virtus ſubiecti, ſeu virium ægri conſtantia, & ea quæ his connexa videntur. Ætas, regio, in qua viuit æger; tempus anni. Conſtitutiones quas Hippocrates καταστάσιας τοῦ ἐνιαυτοῦ appellat: Hæc enim virtutem ſeu robur ægri augere, vel minuere, morbiq; vim frangere atque tollere poſſe notũ eſt. Cũ vero eo vſq; progredi in medicatione poſſumus: quoad vires ægri cũ ſuis connexis nobis cõcedunt: hæc præcipua cura Medicis incumbit: ne vires, quarũ conſeruationi ſemper *Vires tuendæ.*
ſtudere debent; ſua culpa concidiſſe vi-

deantur, ſed conſeruentur. Cum virtute & virib. ægri firmis; omnia poſſibilia Medico ſint: collapſa vnica ſpes in recuperãdis ſita. Natura enim morborum eſt curatrix: Medicus adminiſter naturæ. qui minime recte officiũ ſuum feciſſe exiſtimatur: cum non vi morbi; ſed medicatione vires fractæ atq; debilitatæ ſuccumbunt. Itaq; cum vacuandum eſt, tantum detrahendum, quãtum virtus tolerat: diligenterq; opera danda; ne vnquam vires ægri exhauriamus. Sublatis enim viribus: nullus amplius medicationi locus relinquitur. Eſt ergo hæc præcipua & difficilima indicatio, quę à quantitate petitur. in qua cum præcipue elucere debeat prudentia Medici: opera danda vt minus potius quã nimium (ſiue alterandũ, ſiue vacuandum ſit) egiſſe videatur. Præſtat enim viribus integris morbi materiam aliquam in corpore remanere: quam iis fractis & debilitatis ad morbi curationem omnia referre.

III. *Qualitas.* Tertius ſcopus ad Qualitatem agendi directus eſt: videlicet, qua ratione curatio perfici debeat, id eſt, quomodo ſit operãdum. vt cum corpus refrigeratum, calefacien-

Digitized by Google

faciendum eſt, hoc eſt, forma morbi tollenda: vel vſu calidorum actu, vel potentia talium: vel frictione, vel motu. item ſi materia peccat: an inedia hoc fieri oporteat; an miſſione ſanguinis, an vero pharmaco, vel aliqua diuerſione per ligaturas, frictiones, vel per enemata. Sumitur autem indicatio modi agẽdi, à multis coindicantibus: præcipue vero à conſuetudine ægri, vt quidã facilius potionibus: quidam aliis medicamentis curantur. Præcipue vero à proprietatib. indiuiduis, quas græci ἰδιοσυγκρασίας vocãt, vt quod nõnulli natura abhorrent à Rhabarbaro; vel aſſumentes enemata in ſyncopen incidunt. Item à conditione ægri. Aliter enim tractatur ruſticus robuſtus; aliter delicatus aliquis. Scopus autẽ, quem tempus operandi præſcribit (cum occaſio ſit præceps) IIII. *Tempus morbi.*
diligenter Medico attendendus: ne quid intempeſtiue egiſſe videatur. Obſeruandum igitur tempus morbi: ſit ne morbus in principio, augmento, ſtatu, vel declinatione. Tot enim ſunt morborum tempora tam vniuerſalia: quam particularia. Et ſciendum, Auxilia quæ in principio pro-

Digitized by Google

ſunt:in ſtatu; vel declinatione locum raro habere,imo in ſtatu præſidiis Medicis, ſicut in vniuerſali declinatione nihil turbãdum eſt,ſcopus vero,quem locus affectus monſtrat,ſeu à quo;in quo; & per quẽ fiat operatio:ſumta indicatione à ſitu; & connexione ſeu colligantia vnius partis cum altera,recte petitur.Sitũ ſpectamus; cũ an-
V.
Locus affectus & ſitus.
hæreat morbus, vel materia morbum faciẽs in ſuperficie; vel in profundo,obſeruamus.ac ſi indicatione ſumta ab eo, qui affectus exterius vel interius lædãt, remedia adhibemus.Hic quoq; colligãtia,connexio, & ductuũ ratio ſpectatur. Sic cum gibba pars epatis connexa ſit venæ cauæ deſcendẽti: ea affecta expurgare materiã volentes; vrinam prouocamus. Concaua vero læſa ope venarũ Meſaraicarum tendentiũ in inteſtina;per ventrem expurgamus. Habemus igitur methodo monſtratos quinq; ſcopos; à quibus totidẽ indicationes curandi generales petuntur: cum ſcilicet rationẽ medicationis ſeu applicationis remedii, conſiderata ſubſtantia,id eſt, forma & materia morbi; ſiue quantitate; ſiue qualitate ac modo agendi; ſiue occaſio-

occaſione atq; tempore; ſiue cōuenienti loco à quo, in quo, & per quē operamur, petimus. Et quando circa ſubiecta indiuidua verſamur: generalib. ſcopis diſtinctis; ad diſtinctas & certas indicationes animum aduertimus. Instrumenta autem quibus actio Medici perficitur, cum pręfixo ſcopo ſanitatē conſequi, indicationibus, vt dixi, prælucētibus, ſtudet; tria ſunt generalia; videlicet, recta victus ratio; pharmacia; & chirurgia. atq; de iis ſingulis cū Hippocrates tam aphoriſtice; quam propoſita doctrina perſpicua, eaq; multis in locis exemplis declarata, agat: ad Hippocratē, & eius interpretē Galenum Medicinæ ſtudioſos ablegamus. Hoc ad extremum admonētes, ſemper medico illud Hippocraticum, quod ſupra poſui tenendum, φύσιες νούσων ἀκέστριαι, & Naturā, id eſt, vim illā quę motus actiones in corpore ciet, tanquā intrinſecā cauſam principem locū in tuenda atq; recuperanda ſanitate habere, Medicū naturæ adminiſtrū eſſe, & ſi ille integre partes ſuas exequi poſſit, ita ſpectatorē, ne quo modo res non naturales & extrinſecus aduenientes impedi-

Inſtrumenta curandi tria

Axioma medicum.

mentum adferant. Vbi vero Natura ſuccumbit, à Medico erigenda, certoque ſtatuendum niſi ea medicamenta ad actum deducat, vt loquuntur Medici, actum acturum. Imo in fracturis, rupturis & mēbris luxatis ac emotis Natura opem non ferente recte & fœliciter ſuccedit. Quo magis eorum ſtultitia admiranda, qui in certis & erpertis, vt aiunt, medicamentis atque Chymica induſtria præparatis omnem ſpem morborum curandorum ponunt, & in iis adhibendis tam audaces ſunt, vt ne quidem arte Medica & præceptis, quorum authores & interpretes vituperant, opus putent. Sed cum iſtorum hominum inſania non libet rixari. Hæc autem pro typo, vniuerſam doctrinam Hippocraticam per ſynopſin oſtendente, propoſuimus. Is ſi diligenter Medico in conſpectu fuerit; & ad illius, quaſi abſolutionem omne ſtudium, diligentiam, & operam conuerterit; haud dubie fœlices in arte progreſſus, Deo ſtudia & actiones benigne fortunante, eſt facturus.

Chymica.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google